BIBLIOTHECA
PATRUM ECCLESIASTICORUM
SELECTISSIMA.

AD OPTIMARUM EDITIONUM FIDEM RECUDI

CURAVIT

GUIL. BRUNO LINDNER,

S. S. THEOL. IN UNIVERSITATE LIPSIENSI DOCTOR ET PROFESSOR.

FASC. I.

LIPSIAE,

DÖRFFLING & FRANKE.

MDCCCLVII.

VIRI ANONYMI APOSTOLICI

EPISTOLA AD DIOGNETUM

POLYCARPI EPISTOLA AD PHILIPPENSES

SMYRNENSIUM EPISTOLA DE POLYCARPI MARTYRIO.

TRIA VETUSTISSIMA ECCLESIAE CHRISTIANAE

DOCUMENTA

AD OPTIMARUM EDITIONUM FIDEM RECUDI

CURAVIT

GUIL. BRUNO LINDNER,

S. S. THEOL. IN UNIVERSITATE LIPS. DOCTOR ET PROFESSOR.

LIPSIAE,

DÖRFFLING & FRANKE.

MDCCCLVII.

LECTORI SALUTEM!

Ni omnia nos fallunt, inter omnes, qui Sacrosanctae Theologiae operam navant, mirum antiquissimae ecclesiae scriptores cognoscendi et examinandi studium manifestatur. Quo magis enim ecclesia nostris temporibus, abjectis, quibus per longam annorum seriem tenebatur, socordiae et lethargiae in rebus dogmaticis vinculis, interno fidei vigore crescit, eo lubentius ejus aevi memoriam recolit, quo nativa vitae et cognitionis vi excellebat. Filiorum corda ad patres revertuntur. Non facile tamen multi, ut hodie res est, magno pretio veteris ecclesiae monumenta sibi comparare possunt; non solet etenim penes theologos, studiosos aeque ac parochos, pecunia abundare. His igitur consulturis nobis in animo est, scriptorum patristicorum e primis quinque vel sex saeculis seriem ita promulgare, ut iis etiam, qui modica fortuna fruuntur, pro re familiari aditus ad hanc rei literariae partem facilis pateat. Atque ita quidem, ut minutis, adeoque minoris pretii voluminibus ea patrum ecclesiasticorum scripta ad optimarum editionum fidem recudi curemus, quae lectu digna videntur et parvo libello comprehendi possunt. Nolumus enim excerpta lecturis porrigere, sed integras scriptiones. Harum non parva copia exstat, e quibus, quamvis mole limites, quos nobis posuimus, non excedant, scriptorum tamen indoles et ingenium satis cognosci potest. Quae in majoribus exegeticis, dogma-

ticis, historicis lucubrationibus sparsa et disjecta reperiuntur, ea in minoribus libellis ethicis et asceticis quasi conjuncta et coacervata invenies. Hi non utilem tantum, sed jucundam etiam et aedificationi mentis idoneam rerum et cogitationum materiem praebent; in his, quasi gazophylaciis, ea omnia patres congesserunt, quae in certaminibus et altercationibus theologicis ad vitae usum et mentis recreationem lucrati sunt. In his, quaecumque animum a mundi tumultu remotum et separatum tunc moverunt, quum intimo et, ut ita dicam, personali cum deo et salvatore nostro commercio fruebantur, reposuerunt. In his non tam theologum, quam christianum deprehendis. Tales igitur libelli praeter reliquos idonei sunt, quos *academicis scholis* et *privato studio* adhibeas.

His causis permoti, hanc *patrum ecclesiasticorum bibliothecam selectissimam* edere nobis proposuimus; rei criticae eatenus tantum curam habituri, quatenus lectionum varietate sensus ipse afficitur, vel lectionis difficultas tollenda est, vel conjecturis propter textus corruptionem opus videtur. Huic proposito, ut tu, lector benevole, tuum calculum adjicere velis, ex animo optamus atque rogamus. Deus, ecclesiae nostrae unica spes et salus, pro benignitate sua efficiat, ut hic noster labor, quo regni divini prosperitatem augere sincero animo cupimus, multis veteris ecclesiae amatoribus amplam studii saluberrimi copiam et occasionem paebeat.

Scripsi die XVII mensis Februarii anni MDCCCLVII.

GUIL. BRUNO LINDNER.

PROLEGOMENA

IN EPISTOLAM AD DIOGNETUM.

Epistolam ad Diognetum inter antiquissima aeque ec praestantissima ecclesiae veterrimae documenta recensendam esse, vix a viris rei peritis in dubium vocatur. Quis Diognetus fuerit, non constat; gentilem extitisse, eumque philosopihae studiosum, a religione christiana non abhorrentem, non ignobili loco positum (κράτιστε), ex ipsa epistola apparet. Diogneto quodam Marcus Aurelius imperator (161—180 p. Chr.) usus esse dicitur praeceptore; utrum is sit, ad quem epistola nostra data est, necne, vix pro certo dici potest; pro temporum ratione fieri posset.

Auctorem epistolae alii nuncupant Justinum Martyrem; ab hoc tamen patre ecclesiastico et linguae ratione habita et rei dogmaticae, mirum quantum discrepat, quamvis in nonnullis cum ipso consentiat. Bunsen Marcionem huc trahit, antequam in haeresi sua progressus fecerit; sed cum Marcioni proprium fuit, Tertulliano teste, ut omnia subito fieri censeret, vix a tali viro progressa esse potest epistola nostra, quae in eo potissimum elaborat, ut demonstret, quemadmodum et cur deus suas habeat horas et moras. Quae alii de Clemente Romano et Apollone conjecerunt, omni fundamento carent. Quisquis fuerit, id cum doctissimis antiquitatis exploratoribus certissimum esse censeo, epistolam scriptam esse a viro aevo apostolico propinquo, apostolorum disciplo, rei christianae

1*

egregie perito. Scripta mihi videtur epistola nostra, antequam Judaica religio vim suam et autoritatem prorsus amiserat, i. e. ante Barcochbae tempora; post hujus viri interitum vix ethnicum veritatis studiosum allicere, vix tam gravi impugnatione in epistola non magni voluminis digna videri poterat. Certiora de tempore non constant.

Textum dedi ad eas recensiones, quas viri doctissimi Otto in editione operum Justini Martyris et Hefele in editione operum Patrum Apostolicorum exhibuerunt; a quibus tamen nonnullis locis discessi, ubi vel a MSS. justo nimis mihi recessisse videbantur, vel conjecturis locus concessus erat. Eam capitis XI et XII partem, quae minusculis literis expressa est, spuriam censeo. Cum vero capiti X deest conclusio, hanc ex illis restituere conatus sum.

ANONYMI VIRI APOSTOLICI

EPISTOLA AD DIOGNETUM.

I. Ἐπειδὴ ὁρῶ, κράτιστε Διόγνητε, ὡς ὑπερεσπουδακότα σε τὴν θεοσέβειαν τῶν Χριστιανῶν μαθεῖν, καὶ πάνυ σαφῶς καὶ ἐπιμελῶς πυνθανόμενον περὶ αὐτῶν, τίνι τε Θεῷ πεποιθότες, καὶ πῶς θρησκεύοντες, αὐτόν τε κόσμον ὑπερορᾶσι πάντες, καὶ θανάτου καταφρονοῦσι, καὶ οὔτε τοὺς νομιζομένους ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων θεοὺς λογίζονται, οὔτε τὴν Ἰουδαίων δεισιδαιμονίαν φυλάσσουσι, καὶ τίνα τὴν φιλοστοργίαν ἔχουσι πρὸς ἀλλήλους, καὶ τί δή ποτε καινὸν τοῦτο γένος ἢ ἐπιτήδευμα εἰσῆλθεν εἰς τὸν βίον νῦν καὶ οὐ πρότερον· ἀποδέχομαί γε τῆς προθυμίας σε ταύτης, καὶ παρὰ τοῦ Θεοῦ, τοῦ καὶ τὸ λέγειν καὶ τὸ ἀκούειν ἡμῖν χορηγοῦντος, αἰτοῦμαι δοθῆναι, ἐμοὶ μὲν, εἰπεῖν οὕτως, ὡς μάλιστα τῷ ἀκοῦσαί σε[1] βελτίω γενέσθαι· σοί τε, οὕτως ἀκοῦσαι, ὡς μὴ λυπηθῆναι τὸν εἰπόντα.

II. Ἄγε δὴ, καθάρας σεαυτὸν ἀπὸ πάντων τῶν προκατεχόντων σου τὴν διάνοιαν λογισμῶν, καὶ τὴν ἀπατῶσάν σε συνήθειαν ἀποσκευασάμενος, καὶ γενόμενος, ὥσπερ ἐξ ἀρχῆς, καινὸς ἄνθρωπος, ὡς ἂν καὶ λόγου καινοῦ, καθάπερ καὶ αὐτὸς ὡμολόγησας, ἀκροατὴς ἐσόμενος·[2] ἴδε μὴ μόνον τοῖς ὀφθαλμοῖς, ἀλλὰ καὶ τῇ φρονήσει, τίνος ὑποστάσεως, ἢ τίνος εἴδους τυγχάνουσιν, οὓς ἐρεῖτε

---

1) Sic conjicio pro eo, quod codd. manuscr. habent: ἂν ἀκοῦσαί σοι. Al. conjiciunt τὸν ἀκούσαντα. 2) Eph. 4, 24 sqq.

καὶ νομίζετε θεούς. Οὐχ ὁ μέν τις λίθος ἐστὶν, ὅμοιος τῷ πατουμένῳ, ὁ δ' ἐστὶ χαλκὸς, οὐ κρείσσων τῶν εἰς τὴν χρῆσιν ἡμῖν κεχαλκευμένων σκευῶν, ὁ δὲ ξύλον, ἤδη καὶ σεσηπὸς, ὁ δὲ ἄργυρος, χρῄζων ἀνθρώπου τοῦ φυλάξαντος, ἵνα μὴ κλαπῇ, ὁ δὲ σίδηρος, ὑπὸ ἰοῦ διεφθαρμένος, ὁ δὲ ὄστρακον, οὐδὲν τοῦ κατεσκευασμένου πρὸς τὴν ἀτιμοτάτην ὑπηρεσίαν εὐπρεπέστερον; Οὐ φθαρτῆς ὕλης ταῦτα πάντα; Οὐχ ὑπὸ σιδήρου καὶ πυρὸς κεχαλκευμένα; Οὐχ ὃ μὲν αὐτῶν λιθοξόος, ὃ δὲ χαλκεὺς, ὃ δὲ ἀργυροκόπος, ὃ δὲ κεραμεὺς ἔπλασεν; Οὐ πρὶν ἢ ταῖς τέχναις τούτων εἰς τὴν μορφὴν τούτων ἐκτυπωθῆναι, ἦν ἕκαστον αὐτῶν ἑκάστῳ, ἔτι καὶ νῦν, μεταμεμορφωμένον; Οὐ τὰ νῦν ἐκ τῆς αὐτῆς ὕλης ὄντα σκεύη γένοιτ' ἂν, εἰ τύχοι τῶν αὐτῶν τεχνιτῶν, ὅμοια τοιούτοις; Οὐ ταῦτα πάλιν, τὰ νῦν ὑφ' ὑμῶν προσκυνούμενα, δύναιτ' ἂν ὑπὸ ἀνθρώπων σκεύη ὅμοια γενέσθαι τοῖς λοιποῖς; Οὐ κωφὰ πάντα; Οὐ τυφλά; Οὐκ ἄψυχα; Οὐκ ἀναίσθητα; Οὐκ ἀκίνητα; Οὐ πάντα σηπόμενα; Οὐ πάντα φθειρόμενα; Ταῦτα θεοὺς καλεῖτε, τούτοις δουλεύετε, τούτοις προσκυνεῖτε; τέλεόν τ' αὐτοῖς ἐξομοιοῦσθε.[3] *Διὰ τοῦτο μισεῖτε Χριστιανοὺς, ὅτι τούτους οὐχ ἡγοῦνται θεούς; Ὑμεῖς γὰρ, οἱ νῦν νομίζοντες καὶ οἰόμενοι, οὐ πολὺ πλέον αὐτῶν καταφρονεῖτε; Οὐ πολὺ μᾶλλον αὐτοὺς χλευάζετε καὶ ὑβρίζετε, τοὺς μὲν λιθίνους καὶ ὀστρακίνους σέβοντες ἀφυλάκτως, τοὺς δὲ ἀργυροῦς καὶ χρυσοῦς ἐγκλείοντες ταῖς νυξὶ, καὶ ταῖς ἡμέραις φύλακας παρακαθίσαντες, ἵνα μὴ κλαπῶσιν; Αἷς δὲ δοκεῖτε τιμαῖς προσφέρειν, εἰ μὲν αἰσθάνονται, κολάζετε μᾶλλον αὐτούς· εἰ δὲ ἀναισθητοῦσιν, ἐλέγχοντες αἵματι καὶ κνίσαις αὐτοὺς θρησκεύετε. Ταῦθ' ὑμῶν τις ὑπομεινάτω. Ταῦτα ἀνασχέσθω τις ἑαυτῷ γενέσθαι. Ἀλλὰ ἄνθρωπος μὲν οὐδὲ εἷς ταύτης τῆς κολάσεως ἑκὼν ἀνέξεται, αἴσθησιν γὰρ ἔχει καὶ λογισμόν· ὁ δὲ λίθος ἀνέχεται, ἀναισθητεῖ γάρ. Οὐκοῦν τὴν αἴσθησιν αὐτοῦ ἐλέγχετε;*[4] *Περὶ μὲν οὖν τοῦ μὴ δεδουλῶσθαι Χριστιανοὺς τοιούτοις θεοῖς, πολλὰ μὲν καὶ ἄλλα εἰπεῖν ἔχοιμι· εἰ δέ τινι μὴ δοκοίη κἂν ταῦτα ἱκανὰ, περισσὸν ἡγοῦμαι καὶ τὸ πλείω λέγειν.*

---

3) Ps. 113, 8. 4) Al. *Οὐκ οὖν τὴν αἴσθ. αὐτοῦ ἐλέγχετε.* **Sed quaestio, utpote triumphantis et ad absurdum deducentis, toti capitis indoli magis convenit.**

III. Ἑξῆς δὲ, περὶ τοῦ μὴ κατὰ τὰ αὐτὰ Ἰουδαίοις θεοσεβεῖν αὐτοὺς, οἶμαί σε μάλιστα ποθεῖν ἀκοῦσαι. Ἰουδαῖοι τοίνυν εἰ μὲν ἀπέχονται ταύτης τῆς προειρημένης λατρείας, καὶ εἰ Θεὸν ἕνα τῶν πάντων σέβονται δεσπότην, ἀξιῶ σωφρονεῖν·[5] εἰ δὲ τοῖς προειρημένοις ὁμοιοτρόπως τὴν θρησκείαν προσάγουσιν αὐτῷ ταύτην, διαμαρτάνουσιν. Ἃ γὰρ τοῖς ἀναισθήτοις καὶ κωφοῖς προςφέροντες οἱ Ἕλληνες ἀφροσύνης δεῖγμα παρέχουσι, ταῦθ' οὗτοι καθάπερ προσδεομένῳ τῷ Θεῷ λογιζόμενοι παρέχειν, μωρίαν εἰκὸς μᾶλλον ἡγοῖντ' ἂν, οὐ θεοσέβειαν. Ὁ γὰρ ποιήσας τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτοῖς, καὶ πᾶσιν ἡμῖν χορηγῶν, ὧν προσδεόμεθα, οὐδενὸς ἂν αὐτὸς προσδέοιτο τούτων, ὧν τοῖς οἰομένοις διδόναι παρέχει αὐτός. Οἱ δέ γε θυσίας αὐτῷ δι' αἵματος καὶ κνίσης καὶ ὁλοκαυτωμάτων ἐπιτελεῖν οἰόμενοι, καὶ ταύταις ταῖς τιμαῖς αὐτὸν γεραίρειν, οὐδέν μοι δοκοῦσι διαφέρειν τῶν εἰς τὰ κωφὰ τὴν αὐτὴν ἐνδεικνυμένων φιλοτιμίαν, τὰ μὴ δυνάμενα τῆς τιμῆς μεταλαμβάνειν· τῷ γε δοκεῖν τινα παρέχειν τῷ μηδενὸς προσδεομένῳ.

IV. Ἀλλὰ μὴν τό γε περὶ τὰς βρώσεις αὐτῶν ψοφοδεὲς, καὶ τὴν περὶ τὰ σάββατα δεισιδαιμονίαν, καὶ τὴν τῆς περιτομῆς ἀλαζονείαν, καὶ τὴν τῆς νηστείας καὶ νουμηνίας εἰρωνείαν, καταγέλαστα καὶ οὐδενὸς ἄξια λόγου, νομίζω σε χρῄζειν παρ' ἐμοῦ μαθεῖν. Τό τε γὰρ τῶν ὑπὸ τοῦ Θεοῦ κτισθέντων εἰς χρῆσιν ἀνθρώπων, ἃ μὲν ὡς καλῶς κτισθέντα παραδέχεσθαι, ἃ δ' ὡς ἄχρηστα καὶ περισσὰ παραιτεῖσθαι, πῶς θέμις ἐστί; Τὸ δὲ καταψεύδεσθαι Θεοῦ, ὡς κωλύοντος ἐν τῇ τῶν σαββάτων ἡμέρᾳ καλόν τι ποιεῖν, πῶς οὐκ ἀσεβές; Τὸ δὲ καὶ τὴν μείωσιν τῆς σαρκὸς μαρτύριον ἐκλογῆς ἀλαζονεύεσθαι, ὡς διὰ τοῦτο ἐξαιρέτως ἠγαπημένους ὑπὸ Θεοῦ, πῶς οὐ χλεύης ἄξιον; Τὸ δὲ παρεδρεύοντας αὐτοὺς ἄστροις καὶ σελήνῃ τὴν παρατήρησιν τῶν μηνῶν καὶ τῶν ἡμερῶν ποιεῖσθαι, καὶ τὰς οἰκονομίας Θεοῦ καὶ τὰς τῶν καιρῶν ἀλλαγὰς κατα-

---

5) Sic conjicio pro lectione Msc. εἰ Θεὸν ἕνα τῶν πάντων σέβειν καὶ δεσπότην ἀξιοῦσι φρονεῖν, quae, nisi torqueas, sensum non praebet. Possis etiam conjicere: ἀξίως φρονοῦσι.

διαιρεῖν πρὸς τὰς αὐτῶν ὁρμάς, ἃς μὲν εἰς ἑορτάς, ἃς δὲ εἰς πένθη·[6] τίς ἂν θεοσεβείας καὶ οὐκ ἀφροσύνης πολὺ πλέον ἡγήσεται τὸ δεῖγμα; Τῆς μὲν οὖν κοινῆς εἰκαιότητος καὶ ἀπάτης, καὶ τῆς Ἰουδαίων πολυπραγμοσύνης καὶ ἀλαζονείας ὅτι ὀρθῶς ἀπέχονται Χριστιανοί, ἀρκούντως σε νομίζω μεμαθηκέναι· τὸ δὲ τῆς ἰδίας αὐτῶν θεοσεβείας μυστήριον μὴ προσδοκήσῃς δύνασθαι παρὰ ἀνθρώπου μαθεῖν.

V. Χριστιανοὶ γὰρ οὔτε γῇ, οὔτε φωνῇ, οὔτε ἔθεσι διακεκριμένοι τῶν λοιπῶν εἰσιν ἀνθρώπων. Οὔτε γάρ που πόλεις ἰδίας κατοικοῦσιν, οὔτε διαλέκτῳ τινὶ παρηλλαγμένῃ χρῶνται, οὔτε βίον παράσημον ἀσκοῦσιν. Οὐ μὴν ἐπινοίᾳ τινὶ καὶ φροντίδι, πολυπραγμόνων ἀνθρώπων μαθήματι, τοῦτ' αὐτοῖς ἐστιν εἰρημένον,[7] οὐδὲ δόγματος ἀνθρωπίνου προεστᾶσιν, ὥσπερ ἔνιοι. Κατοικοῦντες δὲ πόλεις Ἑλληνίδας τε καὶ βαρβάρους, ὡς ἕκαστος ἐκληρώθη, ἐν τοῖς ἐγχωρίοις ἔθεσιν ἀκολουθοῦντες ἔν τε ἐσθῆτι καὶ διαίτῃ καὶ τῷ λοιπῷ βίῳ, θαυμαστὴν καὶ ὁμολογουμένως παράδοξον ἐνδείκνυνται τὴν κατάστασιν τῆς ἑαυτῶν πολιτείας. Πατρίδας οἰκοῦσιν ἰδίας, ἀλλ' ὡς πάροικοι. Μετέχουσι πάντων ὡς πολῖται· καὶ πάνθ' ὑπομένουσιν ὡς ξένοι. Πᾶσα ξένη πατρίς ἐστιν αὐτῶν, καὶ πᾶσα πατρὶς ξένη. Γαμοῦσιν ὡς πάντες, τεκνογονοῦσιν· ἀλλ' οὐ ῥίπτουσι τὰ γεννώμενα. Τράπεζαν κοινὴν παρατίθενται, ἀλλ' οὐ κοινήν.[8] Ἐν σαρκὶ τυγχάνουσιν, ἀλλ' οὐ κατὰ σάρκα ζῶσιν. Ἐπὶ γῆς διατρίβουσιν, ἀλλ' ἐν οὐρανῷ πολιτεύονται.[9] Πείθονται τοῖς ὡρισμένοις νόμοις, καὶ τοῖς ἰδίοις βίοις νικῶσι τοὺς νόμους. Ἀγαπῶσι πάντας, καὶ ὑπὸ πάντων διώκονται. Ἀγνοοῦνται, καὶ κατακρίνονται· θανατοῦνται, καὶ ζωοποιοῦνται. Πτωχεύουσι, καὶ πλουτίζουσι πολλούς· πάντων ὑστεροῦνται, καὶ ἐν πᾶσι περισσεύουσιν· ἀτιμοῦνται, καὶ ἐν ταῖς ἀτιμίαις δοξάζονται· βλασφημοῦνται, καὶ δικαιοῦνται· λοιδοροῦνται, καὶ εὐλογοῦσιν· ὑβρίζονται, καὶ τιμῶσιν. Ἀγαθοποιοῦντες, ὡς κακοὶ κολάζονται· κολαζόμενοι χαίρουσιν, ὡς

---

6) cf. Gal. 4, 10. Rom. 14, 5. 7) Haec codd. lectio, si recte interpungas, nulla emendatione eget. Al. μάθημα — εὑρημένον. 8) Al. κοίτην — al. κοίτην κοινήν. Non opus est mutatione; ludit autor duplici sensu vocis κοινός communem sed non pollutam. 9) cf. Rom. 8, 12 sqq. 2 Cor. 10, 3. Phil. 3, 18 sqq.

ζωοποιούμενοι.[10] *Ὑπὸ Ἰουδαίων ὡς ἀλλόφυλοι πολεμοῦνται, καὶ ὑπὸ Ἑλλήνων διώκονται· καὶ τὴν αἰτίαν τῆς ἔχθρας εἰπεῖν οἱ μισοῦντες οὐκ ἔχουσιν.*

VI. *Ἁπλῶς δ' εἰπεῖν, ὅπερ ἐστὶν ἐν σώματι ψυχή, τοῦτ' εἰσὶν ἐν κόσμῳ Χριστιανοί. Ἔσπαρται κατὰ πάντων τῶν τοῦ σώματος μελῶν ἡ ψυχή, καὶ Χριστιανοὶ κατὰ τὰς τοῦ κόσμου πόλεις. Οἰκεῖ μὲν ἐν τῷ σώματι ψυχή, οὐκ ἔστι δὲ ἐκ τοῦ σώματος· καὶ Χριστιανοὶ ἐν κόσμῳ οἰκοῦσιν, οὐκ εἰσὶ δὲ ἐκ τοῦ κόσμου.*[11] *Ἀόρατος ἡ ψυχὴ ἐν ὁρατῷ φρουρεῖται τῷ σώματι· καὶ Χριστιανοὶ γινώσκονται μὲν ὄντες*[12] *ἐν τῷ κόσμῳ, ἀόρατος δὲ αὐτῶν ἡ θεοσέβεια μένει. Μισεῖ τὴν ψυχὴν ἡ σὰρξ καὶ πολεμεῖ, μηδὲν ἀδικουμένη, διότι ταῖς ἡδοναῖς κωλύεται χρῆσθαι· μισεῖ καὶ Χριστιανοὺς ὁ κόσμος, μηδὲν ἀδικούμενος, ὅτι ταῖς ἡδοναῖς ἀντιτάσσονται. Ἡ ψυχὴ τὴν μισοῦσαν ἀγαπᾷ σάρκα καὶ τὰ μέλη· καὶ Χριστιανοὶ τοὺς μισοῦντας ἀγαπῶσιν.*[13] *Ἐγκέκλεισται μὲν ἡ ψυχὴ τῷ σώματι, συνέχει δὲ αὐτὴ τὸ σῶμα· καὶ Χριστιανοὶ κατέχονται μὲν ὡς ἐν φρουρᾷ τῷ κόσμῳ, αὐτοὶ δὲ συνέχουσι τὸν κόσμον. Ἀθάνατος ἡ ψυχὴ ἐν θνητῷ σκηνώματι κατοικεῖ·*[14] *καὶ Χριστιανοὶ παροικοῦσιν ἐν φθαρτοῖς, τὴν ἐν οὐρανοῖς ἀφθαρσίαν προσδεχόμενοι. Κακουργουμένη σιτίοις καὶ ποτοῖς ἡ ψυχὴ βελτιοῦται· καὶ Χριστιανοὶ κολαζόμενοι καθ' ἡμέραν πλεονάζουσι μᾶλλον. Εἰς τοσαύτην αὐτοὺς τάξιν ἔθετο ὁ Θεός, ἣν οὐ θεμιτὸν αὐτοῖς παραιτήσασθαι.*

VII. *Οὐ γὰρ ἐπίγειον, ὡς ἔφην, εὕρημα τοῦτ' αὐτοῖς παρεδόθη, οὐδὲ θνητὴν ἐπίνοιαν φυλάσσειν οὕτως ἀξιοῦσιν ἐπιμελῶς, οὐδὲ ἀνθρωπίνων οἰκονομίαν μυστηρίων πεπίστευνται· ἀλλ' αὐτὸς ἀληθῶς ὁ παντοκράτωρ καὶ παντοκτίστης καὶ ἀόρατος Θεός, αὐτὸς ἀπ' οὐρανῶν τὴν ἀλήθειαν καὶ τὸν λόγον τὸν ἅγιον καὶ ἀπερινόητον ἀνθρώποις ἐνίδρυσε, καὶ ἐγκατεστήριξε ταῖς καρδίαις αὐτῶν· οὐ, καθάπερ ἄν τις εἰκάσειεν, ἀνθρώποις ὑπηρέτην τινὰ πέμψας, ἢ ἄγγελον, ἢ ἄρχοντα, ἤ τινα τῶν διεπόντων τὰ ἐπίγεια,*

---

10) cf. 1 Cor. 4, 10 sqq. 2 Cor. 6, 9 sqq. 11) cf. Joh. 17, 11 sqq. 12) Msc. *μένοντες*. 13) Mth. 5, 44. Luc. 6, 27. 14) 2 Petr. 1, 13 sqq. 2 Cor. 5, 1 sqq. Sap. 9, 15.

ἤ τινα τῶν πεπιστευμένων τὰς ἐν οὐρανοῖς διοικήσεις, ἀλλ᾽ αὐτὸν τὸν τεχνίτην καὶ δημιουργὸν τῶν ὅλων, ᾧ τοὺς οὐρανοὺς ἔκτισεν, ᾧ τὴν θάλασσαν ἰδίοις ὅροις ἐνέκλεισεν· οὗ τὰ μυστήρια πιστῶς πάντα φυλάσσει τὰ στοιχεῖα· παρ᾽ οὗ τὰ μέτρα τῶν τῆς ἡμέρας δρόμων εἴληφε φυλάσσειν ὁ ἥλιος· ᾧ πειθαρχεῖ σελήνη νυκτὶ φαίνειν κελεύοντι· ᾧ πειθαρχεῖ τὰ ἄστρα, τῷ τῆς σελήνης ἀκολουθοῦντα δρόμῳ· ᾧ πάντα διατέτακται καὶ διώρισται καὶ ὑποτέτακται, οὐρανοὶ καὶ τὰ ἐν οὐρανοῖς, γῆ καὶ τὰ ἐν τῇ γῇ, θάλασσα καὶ τὰ ἐν τῇ θαλάσσῃ, πῦρ, ἀὴρ, ἄβυσσος, τὰ ἐν ὕψεσι, τὰ ἐν βάθεσι, τὰ ἐν τῷ μεταξύ. Τοῦτον πρὸς αὐτοὺς ἀπέστειλεν. Ἆρά γε, ὡς ἀνθρώπων ἄν τις λογίσαιτο, ἐπὶ τυραννίδι καὶ φόβῳ καὶ καταπλήξει; Οὐ μὲν οὖν· ἀλλ᾽ ἐν ἐπιεικείᾳ, πραΰτητι. Ὡς βασιλεὺς πέμπων υἱὸν βασιλέα ἔπεμψεν· ὡς Θεὸν ἔπεμψεν, ὡς πρὸς ἀνθρώπους ἔπεμψεν, ὡς σώζων ἔπεμψεν, ὡς πείθων, οὐ βιαζόμενος· βία γὰρ οὐ πρόσεστι τῷ Θεῷ. Ἔπεμψεν ὡς καλῶν, οὐ διώκων· ἔπεμψεν ὡς ἀγαπῶν, οὐ κρίνων. Πέμψει γὰρ αὐτὸν κρίνοντα· καὶ τίς αὐτοῦ τὴν παρουσίαν ὑποστήσεται;[15] [Οὐχ ὁρᾷς][16] παραβαλλομένους θηρίοις, ἵνα ἀρνήσωνται τὸν κύριον, καὶ μὴ νικωμένους; Οὐχ ὁρᾷς ὅσῳ πλείονες κολάζονται, τοσούτῳ πλεονάζοντας ἄλλους; Ταῦτα ἀνθρώπου οὐ δοκεῖ τὰ ἔργα· ταῦτα δύναμίς ἐστι Θεοῦ· ταῦτα τῆς παρουσίας αὐτοῦ δείγματα.

VIII. Τίς γὰρ ὅλως ἀνθρώπων ἠπίστατο, τί ποτ᾽ ἐστὶ Θεὸς, πρὶν αὐτὸν ἐλθεῖν; Ἢ τοὺς κενοὺς καὶ ληρώδεις ἐκείνων λόγους ἀποδέχῃ τῶν ἀξιοπίστων φιλοσόφων, ὧν οἱ μέν τινες πῦρ ἔφασαν εἶναι τὸν Θεὸν (οὗ μέλλουσι χωρήσειν αὐτοὶ, τοῦτο καλοῦσι Θεόν),[17] οἱ δὲ ὕδωρ, οἱ δὲ ἄλλο τι τῶν στοιχείων τῶν ἐκτισμένων ὑπὸ Θεοῦ; Καίτοι γε, εἴ τις τούτων τῶν λόγων ἀπόδεκτός ἐστι, δύναιτ᾽ ἂν καὶ τῶν λοιπῶν κτισμάτων ἓν ἕκαστον ὁμοίως ἀποφαίνεσθαι Θεόν. Ἀλλὰ ταῦτα μὲν τερατεία καὶ πλάνη τῶν γοήτων ἐστίν· ἀνθρώ-

---

15) Mal. 3, 2. 16) Inter verba: *ὑποστήσεται — παραβαλλομένους* lacuna, ut videtur amplior, intercedit. Sententiam e nexu bene explet Otto: Hic alter ejus adventus ab omnibus fidelibus expectatur, ita ut nulla mala sint, quibus ut Christo renuntient possint permoveri. Nonne vides etc. 17) Ipsi in ignem (aeternum) abituri, ignem deum vocant.

πων δὲ οὐδεὶς οὔτε εἶδεν, οὔτε ἐγνώρισεν· αὐτὸς δὲ ἑαυτὸν ἐπέδειξεν. Ἐπέδειξε δὲ διὰ πίστεως, ᾗ μόνῃ Θεὸν ἰδεῖν συγκεχώρηται. Ὁ γὰρ δεσπότης καὶ δημιουργὸς τῶν ὅλων Θεὸς, ὁ ποιήσας τὰ πάντα καὶ κατὰ τάξιν διακρίνας, οὐ μόνον φιλάνθρωπος ἐγένετο, ἀλλὰ καὶ μακρόθυμος. Ἀλλ' οὗτος ἦν μὲν ἀεὶ τοιοῦτος, καὶ ἔστι, καὶ ἔσται, χρηστὸς καὶ ἀγαθὸς καὶ ἀόργητος καὶ ἀληθής· καὶ μόνος ἀγαθός ἐστιν·[18] ἐννοήσας δὲ μεγάλην καὶ ἄφραστον ἔννοιαν, ἣν ἐκοινώσατο μόνῳ τῷ παιδί. Ἐν ὅσῳ μὲν οὖν κατεῖχεν ἐν μυστηρίῳ καὶ διετήρει τὴν σοφὴν αὐτοῦ βουλὴν, ἀμελεῖν ἡμῶν καὶ ἀφροντιστεῖν ἐδόκει· ἐπεὶ δὲ ἀπεκάλυψε διὰ τοῦ ἀγαπητοῦ παιδὸς, καὶ ἐφανέρωσε τὰ ἐξ ἀρχῆς ἡτοιμασμένα,[19] πάνθ' ἅμα παρέσχεν ἡμῖν,[20] καὶ μετασχεῖν εὐεργεσιῶν αὐτοῦ, καὶ ἰδεῖν καὶ ποιῆσαι. Τίς ἂν πώποτε προσεδόκησεν ἡμῶν; Πάντ' οὖν ᾔδει παρ' ἑαυτῷ σὺν τῷ παιδὶ οἰκονομικῶς.

IX. Μέχρι μὲν οὖν τοῦ πρόσθεν χρόνου εἴασεν ἡμᾶς, ὡς ἐβουλόμεθα, ἀτάκτοις φοραῖς φέρεσθαι, ἡδοναῖς καὶ ἐπιθυμίαις ἀπαγομένους· οὐ πάντως ἐφηδόμενος τοῖς ἁμαρτήμασιν ἡμῶν, ἀλλ' ἀνεχόμενος· οὐδὲ τῷ τότε τῆς ἀδικίας καιρῷ συνευδοκῶν, ἀλλὰ τὸν νοῦν τῆς δικαιοσύνης δημιουργῶν· ἵνα ἐν τῷ τότε χρόνῳ ἐλεγχθέντες ἐκ τῶν ἰδίων ἔργων ἀνάξιοι ζωῆς, νῦν ὑπὸ τῆς τοῦ Θεοῦ χρηστότητος ἀξιωθῶμεν· καὶ τὸ καθ' ἑαυτοὺς φανερώσαντες ἀδύνατον εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, τῇ δυνάμει τοῦ Θεοῦ δυνατοὶ γενηθῶμεν.[21] Ἐπεὶ δὲ πεπλήρωτο μὲν ἡ ἡμετέρα ἀδικία, καὶ τελείως πεφανέρωτο, ὅτι ὁ μισθὸς αὐτῆς κόλασις καὶ θάνατος προσεδοκᾶτο, ἦλθε δὲ ὁ καιρὸς, ὃν Θεὸς προέθετο λοιπὸν φανερῶσαι τὴν ἑαυτοῦ χρηστότητα καὶ δύναμιν, ὁ τῆς ὑπερβαλλούσης φιλανθρωπίας καὶ ἀγάπης Θεὸς[22] οὐκ ἐμίσησεν ἡμᾶς, οὐδὲ ἀπώ-

---

18) Mth. 19, 17. 19) 1 Cor. 2, 7—10. Eph. 3, 4 sqq. Col. 1, 26. 27. 20) Rom. 8, 32. 21) Rom. 3, 21—26. 5, 20. Gal. 4, 4. Eph. 2, 1—9. Tit. 3, 3—7. Joh. 3, 5. 22) Sic conjicio pro codd. lectione: ὡς τῆς ὑπερβαλλούσης φιλανθρωπίας μία ἀγάπη τοῦ Θεοῦ, quae, nisi torqueas, vix sensum praebet. Possis etiam mutare: ὡς vel ὢν ὑπερβαλλούσης φιλανθρωπίας καὶ ἀγάπης Θεὸς — vel: ὢ τῆς ὑπερβ. φιλ. κ. ἀγ. Θεοῦ — vel τοῦ Θεοῦ — vel οὔσης ὑπερβαλλούσης τῆς φιλανθρ. καὶ ἀγ. τοῦ Θεοῦ.

σατο, οὐδὲ ἐμνησικάκησεν, ἀλλὰ ἐμακροθύμησεν, ἠνέσχετο, αὐτὸς τὰς ἡμετέρας ἁμαρτίας ἀνεδέξατο·[23] αὐτὸς τὸν ἴδιον υἱὸν ἀπέδοτο λύτρον ὑπὲρ ἡμῶν,[24] τὸν ἅγιον ὑπὲρ ἀνόμων, τὸν ἄκακον ὑπὲρ τῶν κακῶν, τὸν δίκαιον ὑπὲρ τῶν ἀδίκων, τὸν ἄφθαρτον ὑπὲρ τῶν φθαρτῶν, τὸν ἀθάνατον ὑπὲρ τῶν θνητῶν. Τί γὰρ ἄλλο τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν ἠδυνήθη καλύψαι ἢ ἐκείνου δικαιοσύνη;[25] Ἐν τίνι δικαιωθῆναι δυνατὸν τοὺς ἀνόμους ἡμᾶς καὶ ἀσεβεῖς, ἢ ἐν μόνῳ τῷ υἱῷ τοῦ Θεοῦ; Ὢ τῆς γλυκείας ἀνταλλαγῆς, ὢ τῆς ἀνεξιχνιάστου δημιουργίας, ὢ τῶν ἀπροσδοκήτων εὐεργεσιῶν· ἵνα ἀνομία μὲν πολλῶν ἐν δικαίῳ ἑνὶ κρυβῇ, δικαιοσύνη δὲ ἑνὸς πολλοὺς ἀνόμους δικαιώσῃ.[26] Ἐλέγξας οὖν ἐν μὲν τῷ πρόσθεν χρόνῳ τὸ ἀδύνατον τῆς ἡμετέρας φύσεως εἰς τὸ τυχεῖν ζωῆς, νῦν δὲ τὸν σωτῆρα δείξας, δυνατὸν σώζειν καὶ τὰ ἀδύνατα, ἐξ ἀμφοτέρων ἐβουλήθη πιστεύειν ἡμᾶς τῇ χρηστότητι αὐτοῦ, αὐτὸν ἡγεῖσθαι τροφέα, πατέρα, διδάσκαλον, σύμβουλον, ἰατρὸν, νοῦν, φῶς, τιμὴν, δόξαν, ἰσχὺν, ζωήν· περὶ ἐνδύσεως καὶ τροφῆς μὴ μεριμνᾶν.[27]

X. Ταύτην καὶ σὺ τὴν πίστιν ἐὰν ποθήσῃς, καὶ λάβῃς πρῶτον μὲν ἐπίγνωσιν πατρός. Ὁ γὰρ Θεὸς τοὺς ἀνθρώπους ἠγάπησε, δι᾽ οὓς ἐποίησε τὸν κόσμον, οἷς ὑπέταξε πάντα τὰ ἐν τῇ γῇ, οἷς λόγον ἔδωκεν, οἷς νοῦν, οἷς μόνοις ἄνω πρὸς αὐτὸν ὁρᾶν ἐπέτρεψεν, οὓς ἐκ τῆς ἰδίας εἰκόνος ἔπλασε, πρὸς οὓς ἀπέστειλε τὸν υἱὸν αὐτοῦ τὸν μονογενῆ, οἷς τὴν ἐν οὐρανῷ βασιλείαν ἐπηγγείλατο, καὶ δώσει τοῖς ἀγαπήσασιν αὐτόν. Ἐπιγνοὺς δὲ, τίνος οἴει πληρωθήσεσθαι χαρᾶς; Ἢ πῶς ἀγαπήσεις τὸν οὕτως προαγαπήσαντά σε;[28] Ἀγαπήσας δὲ, μιμητὴς ἔσῃ αὐτοῦ τῆς χρηστότητος. Καὶ μὴ θαυμάσῃς, εἰ δύναται μιμητὴς ἄνθρωπος γενέσθαι Θεοῦ. Δύναται, θέλοντος αὐτοῦ. Οὐ γὰρ τὸ καταδυναστεύειν τῶν πλησίον, οὐδὲ τὸ πλέον ἔχειν βούλεσθαι τῶν ἀσθενεστέρων, οὐδὲ τὸ πλουτεῖν καὶ βιάζεσθαι τοὺς ὑποδεεστέρους, εὐδαιμονεῖν ἐστιν· οὐδὲ ἐν τούτοις δύναταί τις μιμήσασθαι Θεόν. Ἀλλὰ ταῦτα ἐκτὸς τῆς ἐκείνου μεγαλειότητος. Ἀλλ᾽ ὅστις τὸ τοῦ πλησίον ἀναδέχεται βάρος, ὃς, ἐν ᾧ κρείσσων

---

23) Jes. 53, 4. 11. 24) Mth. 20, 28. Rom. 8, 32. 25) Jac. 5, 20. 26) Rom. 5, 12 sqq. 27) Mth. 6, 25 sqq. 28) 1 Joh. 4, 11 sqq. 19 sqq.

ἐστὶν, ἕτερον τὸν ἐλαττούμενον εὐεργετεῖν ἐθέλει, ὅς, ἃ παρὰ τοῦ Θεοῦ λαβὼν ἔχει, ταῦτα τοῖς ἐπιδεομένοις χορηγῶν Θεὸς γίνεται τῶν λαμβανόντων· οὗτος μιμητής ἐστι Θεοῦ. Τότε θεάσῃ τυγχάνων ἐπὶ γῆς, ὅτι Θεὸς ἐν οὐρανοῖς πολιτεύεται· τότε μυστήρια Θεοῦ λαλεῖν ἄρξῃ· τότε τοὺς κολαζομένους ἐπὶ τῷ μὴ θέλειν ἀρνήσασθαι Θεὸν καὶ ἀγαπήσεις καὶ θαυμάσεις· τότε τῆς ἀπάτης τοῦ κόσμου καὶ τῆς πλάνης καταγνώσῃ, ὅταν τὸ ἀληθῶς ἐν οὐρανῷ ζῆν ἐπιγνώσῃ, ὅταν τοῦ δοκοῦντος ἐνθάδε θανάτου καταφρονήσῃς, ὅταν τὸν ὄντως θάνατον φοβηθῇς, ὃς φυλάσσεται τοῖς κατακριθησομένοις εἰς τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον, ὃ τοὺς παραδοθέντας αὐτῷ μέχρι τέλους κολάσει. Τότε τοὺς ὑπομένοντας ὑπὲρ δικαιοσύνης θαυμάσεις τὸ πῦρ τὸ πρόσκαιρον, καὶ μακαρίσεις, ὅταν ἐκεῖνο τὸ πῦρ ἐπιγνῷς.

XI. Οὐ ξένα ὁμιλῶ, οὐδὲ παραλόγως ζητῶ· ἀλλὰ ἀποστόλων γενόμενος μαθητὴς, γίνομαι διδάσκαλος ἐθνῶν. Τὰ παραδοθέντα ἀξίως ὑπηρετῶ γινομένοις ἀληθείας μαθηταῖς. Τίς γὰρ ὀρθῶς διδαχθεὶς, καὶ λόγῳ προσφιλεῖ γεννηθεὶς, οὐκ ἐπιζητεῖ σαφῶς μαθεῖν τὰ διὰ λόγου δειχθέντα φανερῶς μαθηταῖς, οἷς ἐφανέρωσεν ὁ λόγος φανεὶς, παῤῥησίᾳ λαλῶν, ὑπὸ ἀπίστων μὴ νοούμενος, μαθηταῖς δὲ διηγούμενος, οἳ, πιστοὶ λογισθέντες ὑπ᾽ αὐτοῦ, ἔγνωσαν πατρὸς μυστήρια; Οὗ χάριν ἀπέστειλε λόγον, ἵνα κόσμῳ φανῇ· ὃς, ὑπὸ λαοῦ ἀτιμασθεὶς, διὰ ἀποστόλων κηρυχθεὶς, ὑπὸ ἐθνῶν ἐπιστεύθη. Οὗτος ὁ ἀπ᾽ ἀρχῆς, ὁ καινὸς φανεὶς, καὶ παλαιὸς εὑρεθεὶς, καὶ πάντοτε νέος ἐν ἁγίων καρδίαις γεννώμενος. Οὗτος ὁ ἀεὶ, σήμερον υἱὸς λογισθείς; δι᾽ οὗ πλουτίζεται ἡ ἐκκλησία, καὶ χάρις ἁπλουμένη ἐν ἁγίοις πληθύνεται, παρέχουσα νοῦν, φανεροῦσα μυστήρια, διαγγέλλουσα καιροὺς, χαίρουσα ἐπὶ πιστοῖς, ἐπιζητοῦσι δωρουμένη, οἷς ὅρια πίστεως οὐ θραύεται, οὐδὲ ὅρια πατέρων παρορίζεται. Εἶτα φόβος νόμου ᾄδεται, καὶ προφητῶν χάρις γινώσκεται, καὶ εὐαγγελίων πίστις ἵδρυται, καὶ ἀποστόλων παράδοσις φυλάσσεται, καὶ ἐκκλησίας χάρις σκιρτᾷ. Ἣν χάριν μὴ λυπῶν ἐπιγνώσῃ, ἃ λόγος ὁμιλεῖ, δι᾽ ὧν βούλεται, ὅτε θέλει. Ὅσα γὰρ θελήματι τοῦ κελεύοντος λόγου ἐκινήθημεν ἐξειπεῖν μετὰ πόνου, ἐξ ἀγάπης τῶν ἀποκαλυφθέντων ἡμῖν γινόμεθα ὑμῖν κοινωνοί.

XII. Οἷς ἐντυχόντες καὶ ἀκούσαντες μετὰ σπουδῆς, εἴσεσθε, ὅσα παρέχει ὁ Θεὸς τοῖς ἀγαπῶσιν ὀρθῶς, οἱ γενόμενοι παράδεισος τρυφῆς,

πάγκαρπον ξύλον εὐθαλοῦν ἀνατείλαντες ἐν ἑαυτοῖς, ποικίλοις καρποῖς κεκοσμημένοι. Ἐν γὰρ τούτῳ τῷ χωρίῳ ξύλον γνώσεως καὶ ξύλον ζωῆς πεφύτευται· ἀλλ' οὐ τὸ τῆς γνώσεως ἀναιρεῖ, ἀλλ' ἡ παρακοὴ ἀναιρεῖ. Οὐδὲ γὰρ ἄσημα τὰ γεγραμμένα, ὡς Θεὸς ἀπ' ἀρχῆς ξύλον ζωῆς ἐν μέσῳ παραδείσου ἐφύτευσε, διὰ γνώσεως ζωὴν ἐπιδεικνύς· ᾗ μὴ καθαρῶς χρησάμενοι οἱ ἀπ' ἀρχῆς πλάνῃ τοῦ ὄφεως γεγύμνωνται. Οὐδὲ γὰρ ζωὴ ἄνευ γνώσεως, οὐδὲ γνῶσις ἀσφαλὴς ἄνευ ζωῆς ἀληθοῦς. Διὸ πλησίον ἑκάτερον πεφύτευται. Ἣν δύναμιν ἐνιδὼν ὁ ἀπόστολος, τήν τε ἄνευ ἀληθείας προστάγματος εἰς ζωὴν ἀσκουμένην γνῶσιν μεμφόμενος, λέγει· „ἡ γνῶσις φυσιοῖ, ἡ δὲ ἀγάπη οἰκοδομεῖ.“[29] Ὁ γὰρ νομίζων εἰδέναι τι ἄνευ γνώσεως ἀληθοῦς καὶ μαρτυρουμένης ὑπὸ τῆς ζωῆς, οὐκ ἔγνω, ὑπὸ τοῦ ὄφεως πλανᾶται, μὴ ἀγαπήσας τὸ ζῆν. Ὁ δὲ μετὰ φόβου ἐπιγνοὺς καὶ ζωὴν ἐπιζητῶν ἐπ' ἐλπίδι φυτεύει, καρπὸν προσδοκῶν. Ἤτω σοὶ καρδία γνῶσις· ζωὴ δὲ λόγος ἀληθής, χωρούμενος. Οὗ ξύλον φέρων, καὶ καρπὸν αἱρῶν, τρυγήσεις ἀεὶ τὰ παρὰ Θεῷ ποθούμενα· ὧν ὄφις οὐχ ἅπτεται, οὐδὲ πλάνη συγχωρίζεται· οὐδὲ Εὖα φθείρεται, ἀλλὰ παρθένος πιστεύεται· καὶ σωτήριον δείκνυται, καὶ ἀπόστολοι συνετίζονται, καὶ τὸ κυρίου πάσχα προέρχεται, καὶ κηροὶ συνάγονται,[30] καὶ μετὰ κόσμου ἁρμόζονται, καὶ διδάσκων ἁγίους ὁ λόγος εὐφραίνεται, δι' οὗ πατὴρ δοξάζεται· ᾧ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν.

---

29) 1 Cor. 8, 1. 30) cerei paschales.

PROLEGOMENA AD POLYCARPI

EPISTOLAM ET MARTYRIUM.

Fuit Polycarpus apostolorum, imprimis Joannis, auditor, et commercium habuit cum multis, qui Dominum ipsum viderant. A Joanne Smyrnaeae ecclesiae episcopus institutus est. Inter insignes veteris ecclesiae doctores elucet; de ipso non semel cum summa laude loquitur Irenaeus, discipulus ejus. cf. adv. haer. 3, 3. Euseb. h. eccl. 3, 36. 4, 14. 5, 20. Martyrium ejus testantur veteris ecclesiae scriptores fide dignissimi; de anno non convenit inter viros doctos, inter annos 147—178 p. Chr. chronologica ratio incerto gressu errat.

Epistola ejus tam certis documentis fulcitur, ut vix de ejus authentia dubium esse possit, quamvis argumentis levioris momenti a nonnullis addubitatur. Singula etiam loca epistolae spuria censentur; excepto cap. III, non possum iis assentiri, qui dubia moverunt. Nonnulla capita graeco sermone desunt, sed latine habentur in vetustissima versione. Penes veterem ecclesiam in magno honore haec epistola erat, ita ut ad Hieronymi usque tempora in publicis conventibus praelegeretur, quamvis a canone strenue excludebatur. Haec ipsa res interpolatori obicem opposuit.

Idem valet de Polycarpi martyrio, quod procul dubio vetustissimum est atque genuinum ecclesiae documentum. Totam fere Smyrnaeorum epistolam encyclicam de obitu episcopi ipsorum Eusebius historiae ecclesiasticae, quam scripsit,

inserendam putavit (4, 15). Scripta est non multum temporis post ipsum martyrium (cap. 18). Irenaeus apographon habuit, a quo nostri codices descripti sunt. Nonnulla cap. 22 seriore tempore addita esse, per se patet. Sepulcrum Polycarpi prope Smyrnam nunc etiam exstat. Amphitheatri, in quo mortem obiit, rudera supersunt.

Textum dedi virorum gravissimorum Hefelii et Dresselii (in editt. operum Patrum Apostolicorum) labores, exceptis paucis locis, in quibus dissentiendum putavi, secutus.

ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΠΟΛΥΚΑΡΠΟΥ

ΕΠΙΣΚΟΠΟΥ ΣΜΥΡΝΗΣ ΚΑΙ ΙΕΡΟΜΑΡΤΥΡΟΣ

ΠΡΟΣ

ΦΙΛΙΠΠΗΣΙΟΥΣ ΕΠΙΣΤΟΛΗ.

Πολύκαρπος καὶ οἱ σὺν αὐτῷ πρεσβύτεροι τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ τῇ παροικούσῃ[1] *Φιλίπποις· ἔλεος ὑμῖν καὶ εἰρήνη παρὰ Θεοῦ παντοκράτορος καὶ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν πληθυνθείη.*

I. *Συνεχάρην ὑμῖν μεγάλως ἐν κυρίῳ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστῷ, δεξαμένοις τὰ μιμήματα τῆς ἀληθοῦς ἀγάπης, καὶ προπέμψασιν, ὡς ἐπέβαλεν ὑμῖν, τοὺς ἐνειλημμένους τοῖς ἁγιοπρεπέσι δεσμοῖς, ἅτινά ἐστι διαδήματα τῶν ἀληθῶς ὑπὸ Θεοῦ καὶ τοῦ κυρίου ἡμῶν ἐκλελεγμένων· καὶ ὅτι ἡ βεβαία τῆς πίστεως ὑμῶν ῥίζα, ἐξ ἀρχαίων καταγγελλομένη χρόνων,*[2] *μέχρι νῦν διαμένει, καὶ καρποφορεῖ εἰς τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, ὃς ὑπέμεινεν ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν ἕως θανάτου καταντῆσαι, „ὃν ἤγειρεν ὁ Θεὸς, λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ ᾅδου."*[3] *„Εἰς ὃν οὐκ ἰδόντες πιστεύετε, [πιστεύοντες δὲ ἀγαλλιᾶσθε] χαρᾷ ἀνεκλαλήτῳ καὶ δεδοξασμένῃ"*[4] *εἰς ἣν πολλοὶ ἐπιθυμοῦσιν εἰσελθεῖν, εἰδότες, ὅτι „χάριτί ἐστε σεσωσμένοι, οὐκ ἐξ ἔργων," ἀλλὰ θελήματι Θεοῦ, διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ.*[5]

---

1) peregrinanti. 2) Phil. 1, 5. 3) Act. 2, 24. 4) 1 Petr. 1, 8. 5) Eph. 2, 8 sqq.

II. „Διὸ ἀναζωσάμενοι τὰς ὀσφύας ὑμῶν“ [6] „δουλεύσατε τῷ Θεῷ ἐν φόβῳ“ [7] καὶ ἀληθείᾳ, ἀπολιπόντες τὴν κενὴν ματαιολογίαν καὶ τὴν τῶν πολλῶν πλάνην, „πιστεύσαντες εἰς τὸν ἐγείραντα τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ἐκ νεκρῶν, καὶ δόντα αὐτῷ δόξαν“ [8] καὶ θρόνον ἐκ δεξιῶν αὐτοῦ· ᾧ ὑπετάγη τὰ πάντα ἐπουράνια καὶ ἐπίγεια· ᾧ πᾶσα πνοὴ λατρεύει· ὃς ἔρχεται κριτὴς ζώντων καὶ νεκρῶν· οὗ τὸ αἷμα ἐκζητήσει ὁ Θεὸς ἀπὸ τῶν ἀπειθούντων αὐτῷ. Ὁ δὲ ἐγείρας αὐτὸν ἐκ νεκρῶν καὶ ἡμᾶς ἐγερεῖ, [9] ἐὰν ποιῶμεν αὐτοῦ τὸ θέλημα, καὶ πορευώμεθα ἐν ταῖς ἐντολαῖς αὐτοῦ, καὶ ἀγαπῶμεν, ἃ ἠγάπησεν, ἀπεχόμενοι πάσης ἀδικίας, πλεονεξίας, φιλαργυρίας, καταλαλιᾶς, ψευδομαρτυρίας· „μὴ ἀποδιδόντες κακὸν ἀντὶ κακοῦ, ἢ λοιδορίαν ἀντὶ λοιδορίας,“ [10] ἢ γρόνθον ἀντὶ γρόνθου, ἢ κατάραν ἀντὶ κατάρας· μνημονεύοντες δὲ ὧν εἶπεν ὁ κύριος διδάσκων· μὴ κρίνετε, ἵνα μὴ κριθῆτε· [11] ἀφίετε, καὶ ἀφεθήσεται ὑμῖν. [12] ἐλεεῖτε, ἵνα ἐλεηθῆτε· [ἐν] ᾧ μέτρῳ μετρεῖτε, ἀντιμετρηθήσεται ὑμῖν·“ [13] καὶ ὅτι „μακάριοι οἱ πτωχοὶ καὶ οἱ διωκόμενοι ἕνεκεν δικαιοσύνης, ὅτι αὐτῶν ἐστιν ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ.“ [14]

III. Ταῦτα, ἀδελφοί, οὐκ ἐμαυτῷ ἐπιτρέψας γράφω ὑμῖν περὶ τῆς δικαιοσύνης· ἀλλ᾽ ἐπεὶ ὑμεῖς προεπεκαλέσασθέ με. Οὔτε γὰρ ἐγώ, οὔτε ἄλλος ὅμοιος ἐμοὶ δύναται κατακολουθῆσαι τῇ σοφίᾳ τοῦ μακαρίου καὶ ἐνδόξου Παύλου· ὃς γενόμενος ἐν ὑμῖν, κατὰ πρόσωπον τῶν τότε ἀνθρώπων ἐδίδαξεν ἀκριβῶς καὶ βεβαίως τὸν περὶ ἀληθείας λόγον· ὃς καὶ ἀπὼν ὑμῖν ἔγραψεν ἐπιστολάς, εἰς ἃς ἐὰν ἐγκύπτητε, δυνηθήσεσθε οἰκοδομεῖσθαι εἰς τὴν δοθεῖσαν ὑμῖν πίστιν, „ἥτις ἐστὶ μήτηρ πάντων ἡμῶν,“ [15] ἐπακολουθούσης τῆς ἐλπίδος, προαγούσης τῆς ἀγάπης, τῆς εἰς Θεὸν καὶ Χριστὸν καὶ εἰς τὸν πλησίον. Ἐὰν γάρ τις τούτων ἐντὸς ᾖ, πεπλήρωκεν ἐντολὴν δικαιοσύνης· ὁ γὰρ ἔχων ἀγάπην μακράν ἐστι πάσης ἁμαρτίας. **)

IV. „Ἀρχὴ δὲ πάντων χαλεπῶν φιλαργυρία.“ [16] Εἰδότες οὖν, ὅτι „οὐδὲν εἰσηνέγκαμεν εἰς τὸν κόσμον, ἀλλ᾽ οὐδὲ ἐξενεγκεῖν τι

---

6) Eph. 6, 14. 1 Petr. 1, 13. 7) Ps. 2, 11. 8) 1 Petr. 1, 21. 9) Rom. 8, 11. 1 Cor. 6, 14. 2 Cor. 4, 14. 10) 1 Petr. 3, 9. 11) Mth. 7, 1. 12) Mth. 6, 12 sqq. Luc. 6, 37. 13) Mth. 7, 2. Luc. 6, 38. 14) Luc. 6, 23. 15) Gal. 4, 26. 16) 1 Tim. 6, 7.

**) Non dubito, hoc caput interpolatori originem debere; interrumpit enim sententiarum nexum. In seqq. censeo proprie scriptum fuisse Ἀρχὴ γάρ.

ἔχομεν,"[17] ὁπλισώμεθα τοῖς ὅπλοις τῆς δικαιοσύνης,[18] καὶ διδάξωμεν ἑαυτοὺς πρῶτον, πορεύεσθαι ἐν τῇ ἐντολῇ τοῦ κυρίου· ἔπειτα καὶ τὰς γυναῖκας ὑμῶν ἐν τῇ δοθείσῃ αὐταῖς πίστει καὶ ἀγάπῃ καὶ ἁγνείᾳ, στεργούσας τοὺς ἑαυτῶν ἄνδρας ἐν πάσῃ ἀληθείᾳ, καὶ ἀγαπώσας πάντας ἐξ ἴσου ἐν πάσῃ ἐγκρατείᾳ, καὶ τὰ τέκνα παιδεύειν τὴν παιδείαν τοῦ φόβου τοῦ Θεοῦ· τὰς χήρας σωφρονούσας περὶ τὴν τοῦ κυρίου πίστιν, ἐντυγχανούσας ἀδιαλείπτως περὶ πάντων, μακρὰν οὔσας πάσης διαβολῆς, καταλαλιᾶς, ψευδομαρτυρίας, φιλαργυρίας καὶ παντὸς κακοῦ· γινωσκούσας, ὅτι εἰσὶ θυσιαστήριον Θεοῦ, καὶ ὅτι πάντα μωμοσκοπεῖται,[19] καὶ λέληθεν αὐτὸν οὐδὲν, οὔτε λογισμῶν, οὔτε ἐννοιῶν, οὔτε τι τῶν κρυπτῶν τῆς καρδίας.

V. *Εἰδότες οὖν*, ὅτι „Θεὸς οὐ μυκτηρίζεται,"[20] ὀφείλομεν ἀξίως τῆς ἐντολῆς αὐτοῦ καὶ δόξης περιπατεῖν. Ὁμοίως διάκονοι ἄμεμπτοι κατενώπιον αὐτοῦ τῆς δικαιοσύνης, ὡς Θεοῦ καὶ Χριστοῦ διάκονοι, καὶ οὐκ ἀνθρώπων· μὴ διάβολοι, μὴ δίλογοι, ἀφιλάργυροι, ἐγκρατεῖς περὶ πάντα, εὔσπλαγχνοι, ἐπιμελεῖς, πορευόμενοι κατὰ τὴν ἀλήθειαν τοῦ κυρίου, ὃς ἐγένετο διάκονος πάντων·[21] ᾧ ἐὰν εὐαρεστήσωμεν ἐν τῷ νῦν αἰῶνι, ἀποληψόμεθα καὶ τὸν μέλλοντα, καθὼς ὑπέσχετο ἡμῖν ἐγεῖραι ἡμᾶς ἐκ νεκρῶν, καὶ ὅτι ἐὰν πολιτευσώμεθα ἀξίως αὐτοῦ, „καὶ συμβασιλεύσομεν"[22] αὐτῷ, εἴγε πιστεύομεν. Ὁμοίως καὶ νεώτεροι ἄμεμπτοι ἐν πᾶσι, πρὸ παντὸς προνοοῦντες ἁγνείας, καὶ χαλιναγωγοῦντες ἑαυτοὺς ἀπὸ παντὸς κακοῦ. Καλὸν γὰρ τὸ ἀνακόπτεσθαι[23] ἀπὸ τῶν ἐπιθυμιῶν ἐν τῷ κόσμῳ, ὅτι πᾶσα „ἐπιθυμία κατὰ τοῦ πνεύματος στρατεύεται·"[24] καὶ „οὔτε πόρνοι, οὔτε μαλακοὶ, οὔτε ἀρσενοκοῖται βασιλείαν Θεοῦ κληρονομήσουσιν,"[25] οὔτε οἱ ποιοῦντες τὰ ἄτοπα. Διὸ δέον ἀπέχεσθαι ἀπὸ πάντων τούτων, ὑποτασσομένους τοῖς πρεσβυτέροις καὶ διακόνοις, ὡς Θεῷ καὶ Χριστῷ· τὰς παρθένους ἐν ἀμώμῳ καὶ ἁγνῇ συνειδήσει περιπατεῖν.

---

17) 1 Tim. 6, 7. 18) Eph. 6, 11. 19) proprie de hostiis: investigare, num sint sine macula. 20) Gal. 6, 7. 21) Mth. 20, 28. 22) Phil. 1, 27. 2 Tim. 2, 12. 23) Al. ἀνακύπτεσθαι, emergere. 24) 1 Petr. 2, 11. 25) 1 Cor. 6, 9 sq.

VI. *Καὶ οἱ πρεσβύτεροι δὲ εὔσπλαγχνοι, εἰς πάντας ἐλεήμονες, ἐπιστρέφοντες τὰ ἀποπεπλανημένα, ἐπισκεπτόμενοι πάντας ἀσθενεῖς, μὴ ἀμελοῦντες χήρας, ἢ ὀρφανοῦ, ἢ πένητος· ἀλλὰ „προνοοῦντες ἀεὶ τοῦ καλοῦ ἐνώπιον Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων,“*[26] *ἀπεχόμενοι πάσης ὀργῆς, προσωποληψίας, κρίσεως ἀδίκου· μακρὰν ὄντες πάσης φιλαργυρίας· μὴ ταχέως πιστεύοντες κατά τινος· μὴ ἀπότομοι ἐν κρίσει, εἰδότες, ὅτι πάντες ὀφειλέται ἐσμὲν ἁμαρτίας. Εἰ οὖν δεόμεθα τοῦ κυρίου, ἵνα ἡμῖν ἀφῇ,*[27] *ὀφείλομεν καὶ ἡμεῖς ἀφιέναι· ἀπέναντι γὰρ τῶν τοῦ κυρίου καὶ Θεοῦ ἐσμεν ὀφθαλμῶν, καὶ „πάντας δεῖ παραστῆναι τῷ βήματι τοῦ Χριστοῦ, καὶ ἕκαστον ὑπὲρ ἑαυτοῦ λόγον δοῦναι.“*[28] *Οὕτως οὖν δουλεύσωμεν αὐτῷ μετὰ φόβου καὶ πάσης εὐλαβείας, καθὼς αὐτὸς ἐνετείλατο, καὶ οἱ εὐαγγελισάμενοι ὑμᾶς ἀπόστολοι, καὶ οἱ προφῆται, οἱ προκηρύξαντες τὴν ἔλευσιν τοῦ κυρίου ἡμῶν· ζηλωταὶ περὶ τὸ καλὸν, ἀπεχόμενοι τῶν σκανδάλων καὶ τῶν ψευδαδέλφων καὶ τῶν ἐν ὑποκρίσει φερόντων τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου, οἵτινες ἀποπλανῶσι κενοὺς ἀνθρώπους.*

VII. *„Πᾶς γὰρ, ὃς ἂν μὴ ὁμολογῇ, Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθέναι, ἀντίχριστός ἐστι·“*[29] *καὶ ὃς ἂν μὴ ὁμολογῇ τὸ μαρτύριον*[30] *τοῦ σταυροῦ, ἐκ τοῦ διαβόλου ἐστί· καὶ ὃς ἂν μεθοδεύῃ τὰ λόγια τοῦ κυρίου πρὸς τὰς ἰδίας ἐπιθυμίας, καὶ λέγῃ, μήτε ἀνάστασιν μήτε κρίσιν εἶναι, οὗτος πρωτότοκός ἐστι τοῦ Σατανᾶ. Διὸ ἀπολιπόντες τὴν ματαιότητα τῶν πολλῶν καὶ τὰς ψευδοδιδασκαλίας, ἐπὶ τὸν ἐξ ἀρχῆς ἡμῖν παραδοθέντα λόγον ἐπιστρέψωμεν, „νήφοντες πρὸς τὰς εὐχὰς,“*[31] *καὶ προσκαρτεροῦντες νηστείαις, δεήσεσιν αἰτούμενοι τὸν παντεπόπτην Θεὸν, μὴ εἰσενεγκεῖν ἡμᾶς εἰς πειρασμὸν,*[32] *καθὼς εἶπεν ὁ κύριος· „τὸ μὲν πνεῦμα πρόθυμον, ἡ δὲ σὰρξ ἀσθενής.“*[33]

VIII. *Ἀδιαλείπτως οὖν προσκαρτερῶμεν τῇ ἐλπίδι ἡμῶν καὶ τῷ ἀῤῥαβῶνι τῆς δικαιοσύνης ἡμῶν, ὅς ἐστι Χριστὸς Ἰησοῦς, „ὃς ἀνήνεγκεν ἡμῶν τὰς ἁμαρτίας τῷ ἰδίῳ σώματι ἐπὶ τὸ ξύλον,“*[34]

---

26) Rom. 12, 17. 2 Cor. 8, 21. 27) Mth. 6, 12. 28) Rom. 14, 10. 12. 29) 1 Joh. 4, 3. 30) *μυστήριον.* 31) 1 Petr. 4, 7. 32) Mth. 6, 13. 33) Mth. 26, 41. Mc. 14, 38. 34) 1 Petr. 2, 24.

„ὃς ἁμαρτίαν οὐκ ἐποίησεν, οὐδὲ εὑρέθη δόλος ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ·“ [35] ἀλλὰ δι' ἡμᾶς, ἵνα ζήσωμεν ἐν αὐτῷ, πάντα ὑπέμεινε. Μιμηταὶ οὖν γενώμεθα τῆς ὑπομονῆς αὐτοῦ· καὶ ἐὰν πάσχωμεν διὰ τὸ ὄνομα αὐτοῦ, δοξάζωμεν αὐτόν. Τοῦτον γὰρ ἡμῖν τὸν ὑπογραμμὸν ἔθηκε δι' ἑαυτοῦ, καὶ ἡμεῖς τοῦτο ἐπιστεύσαμεν.

IX. Παρακαλῶ οὖν πάντας ἡμᾶς πειθαρχεῖν τῷ λόγῳ τῆς δικαιοσύνης, καὶ ἀσκεῖν πᾶσαν ὑπομονὴν, ἣν καὶ ἴδετε κατ' ὀφθαλμοὺς, οὐ μόνον ἐν τοῖς μακαρίοις Ἰγνατίῳ καὶ Ζωσίμῳ καὶ Ῥούφῳ, ἀλλὰ καὶ ἐν ἄλλοις τοῖς ἐξ ὑμῶν, [36] καὶ ἐν αὐτῷ Παύλῳ καὶ τοῖς λοιποῖς ἀποστόλοις· πεπεισμένους, ὅτι οὗτοι πάντες οὐκ εἰς κενὸν ἔδραμον, [37] ἀλλ' ἐν πίστει καὶ δικαιοσύνῃ· καὶ ὅτι εἰς τὸν ὀφειλόμενον αὐτοῖς τόπον εἰσὶ παρὰ τῷ κυρίῳ, ᾧ καὶ συνέπαθον. Οὐ γὰρ τὸν νῦν ἠγάπησαν αἰῶνα, ἀλλὰ τὸν ὑπὲρ ἡμῶν ἀποθανόντα, καὶ δι' ἡμᾶς ὑπὸ [τοῦ Θεοῦ ἀνασταθέντα.] [38]

X. In his ergo state, et Domini exemplar sequimini, firmi in fide et immutabiles, fraternitatis amatores, diligentes invicem, in veritate sociati, mansuetudinem Domini alterutri praestantes, nullum despicientes. Quum potestis benefacere, nolite differre, quia *eleemosyna de morte liberat.* [39] Omnes vobis invicem subjecti estote, *conversationem vestram irreprehensibilem habentes in gentibus,* [40] ut ex bonis operibus vestris et vos laudem accipiatis, et Dominus in vobis non blasphemetur. Vae autem illi, per quem nomen Domini blasphematur. Sobrietatem ergo docete omnes; in qua et vos conversamini.

XI. Nimis contristatus sum pro Valente, qui presbyter factus est aliquando apud vos; quod sic ignoret is locum, qui datus est ei. Moneo itaque vos, ut abstineatis ab avaritia, et sitis casti et veraces. Abstinete vos ab omni malo. Qui autem

---

35) ib. 22. 36) ἡμῶν. 37) Gal. 2, 2. Phil. 2, 16. 38) Inde a voce ὑπὸ graeca desunt; verba uncis inclusa ex Eusebio, qui totum caput citat, suppleta. Reliqua capita praeter XIII in versione admodum vetusta latina tantum exstant. 39) Tob. 4, 10. 12, 9. 40) 1 Petr. 2, 12.

in his non potest se gubernare, quomodo alii hoc pronuntiat? Si quis non abstinuerit se ab avaritia, ab idololatria coinquinabitur, et tamquam inter gentes judicabitur. Qui autem ignorant judicium Domini? *An nescimus, quia sancti mundum judicabunt?*[41] sicut Paulus docet. Ego autem nihil tale sensi in vobis, vel audivi, in quibus laboravit beatus Paulus, qui estis in principio ecclesiae [ejus].[42] De vobis etenim gloriatur in omnibus ecclesiis, quae Deum solae tunc cognoverant; nos autem nondum noveramus. Valde ergo, fratres, contristor pro illo et pro conjuge ejus; quibus det Dominus poenitentiam veram. Sobrii ergo estote et vos in hoc; *et non sicut inimicos tales existimetis,*[43] sed sicut passibilia membra et errantia eos revocate, ut omnium vestrum corpus salvetis. Hoc enim agentes, vos ipsos aedificatis.

XII. Confido enim vos bene exercitatos esse in sacris literis, et nihil vos latet; mihi autem non est concessum. Modo, ut his scripturis dictum est, *irascimini et nolite peccare,*[44] et *sol non occidat super iracundiam vestram.*[45] Beatus, qui meminerit; quod ego credo esse in vobis. Deus autem et Pater Domini nostri Jesu Christi, et ipse sempiternus pontifex, Dei filius Jesus Christus, aedificet vos in fide et veritate, et in omni mansuetudine, et sine iracundia, et in patientia et longanimitate et tolerantia et castitate; et det vobis sortem et partem inter sanctos suos, et nobis vobiscum et omnibus, qui sunt sub coelo, qui credituri sunt in Dominum nostrum Jesum Christum et in ipsius Patrem, qui *resuscitavit eum a mortuis.*[46] Pro omnibus sanctis orate. Orate etiam pro regibus et potestatibus et principibus, atque pro persequentibus et odientibus vos, et pro inimicis crucis; ut fructus vester manifestus sit in omnibus, ut sitis in illo perfecti.

---

41) 1 Cor. 6, 2. 42) Al. qui estis [laudati] in principio epistolae ejus Phil. 1, 5 sq. 43) 2 Thess. 3, 15. 44) Ps. 4, 5. 45) Eph. 4, 26. Locus, ut apparet, corruptus. 46) Gal. 1, 1.

XIII. [47]*Ἐγράψατέ μοι καὶ ὑμεῖς καὶ Ἰγνάτιος, ἵνα, ἐάν τις ἀπέρχηται εἰς Συρίαν, καὶ τὰ παρ᾽ ὑμῶν ἀποκομίσῃ γράμματα· ὅπερ ποιήσω, ἐὰν λάβω καιρὸν εὔθετον, εἴτε ἐγὼ, εἴτε ὃν πέμψω πρεσβεύσοντα καὶ περὶ ὑμῶν. Τὰς ἐπιστολὰς Ἰγνατίου τὰς πεμφθείσας ἡμῖν ὑπ᾽ αὐτοῦ, καὶ ἄλλας, ὅσας εἴχομεν παρ᾽ ἡμῖν, ἐπέμψαμεν ὑμῖν, καθὼς ἐνετείλασθε· αἵτινες ὑποτεταγμέναι εἰσὶ τῇ ἐπιστολῇ ταύτῃ· ἐξ ὧν μεγάλα ὠφεληθῆναι δυνήσεσθε. Περιέχουσι γὰρ πίστιν καὶ ὑπομονὴν καὶ πᾶσαν οἰκοδομὴν, τὴν εἰς τὸν κύριον ἡμῶν ἀνήκουσαν.* Et de ipso Ignatio, et de his, qui cum eo sunt, quod certius agnoveritis, significate.

XIV. Haec vobis scripsi per Crescentem, quem in praesentem diem commendavi vobis, et nunc commendo. Conversatus est enim nobiscum inculpabiliter; credo quia et vobiscum similiter. Sororem autem ejus habebitis commendatam, quum venerit ad vos. Incolumes estote in Domino Jesu Christo. Gratia cum omnibus vobis. Amen.

ΤΗΣ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΕΚΚΛΗΣΙΑΣ

ΠΕΡΙ

ΜΑΡΤΥΡΙΟΥ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΠΟΛΥΚΑΡΠΟΥ

ΕΠΙΣΤΟΛΗ ΕΓΚΥΚΛΙΟΣ.

Ἡ ἐκκλησία τοῦ Θεοῦ, ἡ παροικοῦσα Σμύρναν, τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ, τῇ παροικούσῃ ἐν Φιλομηλίῳ,[1] *καὶ πάσαις ταῖς κατὰ πάντα τόπον τῆς ἁγίας καὶ καθολικῆς ἐκκλησίας παροικίαις· ἔλεος, εἰρήνη, καὶ ἀγάπη ἀπὸ Θεοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ πληθυνθείη.*

I. *Ἐγράψαμεν ὑμῖν, ἀδελφοὶ, τὰ κατὰ τοὺς μαρτυρήσαντας καὶ τὸν μακάριον Πολύκαρπον, ὅστις ὥσπερ ἐπισφραγίσας τῇ μαρ-*

---

47) Eus. h. e. III. 36. 1) *Φιλαδελφίᾳ.*

τυρίᾳ αὐτοῦ κατέπαυσε τὸν διωγμόν. Σχεδὸν γὰρ πάντα τὰ προάγοντα ἐγένετο, ἵνα ἡμῖν ὁ κύριος ἄνωθεν ἐπιδείξῃ τὸ κατὰ τὸ εὐαγγέλιον μαρτύριον. Περιέμενεν γὰρ, ἵνα παραδοθῇ, ὡς καὶ ὁ κύριος, ἵνα μιμηταὶ καὶ ἡμεῖς αὐτοῦ γενώμεθα, μὴ μόνον σκοποῦντες τὸ καθ' ἑαυτοὺς, ἀλλὰ καὶ τὸ κατὰ τοὺς πέλας. Ἀγάπης γὰρ ἀληθοῦς καὶ βεβαίας ἐστὶν, μὴ μόνον ἑαυτὸν θέλειν σώζεσθαι, ἀλλὰ καὶ πάντας τοὺς ἀδελφούς.

II. Μακάρια μὲν οὖν καὶ γενναῖα τὰ μαρτύρια πάντα, τὰ κατὰ τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ γεγονότα. Δεῖ γὰρ εὐλαβεστέρους ἡμᾶς ὑπάρχοντας, τῷ Θεῷ τὴν κατὰ πάντων ἐξουσίαν ἀνατιθέναι. Τὸ γὰρ γενναῖον αὐτῶν καὶ ὑπομονητικὸν καὶ φιλοδέσποτον τίς οὐκ ἂν θαυμάσειεν; οἳ μάστιξι μὲν καταξανθέντες, ὥστε μέχρι τῶν ἔσω φλεβῶν καὶ ἀρτηριῶν τὴν τῆς σαρκὸς οἰκονομίαν θεωρεῖσθαι, ὑπέμειναν, ὡς καὶ τοὺς περιεστῶτας ἐλεεῖν καὶ ὀδύρεσθαι· αὐτοὺς δὲ καὶ εἰς τοσοῦτον γενναιότητος ἐλθεῖν, ὥστε μήτε γρύξαι μήτε στενάξαι τινὰ αὐτῶν, ἐπιδεικνυμένους ἅπασιν ἡμῖν, ὅτι ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ βασανιζόμενοι, τῆς σαρκὸς ἀπεδήμουν οἱ μάρτυρες τοῦ Χριστοῦ, μᾶλλον δὲ, ὅτι παρεστὼς ὁ κύριος ὡμίλει αὐτοῖς. Καὶ προσέχοντες τῇ τοῦ Χριστοῦ χάριτι τῶν κοσμικῶν κατεφρόνουν βασάνων, διὰ μιᾶς ὥρας τὴν αἰώνιον κόλασιν ἐξαγοραζόμενοι. Καὶ τὸ πῦρ ἦν αὐτοῖς ψυχρὸν τὸ τῶν ἀπηνῶν βασανιστῶν. Πρὸ ὀφθαλμῶν γὰρ εἶχον φυγεῖν τὸ αἰώνιον καὶ μηδέποτε σβεννύμενον πῦρ, καὶ τοῖς τῆς καρδίας ὀφθαλμοῖς ἀνέβλεπον τὰ τηρούμενα τοῖς ὑπομείνασιν ἀγαθὰ, „ἃ οὔτε οὖς ἤκουσεν, οὔτε ὀφθαλμὸς ἴδεν, οὔτε ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπου ἀνέβη,“[2] ἐκείνοις δὲ ὑπεδείκνυτο ὑπὸ τοῦ κυρίου, οἵπερ μηκέτι ἄνθρωποι, ἀλλ' ἤδη ἄγγελοι ἦσαν. Ὁμοίως δὲ καὶ εἰς τὰ θηρία κριθέντες ὑπέμειναν δεινὰς κολάσεις, κήρυκας[3] μὲν ὑποστρωννύμενοι, καὶ ἄλλαις ποικίλαις βασάνοις κολαφιζόμενοι, ἵνα, εἰ δυνηθείη, ὁ τύραννος διὰ τῆς ἐπιμόνου κολάσεως εἰς ἄρνησιν αὐτοὺς τρέψῃ.

III. Πολλὰ γὰρ ἐμηχανᾶτο κατ' αὐτῶν ὁ διάβολος. Ἀλλὰ χάρις τῷ Θεῷ· κατὰ πάντων γὰρ οὐκ ἴσχυσεν. Ὁ γὰρ γενναιό-

2) 1 Cor. 2, 9. 3) κήρυκες, murices, Meerschnecken; fortasse genus tormentorum? Nisi fortasse legendum κερκίδας, super paxillos (Pflöcke) prostrati.

τατος Γερμανικὸς ἐπεῤῥώννυεν αὐτῶν τὴν δειλίαν διὰ τῆς ἐν αὐτῷ ὑπομονῆς· ὃς καὶ ἐπισήμως ἐθηριομάχησεν. Βουλομένου γὰρ τοῦ ἀνθυπάτου πείθειν αὐτὸν, καὶ λέγοντος, τὴν ἡλικίαν αὐτοῦ κατοικτεῖραι, ἑαυτῷ ἐπεσπάσατο τὸ θηρίον προσβιασάμενος, τάχιον τοῦ ἀδίκου καὶ ἀνόμου βίου αὐτῶν ἀπαλλαγῆναι βουλόμενος. Ἐκ τούτου οὖν πᾶν τὸ πλῆθος, θαυμάσαν τὴν γενναιότητα τοῦ θεοφιλοῦς καὶ θεοσεβοῦς γένους τῶν Χριστιανῶν, ἐπεβόησεν· „αἶρε τοὺς ἀθέους· ζητείσθω Πολύκαρπος."

IV. Εἷς δὲ, ὀνόματι Κόϊντος, Φρὺξ, προσφάτως ἐληλυθὼς ἀπὸ τῆς Φρυγίας, ἰδὼν τὰ θηρία ἐδειλίασεν. Οὗτος δὲ ἦν ὁ παραβιασάμενος ἑαυτόν τε καί τινας προσελθεῖν ἑκόντας. Τοῦτον ὁ ἀνθύπατος, πολλὰ ἐκλιπαρήσας, ἔπεισεν ὀμόσαι καὶ ἐπιθύσαι. Διὰ τοῦτο οὖν, ἀδελφοὶ, οὐκ ἐπαινοῦμεν τοὺς προδιδόντας ἑαυτούς· ἐπειδὴ οὐχ' οὕτως διδάσκει τὸ εὐαγγέλιον.

V. Ὁ δὲ θαυμασιώτατος Πολύκαρπος, τὸ μὲν πρῶτον ἀκούσας οὐκ ἐταράχθη, ἀλλ' ἐβούλετο κατὰ πόλιν μένειν· οἱ δὲ πλείους ἔπειθον αὐτὸν ὑπεξελθεῖν. Καὶ ὑπεξῆλθεν εἰς ἀγρίδιον, οὐ μακρὰν ἀπέχον ἀπὸ τῆς πόλεως· καὶ διέτριβε μετ' ὀλίγων, νύκτα καὶ ἡμέραν οὐδὲν ἕτερον ποιῶν, ἢ προσευχόμενος περὶ πάντων, καὶ τῶν κατὰ τὴν οἰκουμένην ἐκκλησιῶν· ὅπερ ἦν σύνηθες αὐτῷ. Καὶ προσευχόμενος ἐν ὀπτασίᾳ γέγονε πρὸ τριῶν ἡμερῶν τοῦ συλληφθῆναι αὐτόν· καὶ εἶδεν προσκεφάλαιον αὐτοῦ ὑπὸ πυρὸς κατακαιόμενον. Καὶ στραφεὶς εἶπεν πρὸς τοὺς συνόντας αὐτῷ προφητικῶς· „δεῖ με ζῶντα καυθῆναι."

VI. Καὶ ἐπιμενόντων τῶν ζητούντων αὐτὸν, μετέβη εἰς ἕτερον ἀγρίδιον· καὶ εὐθέως ἐπέστησαν οἱ ζητοῦντες αὐτόν. Καὶ μὴ εὑρόντες, συνελάβοντο παιδάρια δύο, ὧν τὸ ἕτερον βασανιζόμενον ὡμολόγησεν. Ἦν γὰρ καὶ ἀδύνατον λαθεῖν αὐτὸν, ἐπεὶ καὶ οἱ προδιδόντες αὐτὸν οἰκεῖοι ὑπῆρχον. Καὶ ὁ εἰρήναρχος, ὁ καὶ κληρονόμος, τὸ αὐτὸ ὄνομα, Ἡρώδης ἐπιλεγόμενος, ἔσπευδεν εἰς τὸ στάδιον αὐτὸν εἰσαγαγεῖν· ἵνα ἐκεῖνος μὲν τὸν ἴδιον κλῆρον ἀπαρτίσῃ, Χριστοῦ κοινωνὸς γενόμενος· οἱ δὲ προδόντες αὐτὸν τὴν αὐτοῦ τοῦ Ἰούδα ὑπόσχοιεν τιμωρίαν.

VII. *Ἔχοντες οὖν τὸ παιδάριον, τῇ παρασκευῇ, δείπνου ὥρᾳ, ἐξῆλθον διωγμῖται καὶ ἱππεῖς, μετὰ τῶν συνήθων αὐτοῖς ὅπλων, „ὡς ἐπὶ λῃστὴν τρέχοντες.“*[4] *Καὶ ὀψὲ τῆς ὥρας συνεπελθόντες, ἐκεῖνον μὲν εὗρον ἔν τινι δωματίῳ κατακείμενον, ἐν ὑπερῴῳ· κἀκεῖθεν ἠδύνατο εἰς ἕτερον χωρίον ἀπελθεῖν, ἀλλ' οὐκ ἐβουλήθη, εἰπών· „τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ γενέσθω.“*[5] *Ἀκούσας οὖν αὐτοὺς παρόντας, καὶ καταβὰς, διελέχθη αὐτοῖς· θαυμαζόντων τῶν παρόντων τὴν ἡλικίαν αὐτοῦ καὶ τὸ εὐσταθὲς. Τινὲς ἔλεγον· ἡ τοσαύτη σπουδὴ, ἡ τοῦ συλληφθῆναι τοιοῦτον πρεσβύτην ἄνδρα ἦν;*[6] *Εὐθέως οὖν αὐτοῖς ἐκέλευσε παρατεθῆναι φαγεῖν καὶ πιεῖν ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ, ὅσον ἂν βούλωνται· ἐξῃτήσατο δὲ αὐτοὺς, ἵνα δῶσιν αὐτῷ ὥραν πρὸς τὸ προσεύξασθαι ἀδεῶς. Τῶν δὲ ἐπιτρεψάντων, σταθεὶς προσηύξατο, πλήρης ὢν τῆς χάριτος τοῦ Θεοῦ, οὕτως, ὥστε ἐπὶ δύο ὥρας μὴ δύνασθαι σιωπῆσαι, καὶ ἐκπλήττεσθαι τοὺς ἀκούοντας, πολλούς τε μετανοεῖν ἐπὶ τῷ ἐληλυθέναι ἐπὶ τοιοῦτον θεοπρεπῆ πρεσβύτην.*

VIII. *Ὡς δὲ κατέπαυσε τὴν προσευχὴν, μνημονεύσας ἁπάντων καὶ τῶν πώποτε συμβεβηκότων αὐτῷ, μικρῶν τε καὶ μεγάλων, ἐνδόξων τε καὶ ἀδόξων, καὶ ἁπάσης τῆς κατὰ τὴν οἰκουμένην καθολικῆς ἐκκλησίας, τῆς ὥρας ἐλθούσης τοῦ ἐξιέναι, ἐν ὄνῳ καθίσαντες αὐτὸν, ἦγον εἰς τὴν πόλιν, ὄντος σαββάτου μεγάλου. Καὶ ὑπήντα αὐτῷ ὁ εἰρήναρχος Ἡρώδης καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ Νικήτης ἐπὶ τὸ ὄχημα, οἳ καὶ μεταθέντες αὐτὸν ἐπὶ τὴν καροῦχαν, ἔπειθον παρακαθεζόμενοι καὶ λέγοντες· „τί γὰρ κακόν ἐστιν εἰπεῖν, κύριος Καῖσαρ, καὶ ἐπιθῦσαι, καὶ τὰ τούτοις ἀκόλουθα, καὶ διασώζεσθαι;“ Ὁ δὲ τὰ μὲν πρῶτα οὐκ ἀπεκρίνατο αὐτοῖς· ἐπιμενόντων δὲ αὐτῶν, ἔφη· „οὐ μέλλω ποιεῖν, ὃ συμβουλεύετέ μοι.“ Οἱ δὲ ἀποτυχόντες τοῦ πεῖσαι αὐτὸν, δεινὰ ῥήματα ἔλεγον αὐτῷ, καὶ μετὰ σπουδῆς καθῄρουν αὐτὸν ἀπὸ τοῦ ὀχήματος, ὡς καὶ κατιόντα ἀπὸ τῆς καρούχας ἀποσυρῆναι τὸ ἀντικνήμιον. Καὶ μὴ ἐπιστραφεὶς, ὡς οὐδὲν πεπονθὼς, προθύμως μετὰ σπουδῆς ἐπορεύετο,*

---

4) **Mth. 26, 55.** 5) **Act. 21, 14.** 6) **Al.** *καὶ ὅτι τοσαύτῃ σπουδῇ ἐχρήσαντο τοῦ συλληφθῆναι τοιοῦτον πρεσβύτην ἄνδρα*, **quae verba explicationem olent.**

ἀγόμενος εἰς τὸ στάδιον, θορύβου τηλικούτου ὄντος ἐν τῷ σταδίῳ, ὡς μηδὲ ἀκουσθῆναί τινα δύνασθαι.

IX. Τῷ δὲ Πολυκάρπῳ, εἰσιόντι εἰς τὸ στάδιον, φωνὴ ἐξ οὐρανοῦ ἐγένετο· „ἴσχυε καὶ ἀνδρίζου, Πολύκαρπε.“ Καὶ τὸν μὲν εἰπόντα οὐδεὶς εἶδεν· τὴν δὲ φωνὴν τῶν ἡμετέρων οἱ παρόντες ἤκουσαν. Καὶ [λοιπὸν] προσαχθέντος αὐτοῦ, θόρυβος ἦν μέγας ἀκουσάντων, ὅτι Πολύκαρπος συνείληπται. Λοιπὸν προσαχθέντα αὐτὸν ἀνηρώτα ὁ ἀνθύπατος, εἰ αὐτὸς εἴη Πολύκαρπος; Τοῦ δὲ ὁμολογοῦντος, ἔπειθεν ἀρνεῖσθαι, λέγων· „αἰδέσθητί σου τὴν ἡλικίαν,“ καὶ ἕτερα τούτοις ἀκόλουθα, ὡς ἔθος αὐτοῖς λέγειν· „ὄμοσον τὴν Καίσαρος τύχην, μετανόησον, εἰπέ· αἶρε τοὺς ἀθέους.“ Ὁ δὲ Πολύκαρπος ἐμβριθεῖ τῷ προσώπῳ εἰς πάντα τὸν ὄχλον τῶν ἐν τῷ σταδίῳ ἀνόμων ἐθνῶν ἐμβλέψας, καὶ ἐπισείσας αὐτοῖς τὴν χεῖρα, στενάξας τε καὶ ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν, εἶπεν· „αἶρε τοὺς ἀθέους.“ Ἐγκειμένου δὲ τοῦ ἀνθυπάτου καὶ λέγοντος· „ὄμοσον, καὶ ἀπολύω σε, λοιδόρησον τὸν Χριστόν·“ ὁ Πολύκαρπος ἔφη· „ὀγδοήκοντα καὶ ἓξ ἔτη ἔχω δουλεύων αὐτῷ, καὶ οὐδέν με ἠδίκησεν· καὶ πῶς δύναμαι βλασφημῆσαι τὸν βασιλέα μου, τὸν σώσαντά με;

X. Ἐπιμένοντος δὲ πάλιν αὐτοῦ καὶ λέγοντος· „ὄμοσον τὴν Καίσαρος τύχην,“ ἀπεκρίνατο· „εἰ κενοδοξεῖς, ἵνα ὀμόσω τὴν Καίσαρος τύχην, ὡς σὺ λέγεις, προσποιεῖ δὲ ἀγνοεῖν με, τίς εἰμι· μετὰ παῤῥησίας ἄκουε, Χριστιανός εἰμι. Εἰ δὲ μαθεῖν θέλεις τὸν τοῦ Χριστιανισμοῦ λόγον, δὸς ἡμέραν, καὶ ἄκουσον.“ Ὁ ἀνθύπατος ἔφη· „πεῖσον τὸν δῆμον.“ Ὁ δὲ Πολύκαρπος εἶπεν· „σὲ μὲν καὶ λόγου ἠξίωσα· δεδιδάγμεθα γὰρ ἀρχαῖς καὶ ἐξουσίαις ὑπὸ τοῦ Θεοῦ τεταγμέναις[7] τιμὴν κατὰ τὸ προσῆκον, τὴν μὴ βλάπτουσαν ἡμᾶς, ἀπονέμειν· ἐκείνους δὲ οὐχ ἡγοῦμαι ἀξίους, τοῦ ἀπολογεῖσθαι αὐτοῖς.“

XI. Ὁ δὲ ἀνθύπατος πρὸς αὐτὸν εἶπε· „θηρία ἔχω, τούτοις σε παραβαλῶ, ἐὰν μὴ μετανοήσῃς.“ Ὁ δὲ εἶπεν· „κάλει, ἀμετάθετος γὰρ ἡμῖν ἡ ἀπὸ τῶν κρειττόνων ἐπὶ τὰ χείρω μετάνοια·

7) Rom. 13, 1.

καλὸν δὲ μετατίθεσθαί με ἀπὸ τῶν χαλεπῶν ἐπὶ τὰ δίκαια.“ Ὁ δὲ πάλιν πρὸς αὐτόν· „πυρί σε ποιῶ δαπανηθῆναι, εἰ τῶν θηρίων καταφρονεῖς, ἐὰν μὴ μετανοήσῃς.“ Ὁ δὲ Πολύκαρπος· „πῦρ ἀπειλεῖς τὸ πρὸς ὥραν καιόμενον, καὶ μετ' ὀλίγον σβεννύμενον· ἀγνοεῖς γὰρ τὸ τῆς μελλούσης κρίσεως καὶ αἰωνίου κολάσεως τοῖς ἀσεβέσι τηρούμενον πῦρ. Ἀλλὰ τί βραδύνεις; Φέρε, ὃ βούλει.“

XII. Ταῦτα δὲ καὶ ἄλλα πλείονα λέγων, θάρσους καὶ χαρᾶς ἐνεπίμπλατο, καὶ τὸ πρόσωπον αὐτοῦ χάριτος ἐπληροῦτο, ὥστε οὐ μόνον μὴ συμπεσεῖν, ταραχθέντα ὑπὸ τῶν λεγομένων πρὸς αὐτόν, ἀλλὰ τοὐναντίον τὸν ἀνθύπατον ἐκστῆναι, πέμψαι τε τὸν ἑαυτοῦ κήρυκα, ἐν μέσῳ τῷ σταδίῳ κηρῦξαι τρίτον· „Πολύκαρπος ὡμολόγησεν ἑαυτὸν Χριστιανὸν εἶναι.“ Τούτου λεχθέντος ὑπὸ τοῦ κήρυκος, ἅπαν τὸ πλῆθος ἐθνῶν τὲ καὶ Ἰουδαίων τῶν τὴν Σμύρναν κατοικούντων, ἀκατασχέτῳ θυμῷ καὶ μεγάλῃ φωνῇ ἐπεβόα· „οὗτός ἐστιν ὁ τῆς ἀσεβείας[8] διδάσκαλος, ὁ πατὴρ τῶν Χριστιανῶν, ὁ τῶν ἡμετέρων θεῶν καθαιρέτης, ὁ πολλοὺς διδάσκων μὴ θύειν, μηδὲ προσκυνεῖν τοῖς θεοῖς.“ Ταῦτα λέγοντες ἐπεβόων καὶ ἠρώτων τὸν Ἀσιάρχην Φίλιππον, ἵνα ἐπαφῇ τῷ Πολυκάρπῳ λέοντα. Ὁ δὲ Φίλιππος ἔφη, μὴ εἶναι ἐξὸν αὐτῷ, ἐπειδὴ πεπληρώκει τὰ κυνηγέσια. Τότε ἔδοξεν αὐτοῖς ὁμοθυμαδὸν ἐπιβοῆσαι, ὥστε τὸν Πολύκαρπον ζῶντα κατακαυθῆναι. Ἔδει γὰρ τὸ τῆς φανερωθείσης ἐπὶ τοῦ προσκεφαλαίου ὀπτασίας πληρωθῆναι, ὅτε ἰδὼν αὐτὸ καιόμενον προσευχόμενος, εἶπεν ἐπιστραφεὶς τοῖς σὺν αὐτῷ πιστοῖς προφητικῶς· „δεῖ με ζῶντα κατακαυθῆναι.“

XIII. Ταῦτα οὖν μετὰ τοσούτου τάχους ἐγίνετο, θᾶττον τοῦ λεχθῆναι, τῶν ὄχλων παραχρῆμα συναγόντων ἔκ τε τῶν ἐργαστηρίων καὶ βαλανείων ξύλα καὶ φρύγανα· μάλιστα Ἰουδαίων προθύμως, ὡς ἔθος αὐτοῖς, εἰς ταῦτα ὑπουργούντων. Ὅτε δὲ ἡ πυρκαϊὰ ἡτοιμάσθη, ἀποθέμενος ἑαυτῷ πάντα τὰ ἱμάτια, καὶ λύσας τὴν ζώνην αὐτοῦ, ἐπειρᾶτο καὶ ὑπολύειν ἑαυτόν· μὴ πρότερον τοῦτο ποιῶν, διὰ τὸ ἀεὶ ἕκαστον τῶν πιστῶν σπουδάζειν, ὅστις τάχιον τοῦ χρωτὸς αὐτοῦ ἅψηται· παντὶ γὰρ καλῷ, ἀγαθῆς ἕνεκεν πολι-

8) Ἀσίας.

τείας, καὶ πρὸ τῆς μαρτυρίας ἐκεκόσμητο. Εὐθέως οὖν αὐτῷ περιετίθετο τὰ πρὸς τὴν πυρὰν ἡρμοσμένα ὄργανα. Μελλόντων δὲ αὐτῶν καὶ προσηλοῦν, εἶπεν· „ἄφετέ με οὕτως· ὁ γὰρ δούς μοι ὑπομεῖναι τὸ πῦρ, δώσει καὶ χωρὶς τῆς ὑμετέρας ἐκ τῶν ἥλων ἀσφαλείας, ἀσάλευτον ἐπιμεῖναι τῇ πυρᾷ."

XIV. Οἱ δὲ οὐ καθήλωσαν μὲν, ἔδησαν δὲ αὐτόν. Ὁ δὲ ὀπίσω τὰς χεῖρας ποιήσας καὶ προσδεθεὶς, ὥσπερ κριὸς ἐπίσημος ἐκ μεγάλου ποιμνίου εἰς προσφορὰν, ὁλοκάρπωμα δεκτὸν τῷ Θεῷ ἡτοιμασμένον, ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν, εἶπε· „κύριε ὁ Θεὸς, ὁ παντοκράτωρ, ὁ τοῦ ἀγαπητοῦ καὶ εὐλογητοῦ παιδός σου Ἰησοῦ Χριστοῦ πατὴρ, δι' οὗ τὴν περὶ σοῦ ἐπίγνωσιν εἰλήφαμεν, ὁ Θεὸς ἀγγέλων καὶ δυνάμεων, καὶ πάσης τῆς κτίσεως, καὶ παντὸς τοῦ γένους τῶν δικαίων, οἳ ζῶσιν ἐνώπιόν σου· εὐλογῶ σε, ὅτι ἠξίωσάς με τῆς ἡμέρας καὶ ὥρας ταύτης, τοῦ λαβεῖν με μέρος ἐν ἀριθμῷ τῶν μαρτύρων σου, ἐν τῷ ποτηρίῳ τοῦ Χριστοῦ σου,[9] εἰς ἀνάστασιν ζωῆς αἰωνίου, ψυχῆς τε καὶ σώματος, ἐν ἀφθαρσίᾳ πνεύματος ἁγίου· ἐν οἷς προσδεχθείην ἐνώπιόν σου σήμερον ἐν θυσίᾳ πίονι καὶ προσδεκτῇ, καθὼς προητοίμασας καὶ προεφανέρωσας καὶ ἐπλήρωσας, ὁ ἀψευδὴς καὶ ἀληθινὸς Θεός. Διὰ τοῦτο καὶ περὶ πάντων αἰνῶ σε, εὐλογῶ σε, δοξάζω σε, σὺν τῷ αἰωνίῳ καὶ ἐπουρανίῳ Ἰησοῦ Χριστῷ, ἀγαπητῷ σου παιδί· μεθ' οὗ σοι καὶ πνεύματι ἁγίῳ ἡ δόξα, καὶ νῦν καὶ εἰς τοὺς μέλλοντας αἰῶνας. Ἀμήν."

XV. Ἀναπέμψαντος δὲ αὐτοῦ τὸ Ἀμὴν, καὶ πληρώσαντος τὴν εὐχὴν, οἱ τοῦ πυρὸς ἄνθρωποι ἐξῆψαν τὸ πῦρ. Μεγάλης δὲ ἐκλαμψάσης φλογὸς, θαῦμα μέγα εἴδομεν, οἷς ἰδεῖν ἐδόθη· οἳ καὶ ἐτηρήθημεν, εἰς τὸ ἀναγγεῖλαι τοῖς λοιποῖς τὰ γενόμενα. Τὸ γὰρ πῦρ καμάρας εἶδος ποιῆσαν, ὥσπερ ὀθόνη πλοίου ὑπὸ πνεύματος πληρουμένη, κύκλῳ περιετείχισε τὸ σῶμα τοῦ μάρτυρος· καὶ ἦν μέσον οὐχ ὡς σὰρξ καιομένη, ἀλλ' ὡς ἄρτος ὀπτώμενος, ἢ ὡς χρυσὸς καὶ ἄργυρος ἐν καμίνῳ πυρούμενος. Καὶ γὰρ εὐωδίας τοσαύτης ἀντελαβόμεθα, ὡς λιβανωτοῦ πνέοντος, ἢ ἄλλου τινὸς τῶν τιμίων ἀρωμάτων.

---

9) Mth. 20, 22. 26, 39. Mc. 10, 38.

XVI. Πέρας οὖν ἰδόντες οἱ ἄνομοι, οὐ δυνάμενον αὐτοῦ τὸ σῶμα ὑπὸ τοῦ πυρὸς δαπανηθῆναι, ἐκέλευσαν προσελθόντα αὐτῷ κομφέκτορα[10] παραβῦσαι ξιφίδιον. Καὶ τοῦτο ποιήσαντος, ἐξῆλθε περιστερὰ καὶ πλῆθος αἵματος,[11] ὥστε κατασβέσαι τὸ πῦρ, καὶ θαυμάσαι πάντα τὸν ὄχλον, εἰ τοσαύτη τις διαφορὰ μεταξὺ τῶν ἀπίστων καὶ τῶν ἐκλεκτῶν· ὧν εἷς καὶ οὗτος γεγόνει ὁ θαυμασιώτατος μάρτυς Πολύκαρπος, ἐν τοῖς καθ' ἡμᾶς χρόνοις διδάσκαλος ἀποστολικὸς καὶ προφητικὸς γενόμενος, ἐπίσκοπός τε τῆς ἐν Σμύρνῃ καθολικῆς ἐκκλησίας. Πᾶν γὰρ ῥῆμα, ὃ ἐξαφῆκεν ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ, καὶ ἐτελειώθη καὶ τελειωθήσεται.

XVII. Ὁ δὲ ἀντίζηλος καὶ βάσκανος καὶ πονηρὸς, ὁ ἀντικείμενος τῷ γένει τῶν δικαίων, ἰδὼν τό τε μέγεθος αὐτοῦ τῆς μαρτυρίας, καὶ τὴν ἀπ' ἀρχῆς ἀνεπίληπτον πολιτείαν, ἐστεφανωμένον τε τῷ τῆς ἀφθαρσίας στεφάνῳ, καὶ βραβεῖον ἀναντίῤῥητον ἀπενηνεγμένον, ἐπετήδευσεν, ὡς μηδὲ τὸ λείψανον αὐτοῦ ὑφ' ἡμῶν ληφθῆναι, καίπερ πολλῶν ἐπιθυμούντων τοῦτο ποιῆσαι, καὶ κοινωνῆσαι τῷ ἁγίῳ αὐτοῦ σαρκίῳ. Ὑπέβαλε γοῦν Νικήτην τὸν τοῦ Ἡρώδου πατέρα, ἀδελφὸν δὲ Ἄλκης, ἐντυχεῖν τῷ ἄρχοντι, ὥστε μὴ δοῦναι αὐτοῦ τὸ σῶμα ταφῇ· „μὴ, φησὶν, ἀφέντες τὸν ἐσταυρωμένον, τοῦτον ἄρξωνται σέβεσθαι." Καὶ ταῦτα εἶπον, ὑποβαλλόντων καὶ ἐνισχυόντων τῶν Ἰουδαίων, οἳ καὶ ἐτήρησαν, μελλόντων ἡμῶν ἐκ τοῦ πυρὸς λαμβάνειν· ἀγνοοῦντες, ὅτι οὔτε τὸν Χριστόν ποτε καταλιπεῖν δυνησόμεθα, τὸν ὑπὲρ τῆς τοῦ παντὸς κόσμου τῶν σωζομένων σωτηρίας παθόντα [ἄμωμον ὑπὲρ ἁμαρτωλῶν], οὔτε ἕτερόν τινα σέβεσθαι. Τοῦτον μὲν γὰρ, υἱὸν ὄντα τοῦ Θεοῦ, προσκυνοῦμεν· τοὺς δὲ μάρτυρας, ὡς μαθητὰς καὶ μιμητὰς τοῦ κυρίου, ἀγαπῶμεν ἀξίως, ἕνεκα εὐνοίας ἀνυπερβλήτου τῆς

---

10) Confector, qui bestias conficere, i. e. occidere debebat, ne populo periculum minarentur. 11) De columba veteres historiographi, qui acta martyrii Polycarpi excerpserunt, nihil habent. Aut igitur haec traditio serius in textum irrepsit, aut lectio corrupta est. Conjiciunt viri docti: περὶ στέρνον vel στέρνα, circum pectus; vel ἐπ' ἀριστερᾷ, a sinistra corporis parte. Possis etiam conjicere περὶ στέρνικα, circum viscera, i. e. viscera, sanguinis mole involuta, ex vulnere prosiliebant.

εἰς τὸν ἴδιον βασιλέα καὶ διδάσκαλον· ὧν γένοιτο καὶ ἡμᾶς συγκοινωνούς τε καὶ συμμαθητὰς γενέσθαι.

XVIII. *Ἰδὼν οὖν ὁ [ἑκατόνταρχος] κεντυρίων τὴν τῶν Ἰουδαίων γενομένην φιλονεικίαν, θεὶς αὐτὸν ἐν μέσῳ τοῦ πυρὸς ἔκαυσεν. Οὕτω τε ἡμεῖς ὕστερον ἀνελόμενοι τὰ τιμιώτερα λίθων πολυτελῶν καὶ δοκιμώτερα ὑπὲρ χρυσίον ὀστᾶ αὐτοῦ, ἀπεθέμεθα ὅπου καὶ ἀκόλουθον ἦν. Ἔνθα ὡς δυνατὸν ἡμῖν συναγομένοις ἐν ἀγαλλιάσει καὶ χαρᾷ, παρέξει ὁ κύριος ἐπιτελεῖν τὴν τοῦ μαρτυρίου αὐτοῦ ἡμέραν γενέθλιον, εἴς τε τὴν τῶν ἠθληκότων μνήμην, καὶ τῶν μελλόντων ἄσκησίν τε καὶ ἑτοιμασίαν.*

XIX. *Τοιαῦτα τὰ κατὰ τὸν μακάριον Πολύκαρπον, ὃς σὺν τοῖς ἀπὸ Φιλαδελφίας δωδέκατος ἐν Σμύρνῃ μαρτυρήσας, μόνος ὑπὸ πάντων μνημονεύεται, ὥστε καὶ ὑπὸ τῶν ἐθνῶν ἐν παντὶ τόπῳ λαλεῖσθαι· οὐ μόνον διδάσκαλος γενόμενος ἐπίσημος ἀλλὰ καὶ μάρτυς ἔξοχος, οὗ τὸ μαρτύριον πάντες ἐπιθυμοῦσιν μιμεῖσθαι, κατὰ τὸ εὐαγγέλιον Χριστοῦ γενόμενον. Διὰ τῆς ὑπομονῆς γὰρ καταγωνισάμενος τὸν ἄδικον ἄρχοντα, καὶ οὕτως τὸν τῆς ἀφθαρσίας στέφανον ἀπολαβὼν, σὺν τοῖς ἀποστόλοις καὶ πᾶσι δικαίοις ἀγαλλιώμενος, δοξάζει τὸν Θεὸν καὶ πατέρα, καὶ εὐλογεῖ τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν σωτῆρα τῶν ψυχῶν ἡμῶν, καὶ κυβερνήτην τῶν σωμάτων ἡμῶν, καὶ ποιμένα τῆς κατὰ τὴν οἰκουμένην καθολικῆς ἐκκλησίας. Καὶ τὸ πανάγιον καὶ ζωοποιὸν πνεῦμα. [Ὅθεν καὶ ἡμεῖς ἅπαντες τὸν μὲν Χριστὸν προσκυνοῦμεν, ὡς υἱὸν ἀληθινὸν ὄντα τοῦ θεοῦ· τοὺς δὲ μάρτυρας, ὡς μιμητὰς καὶ μαθητὰς τοῦ κυρίου, ἀγαπῶμεν ἀξίως· ὧν γένοιτο ἡμᾶς πάντας συγκοινωνοὺς αὐτῶν γενέσθαι, καὶ ἐπιτυχεῖν τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν σὺν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν, ᾧ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν].*[12]

XX. *Ὑμεῖς μὲν οὖν ἠξιώσατε διὰ πλειόνων δηλωθῆναι ὑμῖν τὰ γενόμενα· ἡμεῖς δὲ κατὰ τὸ παρὸν ἐπὶ κεφαλαίῳ μεμηνύκαμεν*

---

12) Verba inde a *καὶ τὸ πανάγιον* unus tantum codex habet, qui his ipsis epistolam claudit. Verba uncis inclusa maximam partem e capite XVII sunt repetita, vix genuina. Spiritum sanctum vetus etiam interpres latinus habet.

διὰ τοῦ ἀδελφοῦ ἡμῶν Μάρκου. Μαθόντες οὖν ταῦτα, καὶ τοῖς ἐπέκεινα ἀδελφοῖς τὴν ἐπιστολὴν διαπέμψασθε, ἵνα καὶ ἐκεῖνοι δοξάζωσιν τὸν κύριον, τὸν ἐκλογὰς ποιοῦντα ἀπὸ τῶν ἰδίων δούλων. Τῷ δυναμένῳ πάντας ἡμᾶς εἰσαγαγεῖν ἐν τῇ αὐτοῦ χάριτι καὶ δωρεᾷ εἰς τὴν αἰώνιον αὐτοῦ βασιλείαν, διὰ τοῦ παιδὸς αὐτοῦ τοῦ μονογενοῦς Ἰησοῦ Χριστοῦ· ᾧ ἡ δόξα, τιμὴ, κράτος, μεγαλοσύνη, εἰς αἰῶνας. Ἀμήν. Προσαγορεύετε πάντας τοὺς ἁγίους. Ὑμᾶς οἱ σὺν ἡμῖν προσαγορεύουσιν, καὶ Εὐάρεστος, ὁ γράψας, πανοικεί.

XXI. Μαρτυρεῖ δὲ ὁ μακάριος Πολύκαρπος μηνὸς Ξανθικοῦ δευτέρᾳ ἱσταμένου, πρὸ ἑπτὰ καλανδῶν Μαΐων, σαββάτῳ μεγάλῳ, ὥρα ὀγδόῃ. Συνελήφθη δὲ ὑπὸ Ἡρώδου, ἐπὶ ἀρχιερέως Φιλίππου Τραλλιανοῦ, ἀνθυπατεύοντος Στατίου Κοδράτου, βασιλεύοντος δὲ εἰς τοὺς αἰῶνας Ἰησοῦ Χριστοῦ· ᾧ ἡ δόξα, τιμὴ, μεγαλοσύνη, θρόνος αἰώνιος, ἀπὸ γενεᾶς εἰς γενεάν. Ἀμήν.

XXII. [Ἐῤῥῶσθαι ὑμᾶς εὐχόμεθα, ἀδελφοί, στοιχοῦντας τῷ κατὰ τὸ εὐαγγέλιον λόγῳ Ἰησοῦ Χριστοῦ· μεθ' οὗ δόξα τῷ Θεῷ καὶ πατρὶ καὶ ἁγίῳ πνεύματι, ἐπὶ σωτηρίᾳ τῇ τῶν ἁγίων ἐκλεκτῶν· καθὼς ἐμαρτύρησεν ὁ μακάριος Πολύκαρπος, οὗ γένοιτο ἐν τῇ βασιλείᾳ Ἰησοῦ Χριστοῦ πρὸς τὰ ἴχνη εὑρεθῆναι ἡμᾶς.

Ταῦτα μετεγράψατο μὲν Γάϊος, ἐκ τῶν Εἰρηναίου, μαθητοῦ τοῦ Πολυκάρπου, ὃς καὶ συνεπολιτεύσατο τῷ Εἰρηναίῳ. Ἐγὼ δὲ Σωκράτης ἐν Κορίνθῳ ἐκ τῶν Γαΐου ἀντιγράφων ἔγραψα. Ἡ χάρις μετὰ πάντων.

Ἐγὼ δὲ πάλιν Πιόνιος ἐκ τοῦ προγεγραμμένου ἔγραψα, ἀναζητήσας αὐτά, κατὰ ἀποκάλυψιν φανερώσαντός μοι τοῦ μακαρίου Πολυκάρπου· καθὼς δηλώσω ἐν τῷ καθεξῆς· συναγαγὼν αὐτὰ ἤδη σχεδὸν ἐκ τοῦ χρόνου κεκμηκότα, ἵνα κἀμὲ συναγάγῃ ὁ κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς μετὰ τῶν ἐκλεκτῶν αὐτοῦ, εἰς τὴν οὐράνιον βασιλείαν αὐτοῦ, ᾧ ἡ δόξα, σὺν πατρὶ καὶ ἁγίῳ πνεύματι, εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν].

Lipsiae, impresserunt Giesecke et Devrient.

BIBLIOTHECA

PATRUM ECCLESIASTICORUM

SELECTISSIMA.

AD OPTIMARUM EDITIONUM FIDEM RECUDI

CURAVIT

GUIL. BRUNO LINDNER,

S. S. THEOL. IN UNIVERSITATE LIPSIENSI DOCTOR ET PROFESSOR.

FASC. II.

LIPSIAE,

DÖRFFLING & FRANKE.

MDCCCLVIII.

QUINTI SEPTIMII FLORENTIS TERTULLIANI

LIBER

DE RESURRECTIONE CARNIS.

AD OPTIMARUM EDITIONUM FIDEM RECUDI CURAVIT,
NOTAS ADJECIT

GUIL. BRUNO LINDNER,
S. S. THEOL. IN UNIVERSITATE LIPSIENSI DOCTOR ET PROFESSOR.

LIPSIAE,
DÖRFFLING & FRANKE.
MDCCCLVIII.

PROLEGOMENA.

Quintus Septimius Florens Tertullianus Afer est, non ignobili loco natus, fuit enim Centurionis Romani Carthagine degentis filius, vixit, ut plerique statuunt, intra annos CLX et CCXX p. Chr. n. Non mediocri ingenii acumine et voluntatis solertia praeditus cum magno successu literis, inprimis jurisprudentiae et rhetoricae, operam navavit, et caussis dicendis non parvam nominis gloriam acquisivit. Fervidior pro gentis ingenio animi indoles et temporis effrenati libido Tertullianum quoque abripuisse videntur, ut peccatis indulgeret, de quibus, postquam resipuerat, vehementer conqueritur. Ut vero in omnibus virum mirae constantiae et, ut ita dicam, pertinaciae sese exhibuit, qui totus, in quod inciderat, in eo versabatur, omnes animi dotes ac vires uni, quod sequebatur, proposito inservire cogebat: ita, cum Christo virili jam aetate circiter annum p. Chr. n. CC. nomen dedisset, inflexibili firmitate mundo et omnibus ejus illecebris se abdicavit, et praeter evangelium reliqua omnia odio et despectui habuit. Quemadmodum veteres Romani quidquid hujus nominis expers erat, ut barbarum et indignum contemnere et pedibus conculcare solebant, ita Tertullianus Christianus factus quaecumque a Christiano more differebant. Literas adeo et philosophiam, quibus ipse excelluit, sprevit et abhorruit, nec quidquam rationi in rebus divinis judicii et auctoritatis concessit. Fuit haec philosophorum ejus aevi indoles, ut omnia subtiliter atque tenuiter admodum tractarent, et materiae solidioris, utpote prorsus deperditae malo-

rum et peccatorum sedis, insano odio abrepti, spiritui soli honorem tribuerent, immo existendi jus et potentiam soli vindicarent. Hac ipsa re in ecclesiam Christianam Tertullianus egregie et immortaliter promeruit, quod et ingruentem in gentem Christianam morum mollitiem et erga paganas institutiones et doctrinas proclivitatem, nec non inconsideratam rerum corporalium detrectationem a Christianis quoque doctoribus non satis caute admissam pro viribus viriliter oppugnavit. Paene omnes ejus libri in his eradicandis elaborant, et si nimius in refutandis adversariorum doctrinis fuit, ita ut oppositum errorem non prorsus devitaret, in re tamen veritatis defensor egregius exstitit. Quod bene exposuit lucrifaciamus, in quo lapsus est, id fervidiori Afri ingenio largiamur, quod in causa fuit, ut ad Montanismum abripi se pateretur noster, in qua haeresi et mundi contemtum et vitae asceticae existimationem et tenuioris philosophiae odium omnem modum excessisse satis notum est.

Nec illud silentio praetereundum, quod Tertullianus primus exstitit, qui rudem admodum et incultam linguam latinam Christianae doctrinae accommodavit. Ita ecclesiastici styli inter Occidentales auctor et pater factus est, sed locutionis difficultates non semper feliciter superavit. Scriptoris indolem egregie Vincentius Lirinensis ita depinxit: *Hic apud Latinos nostrorum omnium facile princeps judicandus. Quid enim hoc viro doctius? quid in divinis atque humanis rebus exercitatius? Nempe omnem philosophiam et cunctas philosophorum sectas, auctores assertoresque sectarum omnesque eorum disciplinas, omnem historiarum et studiorum varietatem mira quadam mentis capacitate complexus est. Ingenio vero nonne tam gravi et vehementi excelluit, uti nihil sibi paene ad expugnandum proposuerit, quod non aut acumine irruperit, aut pondere illiserit? Jam porro orationis suae laudes quis exequi valeat? Quae tanta nescio qua rationum densitate conserta est, ut ad consensum sui quos suadere non potuerit impellat, cujus quot paene verba tot sententiae sunt, quot sensus tot victoriae.* Verissime; quantum in rhetoricis valuerit, ex omnibus libris ejus videre licet, in omnibus juris consultum facile deprehendes. Saepe enim ubi ratiocinando non

potest convincere, sermonis vel argumentationis artificio persuadere, quid quod opprimere non dedignatur. Quam accurate medicorum et philosophorum scripta perlegerit, testatur liber de anima; quam diligenter poetas, historicos et grammaticos evolverit, ex crebris citationibus colligi potest. Ita, si literas nonnumquam aspernatur, certe non osorem habebant, quia ignorantem. Admiratione digna sunt orationis brevitas et ubertas, vel ut vocabulo dicam concisa abundantia, et sententiarum vis et volubilitas, quamvis et in his infitias ire non possumus, brevitatem saepe in obscuritatem, volubilitatem in tumorem et inflatum orationis genus degenerare, ut jure Lactantius *parum facilem*, *minus comptum et multum obscurum*, et Hieronymus *crebrum quidem in sententiis*, *sed difficilem in eloquendo* nostrum appellaverint. Sed quod novum et fertile est in ipsius stylo sibi, quod rude et grave temporis et gentis indoli Tertullianus debuit. Ubi multa lux ibi solent esse graves umbrae.

Haec de nostro. Quod libellum, quem proponimus lectori, attinet *de resurrectione carnis*, is annumerandus est scriptis Tertulliani antignosticis materiae injustam detrectationem oppugnantibus. Quam in libris *de anima* et *de carne Christi* praeparaverat et praestruxerat in hoc libello ad finem perducit disputationem. Tertulliani, de quibus diximus, virtutes et vitia in hoc libro luculenter apparent, ut prae reliquis Tertullianei ingenii specimen et documentum dici possit.

Difficiliora hujus libri loca et vocabula in notis explanare, ubi necessarium videbatur, studuimus. Voces medio aevo usitatas per literas *v. m. l.* (vox mediae latinitatis), eas quae apud Tertullianum solum vel singulari sensu occurrunt, per *v. Tert.* (vox Tertullianea) indicavimus.

1. Fiducia Christianorum resurrectio mortuorum: illâ[1] credentes sumus. Hoc credere veritas cogit, veritatem Deus aperit. Sed vulgus inridet, existimans nihil superesse post mortem. Et tamen defunctis parentant, et quidem impensissimo officio pro moribus eorum, pro temporibus esculentorum[2]: ut quos negat sentire quicquam, etiam desiderare praesumat. At ego magis ridebo vulgus, tunc quoque, cum ipsos defunctos atrocissime exurit, quos postmodum gulòsissime nutrit, iisdem ignibus et promerens et offendens. O pietatem de crudelitate ludentem! sacrificat, an insultát, cum crematis cremat?[3] Plane cum vulgo interdum et sapientes sententiam suam jungunt. Nihil esse post mortem, Epicuri schola est. Ait et Seneca, omnia post mortem finiri, etiam ipsam. Satis est autem, si non minor philosophia Pythagorae et Empedoclis et Platonici immortalem animam e contrario reclamant: imo adhuc proxime[4] etiam in corpora remeabilem adfirmant, etsi non in eadem, et non in humana tantummodo; ut Euphorbus in Pythagoram, Homerus in pavum recenseantur. Certe recidivatum[5] animae corporalem pronunciaverunt, tolerabilius mutata, quam negata qualitate: pulsata salutis licet non adita veritate.[6] Ita saeculum resurrectionem mortuorum, nec cum errat, ignorat.

2. Si vero et apud Deum[7] aliqua secta est Epicureis magis adfinis quam prophetis, sciemus quid audiant a Christo Saddu-

---

1. al. illam. 2. i. e. prout tempus anni cibos profert. Parentationes epulis institutis fiebant. 3. i. e. cum mortuis, in rogo crematis, sacrificat. 4. adhuc proxime i. e. omnium maxime hucusque ad christianam veritatem accedentes. 5. v. m. l. = redintegrationem, restitutionem. 6. i. e. ad januam quasi salutiferae veritatis pulsantes, etsi non prorsus ad eam accedentes. al. pulsata salute etsi non adita veritate; al. pulsata saltem etsi etc. al. addita veritate. 7. i. e. in scriptura sacra.

caei. Christo enim servabatur omnia retro occulta nudare, dubitata dirigere, praelibata supplere, praedicata repraesentare: mortuorum certe resurrectionem, non modo per semetipsum, verum etiam in semetipso probare. Nunc autem ad alios Sadducaeos praeparamur, partiarios sententiae illorum. Ita dimidiam agnoscunt resurrectionem, solius scilicet animae, aspernati carnem, sicut et ipsum dominum carnis. Nulli denique alii salutem corporali substantiae invident, quam alterius[8] divinitatis haeretici. Ideoque et Christum aliter disponere coacti, ne creator carnis[9] habeatur, in ipsa prius carne ejus erraverunt, aut nullius veritatis contendentes eam secundum Marcionem et Basilidem, aut propriae qualitatis, secundum haereses Valentini et Apellen. Atque ita sequitur, ut salutem ejus substantiae excludant, cujus Christum (consortem) negant, certi illam summo praejudicio resurrectionis instructam, si jam in Christo resurrexit caro. Propterea et nos volumen praemisimus de carne Christi, quo eam et solidam probamus, adversus phantasmatis nativitatem[10], et humanam vindicamus adversus qualitatis proprietatem, cujus conditio Christum et hominem et filium hominis inscripserit. Carneum enim atque corporeum probantes eum, proinde et obducimus[11], praescribendo[12] nullum alium credendum Deum, praeter creatorem, dum talem ostendimus Christum, in quo dinoscitur Deus, qualis promittitur a creatore. Obducti dehinc de Deo, carnis auctore, et de Christo carnis redemptore, jam et de resurrectione carnis revincentur. Congruenter scilicet et de Deo auctore carnis et de Christo, carnis redemptore. Et hoc ferme modo dicimus ineundam cum haereticis disceptationem. Nam et ordo semper a principalibus deduci exposcit, ut de ipso prius constet, a quo dicatur dispositum esse, quod quaeritur. Atque adeo et haeretici ex conscientia infirmitatis nunquam ordinarie tractant.

---

8. i. e. alius, diversae. 9. al. creatoris habeatur, id esset: ne cum creatore omnino cohaereat, ne inter creaturas recenseatur. Sed melius creator carnis, quod plerique codd. habent; carnem a Christo creatam negare debebant, qui prorsus malam pronuntiabant. 10. al. vanitatem. 11. v. m. l. = convincere. 12. v. m. l. forensis, *im Voraus einen Einwand abschneiden.*

Certi enim quam laborent in alterius divinitatis insinuatione adversus Deum mundi omnibus naturaliter notum de testimoniis operum, certe et in sacramentis priorem, et in praedicationibus manifestiorem, sub obtentu quasi urgentioris caussae, id est ipsius humanae falutis ante omnia requirendae, a quaestionibus resurrectionis incipiunt, quia durius creditur resurrectio carnis, quam una divinitas: atque ita tractatum[13] viribus ordinis sui destitutum et scrupulis potius oneratum depreciatibus[14] carnis paulatim ad alterius divinitatis temperant sensum, ex ipsa spei concussione et demutatione. Dejectus enim unusquisque vel motus de gradu ejus spei quam susceperat apud creatorem, facile jam declinatur ad alterius spei auctorem etiam ultra[15] suspicandum. Per diversitatem enim promissionum diversitas insinuatur Deorum. Sic multos inretitos[16] videmus, dum ante de resurrectione carnis eliduntur, quam de unione divinitatis elidunt.[17] Igitur quantum ad haereticos, demonstravimus quo cuneo decurrendum sit a nobis: et occursum est etiam suo quoque titulo, de Deo quidem unico et Christo ejus adversus Marcionem: de carne vero domini etiam adversus quatuor haereses; ad hanc maxime quaestionem praestruendam, uti nunc de sola carnis ressurrectione ita digerendum sit, tanquam penes nos quoque incerta, id est penes creatorem.[18] Nam et multi rudes, et plerique sua fide dubii et simplices: plures quos instrui, dirigi, muniri oportebit: quia et hoc latere unio divinitatis defendetur: sicut enim negata carnis resurrectione concutitur, ita vindicata, constabilitur. Animae autem salutem credo retractatu[19] carere. Omnes enim fere haeretici eam quoquomodo volunt, tamen non negant. Viderit unus aliqui Lucanus[20], nec huic quidem substantiae parcens, quam secundum Aristotelem dissolvens, aliud quid pro ea subjicit,

13. i. e. disputationem. 14. i. e. carnem pretio et dignitate sua privantes. Al. depreciantibus carnem. 15. al. ultro. Ultra, i. e. praeter vel supra creatorem. 16. al. haereticos. 17. antequam veros Christi confessores doctrina sua de unione divinitatis elidunt, ex ecclesia ad haeresim propellunt, ipsi errore in doctrina de resurrectione carnis jam haeretici facti sunt. 18. al. digeram, tanquam penes nos incertum, dum sit quoque certum penes creatorem. 19. i. e. dubitatione. v. m. l. 20. Marcionis assecla.

tertium quiddam resurrecturus, neque anima, neque caro, id est non homo, sed ursus forsitan, tanquam Lucanus[21]. Habet et iste a nobis plenissimum de omni statu animae stilum[22], quam in primis immortalem tuentes, solius carnis et defectionem agnoscimus et refectionem cum maxime adserimus, redactis in ordinarium materiae corpus, siqua et alibi pro caussarum incursione praestructa[23] distulimus. Nam ut quaedam praelibari solenne est: ita et differri necesse est, dum modo et praelibata suppleantur suo corpore, et dilata reddantur suo nomine.

3. Est quidem et de communibus sensibus sapere in Dei rebus, sed in testimonium veri, non in adjutorium falsi: quod sit secundum divinam, non contra divinam dispositionem. Quaedam enim et natura nota sunt, ut immortalitas animae penes plures, ut Deus noster penes omnes. Utar ergo et sententia Platonis alicujus pronunciantis: Omnis anima immortalis. Utar et conscientia populi, contestantis Deum Deorum: utar et reliquis communibus sensibus, qui Deum judicem praedicant: Deus videt, et Deo commendo. At cum ajunt, Mortuum quod mortuum: et, Vive dum vivis, et, Post mortem omnia finiuntur, etiam ipsa: tunc meminero et cor vulgi cinerem a Deo deputatum, et ipsam sapientiam seculi stultitiam pronunciatam.[24] Tunc si haereticus ad vulgi vitia vel seculi ingenia confugerit: discede, dicam, ab ethnico, haeretice; etsi unum estis omnes, qui Deum fingitis[25], dum hoc tamen in Christi nomine facis, dum Christianus tibi videris, alius ab ethnico: redde illi suos sensus, quia nec ille de tuis instruitur. Quid caeco duci inniteris, si vides? Quid vestiris a nudo, si Christum induisti? Quid alieno uteris clypeo, si ab Apostolo armatus es? Ille potius a te discat carnis resurrectionem confiteri, quam tu ab illo diffiteri. Quia si et a Christianis negari eam oporteret, sufficeret illis de sua scientia, non de vulgi ignorantia instrui. Adeo non erit Christianus, qui eam negabit, quam confitentur Christiani: et his argumentis negabit, quibus utitur non Christianus. Aufer

---

21. i. e. *als ein ächter Lucaner.* Ursus est vox Lucana, i. e. provinciae Lucaniae propria. 22. i. e. librum. 23. *abgeschnitten.* 24. cf. Jes. 22, 13. 44, 20. 1 Cor. 1, 20. 3, 19. 15, 32. 25. al. fugitis.

denique haereticis, quaecumque ethnici[26] sapiunt, ut de scripturis solis quaestiones suas sistant: et stare non poterunt. Communes enim sensus simplicitas ipsa commendat, et compassio sententiarum,[27] et familiaritas opinionum; eoque fideliores existimantur, quia nuda et aperta et omnibus nota definiunt. Ratio autem divina in medulla est, non in superficie, et plerumque aemula manifestis.

4. Itaque haeretici inde statim incipiunt, et inde praestruunt: dehinc interstruunt, unde sciunt facile capi mentes, de communione favorabili sensuum[28]. An aliud prius vel magis audias tam ab haeretico quam ab ethnico? et non protinus, et non ubique convicium carnis, in originem, in materiam, in casum, in omnem exitum eius? immundae a primordio ex faecibus terrae, immundioris deinceps ex seminis sui limo, frivolae, infirmae, criminosae, onerosae, molestae: et post totum ignobilitatis elogium caducae in originem terram et cadaveris nomen, et de isto quoque nomine periturae in nullum inde jam nomen, in omnis jam vocabuli mortem[29]. Hanc ne ergo vir sapiens, et visui et contactui et recordatui tuo ereptam, persuadere vis, quod se receptura quandoque sit in integrum de corrupto, in solidum de casso, in plenum de inanito, in aliquid omnino de nihilo, et utique redhibentibus eam ignibus et undis, et alvis ferarum, et rumis[30] alitum, et lactibus[31] piscium, et ipsorum temporum propria gula? Adeone autem eadem sperabitur quae intercidit, et claudus et luscus, caecus, leprosus, et paralyticus revertentur, ut redisse non libeat ad pristinum? an integri? ut iterum talia pati timeant? Quid tum de consequentiis carnis? Rursusne omnia necessaria illi, et in primis pabula atque potacula, et pulmonibus natandum[32], et intestinis aestuandum, et pudendis non pudendum, et omnibus membris laborandum? Rursus ulcera, et vulnera, et febris, et podagra et mors reoptanda? Nimirum haec erunt vota carnis recuperan-

26. al. quae cum ethnicis. 27. quod multi easdem sententias patiuntur. 28. i. e. de eo cui communis sensuum experientia favet. 29. in mortem, quae ne vocabulum quidem, ne denotationem quidem, iis relinquit. 30. i. e. gulis. 31. lactes, pars intestinorum. 32. quod pulmones, natantium instar, undulant.

dae, iterum cupere de ea evadere. Et nos quidem haec aliquanto honestius pro stili pudore. Ceteri quantum etiam spurciloquio, licet illorum in congressibus experiri, tam ethnicorum quam haereticorum.

5. Igitur quoniam et rudes quique de communibus adhuc sensibus sapiunt, et dubii et simplices per eosdem sensus denuo inquietantur, et ubique primus iste in nos aries temperatur[33], quo carnis conditio quassatur: necessario et a nobis carnis primum conditio munietur, vituperatione, laudatione depulsa. Ita nos rhetoricari quoque provocant haeretici, sicut etiam philosophari. Futile et frivolum istud corpusculum, quod malum denique appellare non horrent, etsi angelorum fuisset operatio, ut Menandro et Marco[34] placet, etsi ignei alicujus exstructio aeque angeli, ut Apelles docet: sufficeret ad auctoritatem carnis secundae[35] divinitatis patrocinium. Angelos post Deum novimus. Jam nunc quisquis ille summus Deus haeretici cujusque est, non immerito ab ipso quoque deducerem carnis dignitatem, a quo voluntas producendae ei[36] adfuisset. Utique enim prohibuisset fieri, quam fieri scisset, si fieri noluisset. Ita et secundum illos aeque caro Dei res. Nihil operis non ejus est, qui passus est esse. Bene autem quod et plures et duriores quoque doctrinae totam hominis figulationem Deo nostro cedunt. Quantus hic sit, satis nosti, qui unicum credidisti. Incipiat jam tibi caro placere, cujus artifex tantus est. Sed et mundus, inquis, Dei opus est, et tamen *praeterit habitus hujus mundi*,[37] Apostolo quoque auctore. Nec idcirco restitutio mundi praejudicabitur, quia Dei opus est: et utique si universitas inreformabilis post decessum, quid portio? Plane, si portio universitati adaequatur. Ad distantiam enim provocamus. Primo quidem, quod *omnia sermone Dei facta sunt, et sine illo nihil*[38]. Caro autem et sermone Dei constitit propter formam[39], ne quid sine sermone: *faciamus* enim *hominem*[40], ante praemisit; et amplius, manu, propter praelationem, ne universitati com-

33. v. m. l. = instruere. 34. al. Marcioni. 35. secundariae, subordinatae. 36. nempe: secundae divinitati. 37. 1 Cor. 7, 31. 38. Joh. 1, 3. 39. v. m. l. = regula, lex. 40. Gen. 1, 26.

paretur: *et finxit*, inquit, *Deus hominem*[41]. Magnae sine dubio differentiae ratio, pro conditione scilicet rerum. Minora enim, quae fiebant, eo, cui fiebant, siquidem homini fiebant, cui mox a Deo addicta sunt. Merito igitur, ut famula, jussu et imperio et sola vocali potestate universa processerant. Contra homo, ut dominus eorum, in hoc ab ipso Deo extructus est, ut dominus esse possit, dum fit a domino. Hominem autem memento carnem proprie dici, quae prior vocabulum hominis occupavit: et *finxit Deus hominem*, *limum de terra*. Jam homo, qui adhuc limus. Et *insufflavit in faciem ejus flatum vitae: et factus est homo*, id est, limus, *in animam vivam*. Et *posuit Deus hominem*, *quem finxit*, *in paradiso*[42]. Adeo homo figmentum primo, dehinc totus. Hoc eo commendarim, uti, quiquid omnino homini a Deo prospectum atque promissum est, non soli animae, verum et carni scias debitum; ut si non ex consortio generis[43], certe vel ex privilegio nominis.

6. Persequar itaque propositum, si tamen tantum possim carni vindicare, quantum contulit ille, qui eam fecit: jam tunc gloriantem, quod illa pusillitas, limus, in manus Dei, quaecunque sunt, pervenit, satis beatus, etsi solummodo contactus. Quid enim si nullo amplius opere statim figmentum de contactu Dei constitisset? Adeo magna res agebatur, qua ista materia extruebatur. Itaque totiens honoratur, quotiens manus Dei patitur, dum tangitur, dum decerpitur, dum deducitur, dum effingitur. Recogita totum illi Deum occupatum ac dedicatum, manu, sensu, opere, consilio, sapientia, providentia, et ipsa in primis adfectione, quae liniamenta ducebat. Quodcumque enim limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus, quod et limus et caro sermo, quod et terra tunc. Sic enim praefatio patris ad filium: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*[44]. Et fecit hominem Deus id utique quod finxit. Ad imaginem Dei fecit illum, scilicet Christi. Et sermo enim Deus, qui in effigie Dei constitutus, *non rapinam existimavit pariari Deo*[45]. Ita limus ille jam tunc imaginem induens Christi

41. Gen. 1, 27. 42. Gen. 2, 7 sqq. 43. quamvis non ejusdem, cum anima, generis esset. 44. Gen. 1, 26. 45. Phil. 2, 6.

futuri in carne, non tantum Dei opus erat, sed et pignus. Quo nunc facit ad infuscandum originem carnis nomen terrae ventilare, ut sordentis, ut jacentis elementi? cum etsi alia materia excudendo homini competisset, artificis fastigium recogitari oporteret, qui illam et eligendo dignam judicasset, et tractando fecisset. Phidiae manus Jovem Olympium ex ebore molitur, et adoratur: nec jam bestiae et quidem insulsissimae dens est, sed summum seculi numen elephantus. Sed quia Phidias tantus[46], Deus vivus, Deus verus, quamcunque materiae vilitatem non de sua operatione purgasset et ab omni infirmitate sanasset? An hoc supererit, ut honestius homo Deum, quam hominem Deus finxerit? Nunc etsi scandalum limus, alia jam res est. Carnem jam teneo, non terram: licet et caro audiat, *Terra es, et in terram ibis*[47]. Origo recensetur, non substantia revocatur[48], datum est esse aliquid origine generosius et demutatione felicius. Nam et aurum terra, quia de terra; hactenus tamen terra, ex quo aurum, longe alia materia, splendidior atque nobilior de obsoletiore matrice. Ita et Deo licuit carnis aurum, de limi, quibus putas, sordibus excusato[49] censu[50], eliquasse.

7. Sed dilutior videatur autoritas carnis, quia non et ipsam proprie manus divina tractavit, sicuti limum. Quando in hoc tractavit limum, ut postmodum caro fieret ex limo, carnis utique negotium gessit. Sed adhuc velim discas, quando et quomodo caro floruerit[1] ex limo. Neque enim, ut quidam[2] volunt, illae pelliceae tunicae, quas Adam et Eva paradisum exuti induerunt, ipsae erunt carnis ex limo reformatio, cum aliquanto prius et Adam substantiae suae traducem in feminae jam carne[3] recognoverit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro ex*

46. Sic conjicio. Usitata hujus loci lectionum varietate difficillimi constructio est: nec jam bestiae et quidam insulsissimae dens est, sed summum saeculi numen, non quia elephantus, sed quia Phidias tantus. 47. Gen. 3, 19. 48. i. e. non revocatur, terram mutata substantia per dei opificium carnem factam esse. 49. excusare v. m. l. = liberare, purgare, inprimis a culpa. 50. censu, scil. in quem antea referebatur, originalis materiae conditione.

1. al. *fluxerit*. 2. scil. Valentiniani, qui docuerunt, homines in paradiso, loco spirituali, ipsos spirituales fuisse, postea ejectos in terram crassiore carne indutos esse, scil. corpore. 3 al. *in femina jam carne*; al. *in feminae jam carnem*.

carne mea[4]: et ipsa delibatio masculi in feminam carne suppleta sit[5], limo opinor supplenda, si Adam adhuc limus. Obliteratus igitur et devoratus est limus in carnem. Quando? cum factus est homo in animam vivam, de Dei flatu, vapore scilicet idoneo torrere quoddammodo limum in aliam qualitatem, quasi in testam, ita in carnem. Sic et figulo licet argillam temperato ignis adflatu in materiam robustiorem recorporare, et aliam ex alia stringere[6] speciem, aptiorem pristina, et sui jam generis ac nominis. Nam etsi scriptum est, *nunquid argilla dicet figulo*[7], id est homo Deo: etsi Apostolus *in testaceis* ait *vasculis*[8], tamen et argilla homo, quia limus ante, et testa caro, quia ex limo per adflatus divini vaporem, quam postea pelliceae tunicae, id est cutes superductae, vestierunt. Usque adeo, si detraxeris cutem, nudaveris carnem. Ita quod hodie spolium efficitur, si detrahatur: hoc fuit indumentum, cum superstruebatur. Hinc et Apostolus, circumcisionem despoliationem carnis appellans[9], tunicam cutem adfirmavit. Haec cum ita sint, habes et limum de manu Dei gloriosum et carnem de adflatu Dei gloriosiorem, quo pariter caro et limi rudimenta deposuit et animae ornamenta suscepit. Non es diligentior Deo: uti tu quidem Scythicas et Indicas gemmas et Rubentis maris grana candentia[10] non plumbo, non aere, non ferro, ne argento quoque oblaquees,[11] sed electissimo et insuper operosissimo[12] descrobes[13] auro; vinis item et unguentis preciosissimis quibusque vasculorum prius congruentiam cures, proinde perfectae ferruginis[14] gladiis vaginarum adaeques dignitatem; Deus vero animae suae umbram, spiritus sui auram, oris sui operam vilissimo alicui commiserit capulo[15] et indigne collocando utique damnaverit. Collocavit autem an potius inseruit et immiscuit carni? tanta quidem concretione, ut incertum haberi possit, utrumne caro animam, an carnem anima cir-

---

4. Gen. 2, 23. 5. Gen. 2, 21. 6. al. *fingere*. 7. Rom. 9, 20. 8. 2 Cor. 4, 7. 9. Col. 2, 11. 10. i. e. margaritas maris rubri seu Erythraei, quae apud veteres aestumatissimae erant. 11. i. e. cingas, circumdes. 12. i. e. artis opera decorato. 13. v. m. l. tamquam in scrobe seu fovea inserere. 14. i. e. gladiis et ferri nativa bonitate et artis subsidiis excellentibus. 15. i. e. receptaculo.

cumferat: utrumne animae caro, an anima pareat[16] carni. Sed et magis animam invehi atque dominari credendum est, ut magis Deo proximam: hoc quoque ad gloriam carnis exuberat, quod proximam Deo et continet et ipsius dominationis compotem praestat. Quem enim naturae usum, quem mundi fructum, quem elementorum saporem non per carnem anima depascitur? quidni? per quam omni instrumento sensuum fulciatur, visu, auditu, gustu, odoratu, contactu? per quam divina potestate respersa est, nihil non sermone perficiens, vel tacite praemisso? Et sermo enim de organo carnis est. Artes per carnem; studia, ingenia per carnem; opera, negotia, officia per carnem: atque adeo totum vivere animae carnis est, ut non vivere animae nihil aliud sit quam a carne divertere[17]. Sic etiam ipsum mori carnis est, cujus et vivere. Porro si universa per carnem subjacent animae, carni quoque subjacent. Per quod utaris, cum eo utaris necesse est. Ita caro dum ministra et famula animae deputatur, consors et cohaeres invenitur. Si temporalium, cur non et aeternorum?

8. Et haec quidem velut de publica forma humanae conditionis suffragia carni procuraverim. Videamus nunc de propria etiam Christiani nominis forma, quanta huic substantiae frivolae ac sordidae apud Deum praerogativa sit: et si sufficeret illi[18], quod nulla omnino anima salutem possit adipisci nisi, dum est in carne, crediderit, adeo caro salutis est cardo. De qua[19] cum anima Deo allegitur, ipsa est quae efficit, ut anima allegi possit. Scilicet caro abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut et anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut et anima spiritu illuminetur; caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur. Non possunt ergo separari in mercede, quas opera conjungit. Nam et sacrificia Deo grata, conflictationes dico animae, jejunia et seras et aridas escas et adpendices hujus officii sordes, caro de proprio suo incommodo instaurat. Virginitas quoque et viduitas et modestia, in occulto

16. al. *appareat.* 17. si anima corporis ministerio privata est, operari non potest, ideoque mortuae par habenda. 18. scil. nominis formae. 19. scil. salute.

matrimonii dissimulatio et una notitia ejus[20], de bonis carnis Deo adolentur[21]. Age jam quid de ea sentis, cum pro nominis fide[22] in medium extracta et odio publico exposita decertat, cum in carceribus maceratur teterrimo lucis exilio, penuria mundi, squalore, paedore, contumelia victus, ne somno quidem libera, quippe ipsis etiam cubilibus vincta, ipsisque stramentis lancinata[23], cum jam et in luce omni tormentorum machinatione laniatur, cum denique suppliciis erogatur[24], enisa reddere Christo vicem moriendo pro ipso, et quidem per eandem crucem saepe, nedum per atrociora quoque ingenia poenarum. Nae illa beatissima et gloriosissima, quae potest apud Christum dominum parere debito tanto: ut hoc solum debeat ei, quod ei debere desierit: hoc magis vincta quod absoluta.

9. Igitur ut retexam[25]: quam Deus manibus suis ad imaginem Dei struxit, quam de suo adflatu ad similitudinem suae vivacitatis animavit, quam incolatui, fructui, dominatui totius suae operationis praeposuit, quam de sacramentis suis disciplinisque vestivit, cujus munditias amat, cujus castigationes probat, cujus passiones sibi adpreciat: haeccine non resurget, totiens Dei? Absit, absit, ut Deus manuum suarum operam, ingenii sui curam, adflatus sui vaginam, molitionis[26] suae reginam, liberalitatis suae haeredem, religionis suae sacerdotem, testimonii sui militem, Christi sui sororem in aeternum destituat interitum. Bonum Deum novimus: solum optimum a Christo ejus addiscimus, qui dilectionem mandans post suam in proximum faciet et ipse quod praecipit. Diliget carnem tot modis sibi proximam, etsi infirmam: sed *virtus in infirmitate perficitur*[27]; etsi imbecillam: *sed medicum non desiderant nisi male habentes*[28]; etsi inhonestam: sed *inhonestioribus majorem circumdamus honorem*[29]; etsi perditam: sed *ego*, inquit, *veni, ut quod periit salvum faciam*[30]; etsi peccatricem: sed *malo mihi*, inquit, *salutem peccatoris quam mortem*[31]; etsi dam-

20. i. e. in conjugio abstinentia a concubitu et monogamia. 21. i. e. sacrificantur. 22. i. e. pro fide Christiani nominis. 23. v. m. l. = laniari. 24. v. Tert. = consumi. 25. i. e. breviter repetam. 26. i. e. creationis. 27. 2 Cor. 12, 9. 28. Luc. 5, 31. 29. 1 Cor. 12, 23. 30. Luc. 19, 10. 31. Ez. 18, 23.

natam: sed *ego,* inquit, *percutiam et sanabo*[32]. Quid ea exprobras carni, quae Deum expectant, quae in Deum sperant, quae honorantur ab illo, quibus subvenit? Ausim dicere, si haec carni non accidissent, benignitas, gratia, misericordia, omnis vis Dei benefica vacavisset.

10. Tenes scripturas, quibus caro infuscatur? tene etiam quibus inlustratur. Legis tum quando deprimitur? adige oculos et tum quando relevatur. *Omnis caro foenum.* Non hoc solum pronunciavit Esaias, sed et: *Omnis caro videbit salutare Dei*[33]. Notatur in Genesi dicens Deus: *Non manebit spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt*[34]. Sed et auditur per Joelem: *Effundam de spiritu meo in omnem carnem*[35]. Apostolum quoque ne de uno stilo noris, quo carnem plerumque compungit. Nam etsi negat habitare boni quicquam in carne sua; etsi adfirmat eos qui in carne sint Deo placere non posse, quia concupiscat adversus spiritum[36]; et si qua alia ita ponit, ut carnis non tamen substantia sed actus inhonoretur: dicemus quidem alibi nihil proprie carni exprobari oportere, nisi in animae suggillationem; quae carnem ministerio sibi subigit. Verum interim et in illis literis Paulus est[37]: cum stigmata Christi in corpore suo portat; cum corpus nostrum ut Dei templum vitiari vetat; cum corpora nostra membra Christi facit; cum monet *tollere et magnificare Deum in corpore nostro*[38]. Itaque si ignominiae carnis resurrectionem ejus expellunt, cur non dignitates potius inducent? Quoniam Deo magis congruit in salutem redigere quod reprobarit interdum, quam in perditionem dedere quod etiam aliquando probavit.

11. Hucusque de praeconio carnis adversus inimicos et nihilominus amicissimos ejus. Nemo enim tam carnaliter vivit, quam qui negant carnis resurrectionem. Negantes enim poenam despiciunt et disciplinam. De quibus luculenter et paracletus per Prophetidem Priscam: carnes sunt, et carnem oderunt. Quam si tanta auctoritas munit, quanta illi ad meritum

---

32. Deut. 32, 39. 33. Jes. 40, 5. 7. 34. Gen. 6, 3. 35. Joel 3, 1. 36. Rom. 7, 18. 8, 8. Gal. 5, 17. 37. i. e. idem Paulus aliis locis aliter. 38. Gal. 6, 17. 1 Cor. 3, 16 sq. 6, 15. 20.

salutis patrocinari possit, nunquid etiam Dei ipsius potentiam et potestatem et licentiam recensere debemus, an tantus sit, qui valeat dilapsum et devoratum, et quibuscunque modis exemtum[39] tabernaculum carnis reaedificare atque restituere? an et aliqua nobis exempla hujus sui juris in publico naturae[40] promulgarit, ne qui forte adhuc sitiant[41] Deum nosse, qui non alia lege credendus est, quam ut omnia posse credatur. Plane apud philosophos habes, qui mundum hunc innatum infectumque defendant: sed multo melius, quod omnes fere haereses natum et factum mundum annuentes conditionem Deo nostro adscribunt. Igitur confide illum totum hoc ex nihilo protulisse, et Deum nosti fidendo, quod tantum Deus valeat. Nam et quidam infirmiores hoc prius credere, de materia potius subjacenti volunt ab illo universitatem dedicatam[42] secundum philosophos. Porro etsi ita in vero haberetur, cum tamen longe alias substantias longeque alias species ex reformatione materiae diceretur protulisse, quam fuisset ipsa materia: non minus defenderem ex nihilo eum protulisse, si ea protulerat, quae omnino non fuerant. Quo enim interest ex nihilo quid proferri, an ex aliquo, dum quod non fuit fiat? quando etiam non fuisse nihil sit fuisse? Sic et fuisse e contrario nonnihil est fuisse. Nunc etsi interest, tamen utrumque mihi adplaudit. Sive enim ex nihilo Deus molitus est cuncta, poterit et carnem in nihilum productam exprimere de nihilo. Sive de materia modulatus est alia, poterit et carnem quocunque dehaustam evocare de alio. Et utique idoneus est reficere qui fecit. Quanto plus est fecisse quam refecisse, initium dedisse quam reddidisse: ita restitutionem carnis faciliorem credas institutione.

12. Aspice nunc ad ipsa quoque exempla divinae potestatis. Dies moritur in noctem et tenebris usquequaque sepelitur. Funestatur mundi honor, omnis substantia denigratur. Sordent, silent, stupent cuncta, ubique justitium est, quies

39. codd. *exemplum*, quod nullum sensum praebet; editt. ereptum, conjicio *exemptum*. Eximere v. m. l. = interimere. 40. i. e. in naturâ, omnium oculis expositâ. 41. al. *nesciant*. *Sitire* = nondum habere vel nosse, v. Tert 42. v. Tert. = inchoare, initiari.

rerum. Ita lux amissa lugetur. Et tamen rursus cum suo cultu, cum dote, cum sole, eadem et integra et tota universo orbi reviviscit, interficiens mortem suam, noctem, rescindens sepulturam suam, tenebras, haeres sibimet existens, donec et nox reviviscat cum suo et illa suggestu. Reaccenduntur enim et stellarum radii, quos matutina suggestio extinxerat. Reducuntur et siderum absentiae, quas temporalis distinctio exemerat. Reornantur et specula lunae, quae menstruus numerus adtriverat. Revolvuntur hiemes et aestates, et verna, et autumna cum suis viribus, moribus, fructibus. Quippe etiam terrae de coelo disciplina est arbores vestire post spolia, flores denuo colorare, herbas rursus imponere, exhibere eadem quae absumpta sint semina: nec prius exhibere quam absumpta. Mira ratio: de fraudatrice servatrix; ut reddat intercipit; ut custodiat, perdit; ut integret vitiat; ut etiam ampliet, prius decoquit. Siquidem uberiora et cultiora restituit quam exterminavit; revera foenore interitu, et injuria usura, et lucro damno. Semel dixerim: universa conditio recidiva est. Quodcunque conveneris, fuit; quodcunque amiseris, nihil non iterum est. Omnia in statum redeunt quum abscesserint; omnia incipiunt quum desierint: ideo finiuntur, ut fiant. Nihil deperit nisi in salutem. Totus igitur hic ordo revolubilis rerum testatio est resurrectionis mortuorum. Operibus eam praescripsit Deus ante quam literis, viribus praedicavit ante quam vocibus. Praemisit tibi naturam magistram, summissurus et prophetiam, quo facilius credas prophetiae discipulus naturae, quo statim admittas cum audieris, quod ubique iam videris. Nec dubites Deum carnis etiam resuscitatorem, quem omnium noris restitutorem. Et utique si omnia homini resurgunt, cui procurata sunt, porro non homini, nisi et carni: quale est, ut ipsa depereat in totum, propter quam et cui nihil deperit?

13. Si parum universitas resurrectionem figurat, si nihil tale conditio signat: quia singula ejus non tam mori quam desinere dicantur, nec redanimari, sed reformari existimentur, accipe plenissimum atque firmissimum hujus spei specimen, siquidem animalis est res et vitae obnoxia et morti. Illum dico

alitem orientis peculiarem, de singularitate famosum, de posteritate monstruosum: qui semetipsum libenter funerans renovat natali fine decedens atque succedens, iterum Phoenix, ubi jam nemo, iterum ipse, qui non jam; alius idem. Quid expressius atque signatius in hanc caussam, aut cui alii rei tale documentum? Deus etiam scripturis suis: *et florebit enim*, inquit, *velut phoenix*[43], id est de morte, de funere; uti credas, de ignibus quoque substantiam corporis exigi posse. *Multis passeribus antestare*[44] nos dominus pronunciavit. Si non et phoenicibus, nihil magnum. Sed homines semel interibunt, avibus Arabiae resurrectione securis?

14. Talia interim divinarum virium liniamenta non minus parabolis operato Deo quam locuto veniamus et ad ipsa edicta atque decreta ejus, quo cum maxime divisionem istam materiae ordinamus. Exorsi enim sumus ab auctoritate carnis, an ea sit cui dilapsae salus competat; dehinc prosecuti de potentia Dei, an tanta sit, quae salutem conferre dilapsae rei soleat. Nunc si probavimus utrunque, velim etiam de caussa requiras: an sit aliqua tam digna, quae resurrectionem carnis necessariam et rationi certe omni modo debitam vindicet; quia subest dicere: etsi caro capax restitui, etsi divinitas idonea restituendi, sed caussa restitutionis praeesse debebit. Accipe igitur et caussam, qui apud Deum discis tam optimum, quam et justum, de suo optimum, de nostro justum. Nisi enim homo deliquisset, optimum solummodo Deum nosset ex naturae proprietate. At nunc etiam justum eum patitur ex caussae necessitate. Tamen et hoc ipso optimum, dum et justum. Et bono enim juvando et malo puniendo justitiam exhibens utramque sententiam bono praestat, hinc vindicans istud, inde remunerans illud. Sed cum Marcione plenius disces[45], an hoc sit Dei totum. Interim talis est merito noster: merito judex, quia dominus, merito dominus, quia auctor, merito auctor, quia Deus. Hinc et ille nescio quis haereticorum[46] merito non judex, non enim Deus; merito

43. Ps. 92, 13. Lusus in verbis, phoenix enim et arborem et alitem denotat. 44. Mth. 10, 31. 45. i. e. libris meis contra Marcionem scriptis. 46. illud, nescio quo nomine dicam, haereticorum numen.

non dominus, non enim auctor; nescio jam si Deus, qui nec auctor, quod Deus, nec dominus, quod auctor. Igitur si Deo et domino et auctori congruentissimum est judicium in hominem destinare de hoc ipso, an dominum et auctorem suum agnoscere et observare curarit, an non; itaque judicium resurrectio expunget? Haec erit tota caussa imo necessitas resurrectionis, congruentissima scilicet Deo destinatio judicii, de cujus dispositione dispicias, an utrique substantiae humanae dijudicandae censura divina praesideat, tam animae quam et carni. Quod enim congruet judicari, hoc competet etiam resuscitari. Dicimus plenum primo perfectumque credendum judicium Dei, ut ultimum jam atque exinde perpetuum. Ut sic quoque justum, dum non in aliquo minus; ut sic quoque Deo dignum, dum pro tanta ejus patientia plenum atque perfectum. Itaque perfectam plenitudinem perfectionemque judicii non nisi de totius hominis repraesentatione constare, totum porro hominem ex utriusque substantiae concretione parere, idcircoque in utraque exhibendum, quem totum oporteat judicari, qui nisi totus, utique non vixerit. Qualis ergo vixerit, talem judicari: quia de eo, quod vixerit, habeat judicari. Vita est enim caussa judicii, per tot substantias dispungenda, per quot et functa est.

15. Age jam scindant adversarii nostri carnis animaeque contextum prius in vitae administratione, ut ita audeant scindere illud etiam in vitae remuneratione. Negent operarum societatem, ut merito possint etiam mercedem negare. Non sit particeps in sententia caro, si non fuerit et in caussa. Sola anima revocetur, si sola decedit. At enim non magis sola decedit, quam sola decucurrit illud unde decedit, vitam hanc dico. Adeo autem non solum anima transigit vitam, ut nec cogitatus, licet solos, licet non ad effectum per carnem deductos, auferamus a collegio carnis. Siquidem in carne et cum carne et per carnem agitur ab anima, quod agitur in corde. Hanc denique carnis speciem, arcem animae, etiam dominus in suggillatione cogitatuum taxat: *Quid cogitatis in cordibus vestris nequam?* et: *Qui conspexerit mulierem ad concupiscendum, jam adulteravit in*

corde. Adeo et sine opere et sine effectu cogitatus carnis est actus. Sed etsi in cerebro, vel in medio superciliorum discrimine, vel ubi philosophis placet, principalitas sensuum consecrata est, quod Hegemonicon appellatur: caro erit omne animae cogitatorium[47]. Nunquam anima sine carne est, quamdiu in carne est. Nihil non cum illa agit, sine qua non est. Quaere adhuc an cogitatus quoque per carnem administrentur, qui per carnem dinoscuntur extrinsecus. Volutet aliquid anima, vultus operatur indicium: facies intentionum omnium speculum est. Negent factorum societatem cui negare non possunt cogitatorum. Et illi quidem delinquentias carnis enumerant: ergo peccatrix tenebitur supplicio. Nos vero etiam virtutes carnis opponimus: ergo et bene operata tenebitur praemio. Et si anima est, quae agit et impellit in omnia, carnis obsequium est. Deum non licet aut injustum judicem credi aut inertem: injustum, si sociam bonorum operum a praemiis arceat, inertem, si sociam malorum a suppliciis secernat, cum humana censura eo perfectior habeatur, quo etiam ministros facti cujusque deposcit, nec parcens nec invidens illis, quo minus cum auctoribus aut poenae aut gratiae communicent fructum.

16. Sed cum imperium animae, obsequium carni distribuimus, prospiciendum est ne et hoc alia argumentatione subvertant, ut velint carnem sic in officio animae collocare, non quasi ministram, ne et sociam cogantur cognoscere. Dicent enim ministros et socios habere arbitrium ministrandi atque sociandi et potestatem suae voluntatis in utrumque, homines scilicet et ipsos: idcirco cum auctoribus merita communicare, quibus operam sponte accommodarint; carnem autem nihil sapientem, nihil sentientem per semetipsam, non velle, non nolle de suo habentem, vice potius vasculi apparere[48] animae, ut instrumentum, non ut ministerium. Itaque animae solius judicium praesidere[49], qualiter usa sit vasculo carnis; vasculum vero ipsum non esse sententiae obnoxium: quia nec calicem damnari, si-

47. i. e. locus vel sedes cogitandi. V. Tert. 48. apparere v. m. l. = servire, famulari. 49. videtur esse = praejacere, imminere.

quis eum veneno temperarit, nec gladium ad bestias pronunciari, siquis eo latrocinium fuerit operatus. Jam ergo innocens caro ex ea parte, qua non reputabuntur illi operae malae: et nihil prohibet innocentiae nomine salvam eam fieri. Licet enim nec bona opera reputentur illi, sicut nec mala: divinae tamen benignitati magis competit innocentes liberare. Beneficus enim debet, optimi est autem etiam quod non debetur offerre. Et tamen calicem non dico venenarium, in quem mors aliqua ructarit[50], sed fictricis[1] vel archigalli[2] vel gladiatori saut carnificis spiritu infectum, quaero an minus damnes quam oscula ipsorum? nostris quoque sordibus nubilum, vel non pro animo temperatum, elidere solemus, quo magis puero irascamur. Gladium vero latrociniis ebrium quis non a domo tota, nedum a cubiculo, nedum a capitis sui officio[3] relegabit: praesumens scilicet nihil aliud se quam inludia animarum somniaturum, urgentium et inquietantium sanguinis sui concubinum. At enim et calix bene sibi conscius et de diligentia ministerii commendatus coronis quoque potatoris sui inorabitur[4] aut aspergine florum honorabitur. Et gladius bene de bello cruentus et melior homicida[5] laudem suam consecratione pensabit. Est ergo et in vascula et in instrumenta sententiam figere[6], ut dominorum et auctorum meritis et ipsa communicent; ut huic quoque argumentationi satisfecerim, licet ab exemplo vacet diversitas rerum. Omne enim vas vel instrumentum aliunde in usus venit, extranea omnino materia a substantia hominis. Caro autem ab exordio uteri consata, conformata, congenita animae etiam in omni operatione miscetur illi. Nam etsi vas vocat Apostolus, quam jubet in honore tractari[7], eadem tamen ab eodem homo exterior appellatur; ille scilicet limus, qui prior titulo hominis incisus est, non calicis, aut gladii, aut vasculi ullius. Vas enim

50. Intellige, in quem moriens aliquis cum veneno animam eructavit. 1. i. e. sagae, φαρμακίδος veneua miscentis. — Al. *frictricis* i. e. feminae in proprium corpus libidinem exercentis. 2. i. e. principis Gallorum, seu Eunuchorum, e quibus sacerdotes Cybeles eligebantur. 3. a cervicali suo. 4. *inorare* v. Tert. = circum oras coronare. Al. *inornabitur*. 5. Et bellum et latrocinium homicidium vocat, sed illud quasi melius vel honestius. 6. i. e. sententiam judicialem de iis ferre. 7. 1 Thess. 4, 4.

capacitatis nomine dicta est[8], qua animam capit et continet, homo vero de communione naturae, quae eam non instrumentum in operationibus praestat, sed ministerium. Ita et ministerium tenebitur judicio, etsi de suo nihil sapiat: quia portio est ejus, quae sapit, non supellex. Hoc et Apostolus sciens nihil carnem agere per semetipsam, quod non animae deputetur, nihilominus peccatricem judicat carnem, ne eo quod ab anima videtur impelli, judicio liberata credatur. Sic et cum aliquas laudis operas carni indicit, *glorificate*, *tollite Deum in corpore vestro*[9]: certus et hos conatus ab anima agi, idcirco tamen et carni eos mandat, quia et illi fructum repromittit. Alioquin nec exprobratio competisset in alienam culpae nec adhortatio in extraneam gloriae; et exprobratio enim et exhortatio vacarent erga carnem, si vacaret et merces, quae in resurrectione captatur.

17. Simplicior quisque fautor sententiae nostrae putabit carnem etiam idcirco repraesentandam esse judicio, quia aliter anima non capiat passionem tormenti seu refrigerii, utpote incorporalis: hoc enim vulgus existimat. Nos autem animam corporalem et hic profitemur et in suo volumine[10] probamus, habentem proprium genus substantiae soliditatis, per quam quid et sentire et pati possit. Nam et nunc animas torqueri fovérique penes inferos, licet nudas, licet adhuc exules carnis, probavit Lazari exemplum. Dedi igitur adversario dicere: ergo quae habet corpulentiam propriam, de suo sufficiet ad facultatem passionis et sensus, ut non egeat repraesentatione carnis. Imo eatenus egebit, non quia sentire quid sine carne non possit, sed quia necesse est illam etiam cum carne sentire. Quantum enim ad agendum de suo sufficit, tantum et ad patiendum. Ad agendum autem minus de suo sufficit: habet enim de suo solummodo cogitare, velle, cupere, disponere; ad perficiendum autem operam carnis expectat. Sic itaque et ad patiendum societatem carnis expostulat, ut tam plene per eam pati possit,

8. Non puto etymologiam tractare Tertullianum, sed simplicitur, vas, quia vasa recipiendis rebus inserviunt. Nisi vas cum vasti notione componit. Graeca quoque vox σκεῦος nil cum capacitatis notione commune habet. 9. 1 Cor. 6, 20. 10. In libro de anima.

quam sine ea plene agere non potuit. Et ideo in quae de suo sufficit, eorum interim sententiam pendit, concupiscentiae et cogitatus et voluntatis. Porro si haec satis essent ad plenitudinem meritorum, ut non requirerentur et facta, sufficeret in totum anima ad perfectionem judicii de his judicanda, in quae agenda sola suffecerat. Cum vero etiam facta devincta sint meritis, facta autem per carnem administrentur: jam non sufficit animam sine carne foveri sive cruciari pro operibus etiam carnis; etsi habet corpus, etsi habet membra, quae proinde illi non sufficiunt ad sentiendum plene, quemadmodum nec ad agendum perfecte. Idcirco pro quoquo modo egit, pro eo et patitur apud inferos, prior degustans judicium sicut prior induxit admissum[11]: expectans tamen et carnem, ut per illam etiam facta compenset, cui cogitata mandavit. Denique haec erit ratio in ultimum finem destinati judicii, ut exhibitione carnis omnis divina censura perfici possit. Alioquin non sustineretur in finem[12], quod et nunc animae decerpunt[13] apud inferos, si solis animabus destinaretur.

18. Hucusque praestructionibus egerim ad muniendos sensus omnium scripturarum, quae carnis recividatum pollicentur. Cui cum tot auctoritates justorum patrociniorum procurent, honores dico substantiantiae ipsus, tum vires Dei tum exempla earum, tum rationes judicii et necessitates ipsius: utique secundum praejudicia tot auctoritatum scripturas intelligi oportebit, non secundum ingenia haereticorum de sola incredulitate venientia: quia incredibile habeatur restitui substantiam interitu subductam, non quia aut substantiae ipsi inemeribile[14] sit, aut Deo impossibile, aut judicio inhabile. Plane incredibile, si nec praedicatum divinitus fuerit; nisi quod etsi praedicatum id a Deo non fuisset, ults fuerit; nisirobuisset, ut propterea non praedicatum, quia tot auctoritatibus praejudicatum. At cum divinis quoque vocibus personat, tanto abest ut aliter intelligatur quam desiderant illa, a quibus etiam sine divinis vo-

---

11. v. m. l. = crimen. 12. i. e. non opus esset finali judicio, quia totam jam poenam luerent. 13. i. e. degustant, praelibant. 14. v. Tert. quod caro consequi vel emereri non potest.

cibus persuadetur. Videamus igitur hoc primum, quonam titulo spes ista proscripta sit. Unum, opinor, apud omnes edictum Dei pendet[15]: resurrectio mortuorum. Duo verba expedita, decisa, detersa. Ipsa conveniam, ipsa discutiam, cui se substantiae addicant. Cum audio *resurrectionem* homini imminere, quaeram necesse est, quid ejus cadere sortitum sit. Siquidem nihil resurgere expectabit nisi quod ante succiderit. Qui ignorat carnem cadere per mortem, potest eam nec stantem nosse per vitam. Sententiam Dei natura pronunciat: *Terra es, et in terram ibis*[16]. Et qui non audit videt: nulla mors non ruina membrorum. Hanc corporis sortem dominus quoque expressit, cum ipsa substantia indutus: *Diruite,* inquit, *templum istud, et ego illud triduo resuscitabo*[17]. Ostendit enim cujus sit dirui, cujus elidi, cujus jacere, cujus et relevari et resuscitari; quamquam et animam circumferret trepidantem usque ad mortem, sed non cadentem per mortem. Quia et scriptura: *de corpore,* inquit, *suo dixerat*[18]. Atque adeo caro est, quae morte subruitur, ut exinde a cadendo cadaver renuncietur. Anima porro nec vocabulo cadit, quia nec habitu ruit. Atquin ipsa est, quae ruinam corpori infert cum efflata est: sicut ipsa est, quae illud de terra suscitabit ingressa. Non potest cadere, quae suscitabit ingressa; non potest ruere, quae elidit egressa. Arctius dicam: ne in somnum quidem cadit anima cum corpore, ne tum quidem sternitur cum carne. Sed enim agitatur in somnis et jactitatur: quiesceret autem, si jaceret, et jaceret, si caderet. Ita nec in veritate mortis cadit, quae nec in imagine ejus ruit. Sequens nunc vocabulum *mortuorum* aeque dispice, cui substantiae insidat; quanquam in hac materia admittamus interdum mortalitatem animae assignari ab haereticis, ut, si anima mortalis resurrectionem consecutura est, praejudicium sit et carni non minus mortali resurrectionem communicaturae. Sed nunc proprietas vocabuli vindicanda est suae sorti. Jam quidem eo ipso quod resurrectio caducae rei est, id est carnis, eadem[19] erit et in nomine mortui, quia caducae rei est resurrectio, quae

15. quasi in tabula publica propositum est. 16. Gen. 3, 19. 17. Joh. 2, 19. 18. Joh. 2, 21. 19. scil. res caduca.

dicitur mortuorum. Sic et per Abraham patrem fidei, divinae familiaritatis virum discimus. Postulans enim Sarae humandae locum de filiis Chet: *Date ergo, inquit, mihi possessionem sepulchri vobiscum, et humabo mortuum meum*[20], carnem scilicet. Neque enim animae humandae spatium desiderasset, etsi anima mortalis crederetur, etsi *mortuus* dici mereretur. Quod si *mortuus* corpus est, corporum erit resurrectio, cum dicitur mortuorum.

19. Et haec itaque dispectio tituli et praeconii ipsius, fidem utique defendens vocabulorum, illuc proficere debebit, ut si quid pars diversa[21] turbat obtentu figurarum et aenigmatum, manifestiora quaeque praevaleant et de incertis certiora praescribant. Nacti enim quidam sollennissimam eloquii prophetici formam, allegorici et figurati plerumque, non tamen semper, resurrectionem quoque mortuorum manifeste annunciatam in imaginariam significationem distorquent; asseverantes ipsam etiam mortem spiritaliter intelligendam. Non enim hanc esse in vero, quae sit in medio: discidium carnis atque animae; sed ignorantiam Dei, per quam homo, mortuus Deo, non minus in errore jacuerit quam in sepulchro. Itaque et resurrectionem eam vindicandam, qua quis adita veritate redanimatus et revivificatus Deo, ignorantiae morte discussa, velut de sepulchro veteris hominis eruperit: quia et dominus scribas et pharisaeos sepulchris dealbatis adaequaverit. Exinde ergo resurrectionem fide consecutos cum domino esse, cum eum in baptismate induerint. Hoc denique ingenio etiam in colloquiis saepe nostros decipere consueverunt, quasi et ipsi resurrectionem carnis admittant. Vae, inquiunt, qui non in hac carne resurrexerit: ne statim illos percutiant, si resurrectionem statim abnuerint. Tacite autem secundum conscientiam suam hoc sentiunt: Vae, qui non, dum in hac carne est, cognoverit arcana haeretica: hoc est enim apud illos resurrectio. Sed et plerique ab excessu animae resurrectionem vindicantes[22], de sepulchro exire de seculo evadere interpretantur: quia et secu-

20. Gen. 23, 4. 21. i. e. adversarii. 22. de animae e corpore liberatione per mortem resurrectionem intelligentes.

lum mortuorum sit habitaculum, id est ignorantium Deum. Vel etiam de ipso corpore, quia et corpus vice sepulchri conclusam animam in secularis vitae morte detineat.

20. Ob hujusmodi igitur conjecturas primam praestructionem eorum depellam, qua volunt omnia prophetas per imagines concionatos: quando, si ita esset, ne ipsae quidem imagines distingui potuissent, si non et veritates praedicatae fuissent, ex quibus imagines deliniarentur. Atque adeo si omnia figurae, quid erit illud cujus figurae? Quomodo speculum obtendes, si nusquam est facies? Adeo autem non omnia imagines, sed et veritates, nec omnia umbrae, sed et corpora, ut in ipsum quoque dominum insigniora quaeque luce clarius praedicarentur. Nam et virgo concepit in utero non figurate; et peperit Emanuelem, nobiscum deum, Jesum, non oblique[23]; et si oblique accepturum *virtutem Damasci et spolia Samariae*[24] sed manifeste *venturum in judicium cum presbyteris et principibus populi.*[25] Nam et *tumultuatae sunt gentes* in persona Pilati, et *populi meditati sunt inania* in persona Israelis. *Astiterunt reges terrae,* Herodes, et *archontes congregati sunt in unum*, Annas et Caiphas, *adversus dominum et adversus Christum ejus*[26]. Qui et *tanquam ovis ad jugulationem adductus est*, et *tanquam agnus ante tondentem,* scilicet Herodem, *sine voce, sic non aperuit os suum*[27], *dorsum suum ponens ad flagella*, et *maxillas in palmas*, et *faciem non avertens a sputaminum jaculis*[28]*: deputatus* etiam *inter iniquos*[29], *perfossus manus et pedes: sortem* passus in *vestimento,* et *potus amaros*, et *capitum irridentium nutus*[30], *triginta argenteis appreciatus* a proditore[31]. Quae hic figurae apud Esaiam, quae imagines apud David, quae aenigmata apud Hieremiam[32], ne virtutes quidem ejus per parabolas profatos? Aut nunquid nec *oculi patefacti* sunt *caecorum*, nec *inclaruit lingua mutorum,* nec *manus aridae*, et *genua dissoluta revaluerunt*, nec *claudi salierunt ut cervus?*[33] Quae etsi spiritaliter quoque inter-

23. Jes. 7, 14. 24. Jes. 8, 4. 25. Jes. 3, 14. 26. Ps. 2, 1 sqq. 27. Jes. 53, 7. 28. Jes. 50, 6. 29. Jes. 53, 12. 30. Ps. 22, 17. 19. 69, 22. 22, 8. 31. Zach. 11, 12. 32. fortasse Zachariam scribere voluit nisi locum Jer. 32, 9. in animo habet. 33. Jes. 35, 3. 5 sq.

pretari solemus secundum comparationem animalium vitiorum a domino remediatorum, cum tamen et carnaliter adimpleta sunt, ostendunt prophetas in utramque speciem praedicasse, salvo eo quod plures voces eorum nudae et simplices et ab omni allegoriae nubilo purae defendi possunt: ut cum exitus gentium et urbium resonant, Tyri et Aegypti, et Babylonis et Idumaeae[34] et Carthaginensium navium[35]; ut cum ipsius Israelis plagas aut venias, captivitates, restitutiones, ultimaeque dispersionis exitum perorant. Quis haec interpretabitur magis quam recognoscet? res in litteris tenentur, ut litterae in rebus legantur. Ita non semper nec in omnibus allegorica forma est prophetici eloquii. Sed interdum et in quibusdam.

21. Si ergo interdum et in quibusdam, inquis, cur non et in edicto resurrectionis spiritaliter intelligendae? quoniam quidem plurima ratio intercedit. Primo enim quid facient tot ac talia instrumenta divina[36], ita aperte corporalem contestantia resurrectionem, ut nullam admittant figuratae significantiae suspicionem? Et utique aequum sit, quod et supra[37] demandavimus, incerta de certis et obscura de manifestis praejudicari: vel ne inter discordiam certorum et incertorum, manifestorum et obscurorum fides dissipetur, veritas periclitetur, ipsa divinitas ut inconstans denotetur. Tunc quod verisimile non est, ut ea species sacramenti, in quam fides tota committitur, in quam disciplina tota connititur, ambigue annunciata et obscure proposita videatur: quando spes resurrectionis, nisi manifesta de periculo et praemio, neminem ad ejusmodi praesertim religionem, publico odio et hostili elogio obnoxiam, persuaderet. Nullum opus certum est mercedis incertae. Nullus timor justus est periculi dubii. Et merces autem, et periculum in resurrectionis pendet eventu. Et si temporalia et localia et personalia Dei decreta atque judicia in urbes et gentes et reges tam aperta prophetia jaculata est, quale est ut aeternae dispositiones ejus et universales in omne hominum genus lucem sui fugerint? quae quanto majora, tanto clariora esse de-

34. Jes. capp. 13. 21. 23. 29. 35. Jes. 23, 1. LXX. 36. i. e. loca scripturae, diplomatum instar habenda. 37. cap. 19.

berent, ut maiora crederentur. Et puto Deo nec livorem, nec dolum, nec inconstantiam, nec lenocinium adscribi posse, per quae fere promulgatio majorum cavillatur[38].

22. Post haec ad illas etiam scripturas respiciendum est, quae non sinunt resurrectionem, secundum animales istos ne dixerim spiritales[39], aut hic jam in veritatis agnitione praesumi[40], aut ab excessu statim vitae vindicari. Cum enim et tempora totius spei fixa sint sacrosancto stilo, nec liceat eam ante constitui quam in adventu (opinor) Christi: vota nostra suspirant in seculi hujus occasum, in transitum mundi quoque ad diem domini magnum, diem irae et retributionis, diem ultimum et occultum, nec ulli praeter quam patri notum, et tamen signis atque portentis et concussionibus elementorum et conflictationibus nationum praenotatum. Evolverem prophetias, si dominus ipse tacuisset: nisi quod et prophetiae vox erant domini, sed plus est, quod illas suo ore consignat. Interrogatus a discipulis quando eventura essent, quae interim de templi exitu eruperat, ordinem temporum primo Judaicorum usque ad excidium Hierusalem, dehinc communium usque ad conclusionem[41] seculi digerit[42]. Nam posteaquam edixit: et tunc *erit Hierusalem conculcatui nationibus, donec adimpleantur tempora nationum*[43], allegandarum scilicet a Deo et congregandarum cum reliquiis Israelis, inde jam in orbem et in seculum praedicat secundum Joelem et Danielem et universum concilium prophetarum futura signa in sole et luna et in stellis, conlisionem[44] nationum cum stupore, sonitus maris, et motus refrigescentium hominum prae metu et expectatione eorum, quae immineant orbi terrae. *Virtutes enim*, inquit, *caelorum commovebuntur, et tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus, cum plurimo potentatu et gloria. Ubi autem coeperint ista*

38. i. e. quae deo adscribere et de promulgatione majorum loqui, inconcinnum et cavillationis instar est. 39. spiritales, πνευματικούς, se ipsi dicere soliti erant Gnostici, animales, ψυχικούς, potius nuncupandos Tertullianus asserit, hac imprimis occasione, cum et resurrectionem solarum animarum, exclusa carnis, profitebantur. 40. mortem ignorantiam dicentes resurrectionem de veritatis agnitione intelligebant. 41. al. *consummationem*. 42. plerique: *dirigit*. 43. Luc. 21, 24. 44. al. *conclusionem*.

fieri, emergetis et elevabitis capita vestra, quod redemptio vestra adpropinquaverit[45]. Et tamen appropinquare eam dixit non adesse jam: et cum coeperint ista fieri, non cum facta fuerint: quia cum facta fuerint, tunc aderit redemptio nostra, quae eo usque adpropinquare dicitur; erigens interim et excitans animos ad proximum jam spei fructum. Cujus etiam parabola subtexitur[46] tenerescentium arborum in caulem floris, et dehinc florem frugis antecursorem. *Ita et vos cum videritis omnia ista fieri, scitote in proximo esse regnum Dei. Vigilate ergo omni tempore, ut digni habeamini effugere omnia ista, et stetis ante filium hominis*[47], utique per resurrectionem, omnibus ante transactis. Ita etsi in agnitione sacramenti fruticat, sed in domini repraesentatione florescit atque frugescit. Quis ergo dominum tam intempestive, tam acerbe excitavit, jam ad dexteram Dei, ad confringendam terram secundum Esaiam[48], quae, puto, adhuc integra est? Quis inimicos Christi jam subjecit pedibus ejus secundum David[49], quasi velocior patre, omni adhuc popularium coetu reclamante Christianos ad leonem? Quis coelo descendentem Jesum talem conspexit, qualem ascendentem Apostoli viderant, secundum angelorum constitutum[50]? Nulla ad hodiernum tribus ad tribum pectora caeciderunt, agnoscentes quem pupugerunt[1]. Nemo adhuc excepit Heliam[2], nemo adhuc fugit antichristum[3], nemo adhuc Babylonis exitum flevit[4]. Et est jam qui resurrexerit, nisi haereticus? Exiit plane jam de corporis sepulchro, etiam nunc febribus et hulceribus obnoxius, et conculcavit jam inimicos, etiam nunc luctari habens cum mundi potentibus. Et utique jam regnat, etiam *nunc Caesari quae sunt Caesaris* debens[5].

23. Docet quidem Apostolus, Colossensibus scribens, *mortuos* fuisse nos aliquando, *alienatos et inimicos sensus domini, cum in operibus pessimis agebamus*; dehinc *consepultos Christo in baptismate*, et *conresuscitatos in eo per fidem efficaciae Dei,*

---

45. Luc. 21, 25—28. cf. Joel 3, 3 sq. Dan. 7, 13 sqq. 46. Mth. 24, 32 sq. Luc. 21, 29—31. 47. Mth. 24, 42. Luc. 21, 36. 48. Jes. 2, 19. 49. Ps. 110, 1. 50. Act. 1, 11. 1. Zach. 12, 10. Joh. 19, 37. 2. Mal. 4, 5. 3. Apoc. 12, 6. (?) 4. ib. 18, 2. 5. Mth. 22, 21.

qui illum suscitarit a mortuis. Et *vos, cum mortui essetis delictis et praeputiatione carnis vestrae, vivificavit cum eo, donatis vobis omnibus delictis*[6]. Et rursus: *Si cum Christo mortui estis ab elementis mundi, quomodo quidam quasi viventes in mundo sententiam fertis*[7]*?* Sed cum ita nos mortuos faciat spiritaliter, ut tamen et corporaliter quandoque morituros agnoscat, utique et resuscitatos proinde spiritaliter deputans, aeque non negat etiam corporaliter resurrecturos. Denique *si resurrexistis*, inquit, *cum Christo, ea quae sursum sunt quaerite, ubi est Christus in dextera Dei residens. Ea quae sursum sunt sapite, non quae deorsum*[8]. Ita animo ostendit resurgere, quo solo adhuc possumus coelestia attingere. Quae non quaereremus nec saperemus, si possideremus. Subjicit etiam: *Mortui enim estis*, scilicet delictis, non vobis, *et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*[9]. Nondum ergo adprehensa est, quae abscondita est. Sic et Joannes: *Et nondum*, ait, *manifestatum est, quid futuri simus. Scimus quia, si manifestaverit, similes ejus erimus*[10]. Tanto abest ut simus jam, quod nescimus: utique scituri si jam essemus. Adeo contemplatio est spei in hoc spatio per fidem, non praesentatio: nec possessio, sed expectatio De qua spe et expectatione Paulus ad Galatas: *Nos enim spiritu ex fide spem justitiae expectamus*[11]*;* non ait tenemus. Justitiae autem Dei dicit ex judicio, quo judicabimur de mercede. Ad quam pendens et ipse, cum Philippensibus scribit. *Si qua*, inquit, *concurram in resuscitationem, quae est a mortuis, non quia jam accepi aut consummatus sum.* Et utique crediderat et omnia sacramenta[12] cognoverat, vas electionis, doctor nationum, et tamen adjicit: *Persequor autem, si adprehendam, in quo sum adprehensus a Christo.* Eo amplius: *ego me, fratres, non puto adprehendisse; unum plane, oblitus posteriorum in priora me extendens, secundum scopum persequor ad palmam incriminationis*[13], *per quam concurrerem*[14], utique in resuscitationem a mortuis, suo tamen tempore,

6. Col. 2, 12 sq. 7. Col. 2, 20. 8. Col. 3, 1 sqq. 9. Col. 3, 3. 10. 1 Joh. 3, 2. 11. Gal. 5, 5. 12. = mysteria religionis Christianae. 13. Videtur Tert. pro recepta *τῆς ἄνω κλήσεως* legisse *τῆς ἀνεγκλήσεως*. *Incriminatio* v. Tert. = innocentia. 14. Phil. 3, 11 sqq.

sicut ad Galatas: *Bene autem facientes ne taedeat: tempore enim suo metemus*[15]. Sicut et ad Timotheum de Onesiphoro: *Det illi dominus invenire misericordiam in illo die*[16]. In quem diem ac tempus et ipsi praecipit *custodire mandatum immaculatum, inreprehensibile, in apparentiam domini Jesu Christi, quam suis temporibus ostendet beatus et solus potentator et rex regnantium et dominus dominantium*[17], de Deo dicens. De quibus temporibus et Petrus in Actis: *Poeniteat itaque vos et resipiscite ad abolenda delicta vestra, ut tempora vobis superveniant refrigerii ex persona Dei, et mittat praedesignatum vobis Christum, quem oportet accipere caelos adusque tempora exhibitionis omnium, quae locutus est Deus ore sanctorum prophetarum*[18].

24. Quae tempora, cum Thessalonicensibus disce. Legimus enim *qualiter conversi sitis ab idolis ad serviendum vivo et vero Deo et ad expectandum e coelis filium ejus, quem suscitavit ex mortuis, Jesum*[19]. Et rursus: *Quae enim spes nostra vel gaudium vel exultationis corona, quam et vos coram domino nostro Jesu Christo in adventu ipsus*[20]*?* Item: *Coram Deo et patre nostro in adventu domini nostri Jesu Christi, cum universis sanctis ejus*[21]. De quorum dormitione minus moerenda docens simul et tempora resurrectionis exponit, dicens: *Si enim credimus quod Jesus mortuus sit et resurrexerit, sic et Deus eos, qui dormierunt, per Jesum adducet cum ipso. Hoc enim dicimus vobis in sermone Dei: quod nos, qui vivimus, qui remanemus in adventum domini nostri, non praeveniemus eos, qui dormierunt. Quoniam ipse dominus in jussu et in voce archangeli et tuba Dei descendet de coelo, et mortui in Christo primi resurgent. Deinde nos, qui vivimus, qui simul cum illis tollemur in nubibus obviam Christo in aërem; et ita semper cum domino erimus*[22]. Quae vox archangeli, quae tuba Dei audita jam, nisi forte in cubiculis haereticorum? Nam etsi tuba Dei evangelicus sermo dici potest, qui illos jam vocaret; sed aut mortui erunt jam corporaliter, ut resurrexerint, et quomodo vivunt? aut in nubes erepti, et quomodo hic sunt?

15. Gal. 6, 9. 16. 2 Tim. 1, 18. 17. 1 Tim. 6, 14 sq. 18. Act. 3, 19 sqq. 19. 1 Thess. 1, 9 sq. 20. 1 Thess. 2, 19. 21. 1 Thess. 3, 13. 22. 1 Thess. 4, 13—17.

miserrimi revera, ut Apostolus pronunciavit, *qui in ista tantum vita sperantes habebuntur*[23], excludendi, dum praeripiunt quod post illam repromittitur, frustrati circa veritatem, non minus quam Phygellus et Hermogenes. Et ideo majestas spiritus sancti, perspicax ejusmodi sensuum, et in ipsa ad Thessalonicenses epistola suggerit: *De temporibus autem et temporum spatiis, fratres, non est necessitas scribendi vobis. Ipsi enim certissime scitis, quod dies domini, quasi fur nocte, ita adveniet. Cum dicent: pax, et tuta sunt omnia, tunc illis repentinus insistet interitus*[24]. Et in secunda pleniore sollicitudine ad eosdem: *Obsecro vos, fratres, per adventum domini nostri Jesu Christi et congregationem nostram ad illum, ne cito commoveamini animo neque turbemini, neque per spiritum, neque per sermonem*, scilicet pseudoprophetarum, *neque per epistolam*, scilicet pseudoapostolorum, *ac si per nostram: quasi insistat dies domini. Ne quis vos seducat ullo modo, quoniam*[25]*: nisi veniat abscessio primo,* hujus utique regni, *et reveletur delinquentiae homo*, id est antichristus, *filius perditionis, qui adversatur et superextollitur in omne quod Deus dicitur, vel religio, uti sedeat in templo Dei, adfirmans Deum se. Nonne meministis quod, cum apud vos essem, haec dicebam vobis? Et nunc qui detineat scitis, ad revelandum eum in suo tempore. Jam enim arcanum iniquitatis agitatur, tantum qui nunc tenet teneat, donec de medio fiat.* Quis, nisi Romanus status, cujus abscessio in decem reges dispersa antichristum superducet? Et *tunc revelabitur iniquus, quem dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et evacuabit apparentia adventus sui. Cujus est adventus secundum operationem satanae in omni virtute et signis atque portentis mendacii et in omni seductione injustitiae eis qui pereunt*[26].

25. Etiam in Apocalypsi Joannis[27] ordo temporum sternitur, quem martyrum quoque animae sub altari ultionem et judicium flagitantes sustinere didicerunt: ut prius et orbis de pateris angelorum plagas suas ebibat, et prostituta illa civitas a decem regibus dignos exitus referat, et bestia anti-

23. 1 Cor. 15, 19. 24. 1 Thess. 5, 1 sqq. 25. scil. non insistit. 26. 2 Thess. 2, 1 sqq. 27. Apoc. 20.

christus cum suo pseudopropheta certamen ecclesiae Dei inferat, atque ita diabolo in abyssum interim relegato primae resurrectionis praerogativa de soliis ordinetur, dehinc et igni dato universalis resurrectionis censura de libris[28] judicetur. Cum igitur et status temporum ultimorum scripturae notent, et totam Christianae spei frugem in exodio[29] seculi collocent: apparet aut tunc adimpleri totum quodcunque nobis a Deo repromittitur, et vacat, quod hic jam ab haereticis vindicatur; aut, si et agnitio sacramenti[30] resurrectio est, salva utique illa creditur quae in ultimo praedicatur. Et sequitur ut eo ipso, quo haec spiritalis vindicatur, illa corporalis praejudicetur; quia si nulla tunc annunciaretur, merito sola haec et tantummodo spiritalis vindicaretur. Cum vero et in ultimum tempus edicitur, corporalis agnoscitur, quia non et tunc spiritalis annunciatur. Cur enim iterum annunciaretur resurrectio ejusdem conditionis, id est spiritalis, cum aut nunc eam deceret expungi sine ulla differentia temporum, aut tunc sub omni clausula temporum? Ita nobis magis competit etiam spiritalem defendere resurrectionem ab ingressu fidei, qui plenitudinem ejus agnoscimus exitum seculi.

26. Unum adhuc respondebo ad propositionem priorem allegoricarum scripturarum: licere et nobis corporalem resurrectionem de patrocinio figurati proinde eloquii prophetici vindicare. Ecce enim divina in primordio sententia terram hominem pronunciando: *Terra es, et in terram ibis*[31], secundum substantiam scilicet carnis, quae de terra erat sumpta, et quae prior homo fuerat appellata, sicut ostendimus[32], dat mihi disciplinam in carnem quoque interpretandi, si quid irae vel gratiae in terram Deus statuit, quia nec proprie terra judicio ejus obnoxia est, quae nihil boni seu mali admisit. *Maledicta quidem, quae hauserit sanguinem*[33], sed et hoc ipsum in figuram carnis homicidae. Nam etsi juvari seu laedi habet terra id quoque propter hominem, ut ille juvetur sive laedatur per con-

28. Apoc. 20, 12. 29. i. e. in fine mundi. Ἐξόδιον = exitus. v. m. l.
30. i. e. si ad veritatem christianam pertinet. 31. Gen. 3, 19. 32. cf. cap. 5.
33. Gen. 4, 11.

sistorii sui[34] exitus; quo magis ipse pensabit, quae propter illum etiam terra patietur. Itaque et cum comminatur terrae Deus, carni potius comminari eum dicam: et cum quid terrae pollicetur, carni potius polliceri eum intelligam, ut apud David: *Dominus regnavit, exultavit terra*, id est caro sanctorum, ad quam pertinet regni divini fructus. Dehinc subjungit: *Vidit et concussa est terra. Montes sicut cera liquefacti sunt a facie domini*, caro scilicet profanorum, et, *Videbunt enim eum in quem confixerunt*[35]. Atque adeo si simpliciter de terra elemento utrumque existimabitur pronunciatum, quomodo congruet et concuti et liquefieri eam a facie domini, quo supra regnante exultavit? Sic et apud Esaiam: *bona terrae edetis*[36] bona carnis intelligentur, quae illam manent in regno Dei reformatam et angelificatam et consecuturam, quae *nec oculus vidit nec auris audivit nec in cor hominis ascenderunt*[37]. Alioquin satis vanum, ut ad obsequium Deus fructibus agri et cibariis vitae hujus invitet, quae etiam inreligiosis et blasphemis semel homini addicta conditione communicat: *pluens super bonos et malos, et solem suum emittens super justos et injustos*[38]. Felix nimirum fides, si ea consecutura est, quibus hostes Dei et Christi non modo utuntur verum etiam abutuntur, ipsam conditionem[39] colentes adversus conditorem! Bulbos et tubera[40] in terrae bonis deputabis, domino pronunciante ne in pane quidem victurum hominem? Sic Judaei terrena solummodo sperando caelestia amittunt, ignorantes et panem de coelesti repromissum et oleum divinae unctionis et vinum spiritus, aquam animae vigorantis ex vite Christi. Sicut et ipsam terram sanctam Judaicum proprie solum reputant, carnem potius domini interpretandam, quae exinde et in omnibus Christum indutis sancta sit terra, vere sancta per incolatum spiritus[41] sancti, vere lacte et melle manans per suavitatem spei ipsius, vere Judaea per Dei famili-

---

34. consistorium v. m. l. i. e. locus in quo quis consistit; = terrae. 35. Ps. 97, 1 sqq. Zach. 12, 10. Joh. 19, 37. 36. Jes. 1, 19. 37. 1 Cor. 2, 9. 38. Mtth. 5, 45. 39. i. e. creaturam. 40. *Zwiebeln und Erdschwämme*, vilissima victus genera. 41. incolatus v. m. l. de iis, qui incolae fiunt, i. e. quamvis cives non sint, in terram immigrantes et ibi commorantes civium instar habentur.

aritatem. *Non enim qui manifesto Judaeus, sed qui in occulto*[42]. Ut et templum eadem[43] sit et Hierusalem, audiens ab Esaia: *Exurge, exurge Hierusalem, induere fortitudinem brachii tui; exurge sicut in primordio diei*[44], scilicet in illa integritate, quae fuerat ante delictum transgressionis. Quae enim in eam Hierusalem voces ejusmodi competent exhortationis et advocationis, quae occidit prophetas et lapidavit ad se missos et ipsum postremo dominum suum confixit? Sed nec ulli omnino terrae salus repromittitur, quam oportet cum totius mundi habitu praeterire. Etiam si quis audebit terram sanctam paradisum potius argumentari, quam et patrum dici capiat, Adae scilicet et Evae: proinde et in paradisum restitutio carni videbitur repromissa, quae eum incolare et custodire sortita est, ut talis illuc homo revocetur, qualis inde pulsus est.

27. Habemus etiam vestimentorum in scripturis mentionem ad spem carnis allegorizare, quia et Apocalypsis Joannis: *hi sunt*, ait, *qui vestimenta sua non coinquinaverunt cum mulieribus*, virgines scilicet significans, et *qui semetipsos castraverunt propter regna coelorum*[45]. Itaque in albis erunt vestibus, id est, in claritate innubae carnis. Et in evangelio indumentum nuptiale sanctitas carnis agnosci potest.[46] Itaque Esaias docens quale jejunium elegerit dominus cum subjicit de mercede bonitatis: *tunc*, inquit, *lumen tuum temporaneum erumpet et vestimenta tua citius orientur*[47], non subsericam[48] utique nec pallium sed carnem volens accipi, ortum carnis resurrecturae de mortis occasu praedicavit. Adeo nobis quoque suppetit allegorica defensio corporalis resurrectionis. Nam et cum legimus: *Populus meus, introite in cellas promas*[49] *quantulum, donec ira mea praetereat*[50], sepulchra erunt cellae promae, in quibus paulisper requiescere habebunt, qui in finibus seculi sub ultima

42. Rom. 2, 28. 29. 43. scil. caro Christi. 44. Jes. 51, 9 sqq. 45. Apoc. 3, 4. 14, 4. Mtth. 19, 12. 46. Mtth. 22, 11 sqq. 47. Jes. 58, 8. Mira citatio, de *vestimentis* ibi sermo non est, sed Vulg. habet sanitas. Videtur Tert. τὰ ἰάματα LXX. cum ἱμάτια confudisse. 48. v. m. l. = tunica ex parte bombycea. 49. proma = penaria i. e. cibis reponendis inserviens, *Vorrathskammer* v. m. l. Vulg. cubicula. Hebr. חֶדֶר sane cellam etiam penariam denotat. 50. Jes. 26, 20.

ira per Antichristi vim excesserint. Aut cur cellarum promarum potius vocabulo usus est, et non alicujus loci receptorii, nisi quia in cellis promis caro salita et usui reposita servatur, depromenda illinc suo tempore? proinde enim et corpora medicata condimentis sepulturae mausoleis et monumentis sequestrantur, processura inde cum jusserit dominus. Quod cum ita intelligi congruat, (ecquae enim ab ira Dei cellariorum nos refugia servabunt?), hoc ipso quod ait, *donec ira praetereat,* quae extinguet Antichristum, post iram ostendit processuram carnem de sepulchro, in quo ante iram fuerit illata. Nam et de cellariis non aliud effertur quam quod infertur, et post antichristi eradicationem agitabitur resurrectio.

28. Scimus autem sicut vocibus ita et rebus prophetatum. Tam dictis quam et factis praedicatur resurrectio: cum Moyses manum in sinum condit et emortuam profert, et rursus insinuat et vividam explicat[1], nonne hoc de toto homine portendit, siquidem trina virtus Dei per illa trina[2] signa denotabatur cum suo ordine: primo diabolum sepentem quamquam formidabilem subactura homini, dehinc carnem de sinu mortis retractura, atque ita omnem sanguinem executura judicio. De quo apud eundem propheten: *Quoniam et vestrum*, inquit Deus, *sanguinem exquiram de omnibus bestiis et de manu hominis et de manu fratris exquiram eum.*[3] Porro nihil exquiritur nisi quod reposcitur, nihil reposcitur nisi quod et reddetur, et utique reddetur, quod ultionis nomine reposcetur et exquiretur. Neque enim vindicari poterit, quod omnino non fuerit. Erit autem dum restituitur, uti vindicetur. In carnem itaque dirigitur quicquid in sanguinem praedicatur, sine qua non erit sanguis. Caro suscitabitur, ut sanguis vindicetur. Sunt et quaedam ita pronunciata, ut allegoriae quidem nubilo careant, nihilominus tamen ipsius simplicitatis suae sitiant interpretationem, quale est apud Esaiam: *Ego occidam et vivificabo.*[4] Certe posteaquam occiderit vivificabit. Ergo per mortem occidens per resurrectionem vivificabit. Caro est autem quae occiditur per mortem,

1. Exod. 4, 2 sqq. 2. tria miracula Exod. 4, 2 sqq. 6 sqq. 9. quae non omnia exscripsit. 3. Gen. 9, 5. 4. Jes. 38, 16. 1 Sam. 2, 6.

caro itaque et vivificabitur per resurrectionem. Certe si occidere carni animam eripere est, vivificare, contrarium ejus, carni animam referre est; caro resurgat necesse est, cui anima per occisionem erepta referenda est per vivificationem.

29. Igitur si et allegoricae scripturae et argumenta rerum et simplices voces resurrectionem carnis, quanquam sine nominatione ipsius substantiae subradiant, quanto magis quae hanc spem in ipsas substantias corporales speciali mentione determinant non erunt deducendae in quaestionem? Accipe Ezechielem:[5] Et *facta est*, inquit, *super me manus domini, et extulit me in spiritu dominus et posuit me in medio campi. Is erat ossibus refertus, et circumduxit me super ea per circuitum, et ecce multa super faciem campi: et ecce arida satis. Et ait ad me: Fili hominis, si vivent ossa ista? Et dixi: Adonai, domine, tu scis. Et ait ad me: propheta in ossa haec et dices: Ossa arida, audite sermonem domini. Haec dicit dominus adonai ossibus istis: Ecce, ego adfero in vos spiritum et vivetis, et dabo in vos spiritum et reducam in vos carnes; circumdabo vobis cutem et dabo in vobis spiritum et vivetis, et cognoscetis quod ego dominus. Et prophetavi secundum praeceptum, et ecce vox, dum propheto, et ecce motus, et accedebant ossa ad ossa. Et vidi, et ecce super ossa nervi et caro ascendit: et circumpositae sunt eis cutes, et spiritus in eis non erat. Et ait ad me: Propheta ad spiritum, fili hominis, propheta et dices ad spiritum: Haec dicit dominus adonai: A quatuor ventis veni, spiritus, et spira in istis interemptis et vivant. Et prophetavi ad spiritum sicut praecepit mihi, et introivit in ea spiritus, et vixerunt et constiterunt super pedes suos, valentia*[6] *magna satis. Et ait ad me: Fili hominis, ossa ista omnis domus Israel est. Ipsi dicunt: Exaruerunt ossa nostra, et periit spes nostra, avulsi sumus in eis. Propterea propheta ad eos: Ecce ego patefacio sepulchra vestra, et eveham vos de sepulchris vestris, populus meus, et inducam vos in terram Israel: et cognoscetis quod ego dominus aperuerim sepulchra vestra et eduxerim vos de sepulchris vestris, populus meus, et dabo vobis spiritum, et vive-*

---

5. Ez. 37, 1 sqq. 6. valentia = multitudo v. m. l.

tis et requiescetis in terra vestra, et cognoscetis quod ego dominus locutus sim et fecerim, dicit dominus.

30. Hanc quoque praedicationem scio qualiter concutiant in allegoriae argumentationem, quia dicendo: *ossa ista omnis domus Israel est,* in imaginem ea fecerit Israelis et a propria conditione transtulerit, atque ita figuratam esse non veram resurrectionis praedicationem. Statum enim Judaeorum deformari quodammodo emortuum et exaridum et dispersum in campo orbis. Itaque et imaginem resurrectionis in illum allegorizari, quia recolligi habeat et recompingi os ad os, id est tribus ad tribum et populus ad populum, et recorporari carnibus facultatum et nervis regni. Atque ita de sepulchris, id est de habitaculis captivitatis tristissimis atque teterrimis, educi et refrigerii nomine respirari [7] et vivere exinde in terra sua Judaea. Et quid post haec? Morientur sine dubio. Et quid post mortem? Nulla, opinor, resuscitatio, si non haec erit ipsa, quae Ezechieli revelatur. Sed enim et alias praedicatur resurrectio; ergo et haec erit, et temere in statum eam Judaicarum rerum convertunt. Aut si alia est illa quam defendimus, nihil mea interest, dum sit et corporum resurrectio, sicut et rerum Judaicarum. Denique hoc ipso, quod recidivatus Judaici status de recorporatione et redanimatione [8] ossuum figuratur, id quoque eventurum ossibus probatur. Non enim posset de ossibus figura componi, si non id ipsum et ossibus eventurum esset. Nam etsi figmentum veritatis in imagine est, imago ipsa in veritate est sui. Necesse est esse prius sibi, quo alii configuretur. De vacuo similitudo non competit; de nullo parabola non convenit. Ita oportebit ossuum quoque credi reviscerationem et respirationem, qualis dicitur, de qua possit exprimi Judaicarum rerum reformatio, qualis adfingitur. Sed magis religiosum est veritatem de suae auctoritate simplicitatis defendi, quam sensus divinae propositionis expostulat. Si enim ad res Judaicas spectaret haec visio, statim revelato situ ossuum subjecisset: *Ossa ista omnis domus Israelis est*, et cetera deinceps.

7. respirari passivum. i. e. spiritu instrui. 8. al. readunatione.

At cum ostensis ossibus de propria spe eorum quid obloquitur, nondum nominato Israele, et fidem temptat prophetae: *Fili hominis, si vivent ossa haec?* ut et ille responderet: *Domine, tu scis*; non utique Deus prophetae fidem de ea re tentasset, quae futura non esset, quam nunquam Israel audisset, quam credi non oporteret. Sed quoniam praedicabatur quidem resurrectio mortuorum, Israel vero pro sua incredulitate diffidens scandalizabatur, et aspiciens habitum senescentis sepulturae[9] desperabat resurrectionem, vel non in eam potius animum dirigebat, sed in circumstantias[10] suas: idcirco Deus et prophetam, qua et ipsum dubium, praestruxit ad constantiam praedicationis revelato ordine resurrectionis, et populo id credendum mandavit, quod prophetae revelavit, ipsos dicens esse ossa quae erant resurrectura, qui non credebant resurrectura. Denique in clausula: *Et cognoscetis*, inquit, *quod ego dominus locutus sim et fecerim*, id utique facturus, quod fuerat locutus. Ceterum non id facturus quod locutus, si aliter facturus quam locutus.

31. Plane si et populus allegorice mussitaret ossa sua arefacta et spem suam perditam, dispersionis exitu querulus, merito videretur et Deus figuratam desperationem figurata promissione consolatus. Sed cum dispersionis quidem injuria nondum populo accidisset, resurrectionis vero spes apud illum saepissime cecidisset, manifestus est de corporum interitu labefactans fiduciam resurrectionis. Ita et Deus eam restruebat fidem, quam populus destruebat. Quanquam etsi aliqua praesentium rerum tunc conflictatione haerebat[11] Israel, non idcirco in parabola accipienda esset revelationis intentio, sed in testationem resurrectionis: ut in illam spem erigeret illos, aeternae scilicet salutis et necessarioris restitutionis, et averteret a respectu praesentium rerum. Ad hoc enim et alibi prophetes:[12] *Exibitis de sepulchris velut vituli de vinculis soluti, et conculcabitis inimicos.*[13] Et rursus: *Gaudebit cor vestrum, et ossa vestra velut*

9. i. e. nil cernens, quam ex longe inde tempore se excipientes sepulturas, ut senilem quasi in mundo aetatem agere sepultura videretur; *die Gewohnheit uralten Begrabens*. 10. circumstantia = necessitudo, vexatio v. Tert. 11. al. moerebat. 12. al. alii prophetae. 13. Mal. 4, 2 sq.

herba orientur:[14] quia et herba de dissolutione et corruptela seminis reformatur. In summa, si proprie in Israelis statum resurgentium ossuum imago contenditur, cur etiam non Israeli tantummodo, verum et omnibus gentibus eadem spes annunciatur et recorporandarum et redanimandarum reliquiarum et de sepulchris exsuscitandorum mortuorum? de omnibus enim dictum est: *Vivent mortui et exurgent de sepulchris: ros enim, qui a te est, medela est ossibus eorum*.[15] Item alibi: *Veniet adorare omnis caro in conspectu meo*[16], dicit dominus. Quando? cum praeterire coeperit habitus mundi hujus. Supra enim: *Quemadmodum coelum novum et terra nova, quae ego facio, in conspectu meo, dicit dominus, ita stabit semen vestrum*.[17] Tunc ergo quod subjicit implebitur. Et *exibunt*, utique de sepulchris, et *videbunt artus eorum qui impie egerunt: quoniam vermis illorum non decidet et ignis eorum non extinguetur; et erunt conspectui omni carni*[18], scilicet quae resuscitata et egressa de sepulchris dominum pro hac gratia adorabit.

32. Sed ne solummodo eorum corporum resurrectio videatur praedicari quae sepulchris demandantur, habes scriptum: *Et mandabo piscibus maris et eructabunt ossa quae sunt comesta, et faciam compaginem ad compaginem et os ad os*[19]. Ergo, inquis, et pisces resuscitabuntur et ceterae bestiae et alites carnivorae, ut revomant quos comederunt, quia et apud Moysen legis exquiri sanguinem de omnibus bestiis? Non utique. Sed idcirco nominantur bestiae et pisces in redhibitionem carnis et sanguinis, quo magis exprimatur resurrectio etiam devoratorum corporum, cum de ipsis devoratoribus exactio edicitur. Puto autem hujus quoque divinae potestatis documentum idoneum Jonam, cum incorruptus utramque substantiam, carnem atque animam, de alvo piscis evolvitur. Et utique triduo concoquendae carni viscera ceti suffecissent, quam capulum, quam sepulchrum, quam senium requietae atque conditae alicujus sepulturae: salvo eo quod et bestias feros in Christianum vel maxime

14. Jes. 66, 14. 15. Jes. 26, 19. 16. Jes. 66, 23. 17. Jes. 66, 22. 18. Jes. 66, 24. 19. (Apoc. 20, 13.?) Videtur potius locus e libro deperdito, qui a Tert. canonicis annumerabatur.

nomen homines, vel ipsos etiam iniquitatis angelos figuravit, de quibus sanguis exigetur per ultionem pensandam. Quis ergo discendi magis adfinis quam praesumendi, et credendi diligentior quam contendendi, et divinae potius sapientiae religiosus quam suae libidinosus, audiens aliquid a Deo destinatum in carnes et cutes et nervos et ossa, aliud quid haec commentabitur, quasi non in hominem destinetur quod in istas substantias praedicatur? Aut enim nihil in hominem destinatur, non liberalitas regni, non severitas judicii, non quodcunque est resurrectio; aut si in hominem destinatur, necesse est in eas substantias destinetur, ex quibus homo structus est, in quem destinatur. Illud etiam de argutissimis istis demutatoribus ossuum, et carnium et nervorum et sepulchrorum requiro, cur, si quando in animam quid pronunciatur, nihil aliud animam interpretantur, nec transfigurant[20] eam in alterius rei argumentum? Cum vero in aliquam speciem corporalem quid edicitur, omnia potius adseverant quam quod nominatur? Si corporalia parabolae, ergo et animalia; si non et animalia, ergo nec corporalia. Tam enim corpus homo quam et anima; ut non possit altera species admittere aenigmata, altera excludere.

33. Satis haec de prophetico instrumento. Ad evangelia nunc provoco, hic quoque occursurus prius eidem astutiae eorum qui proinde et dominum omnia in parabolis pronunciasse contendunt, quia scriptum est: *Haec omnia locutus est Jesus in parabolis, et sine parabola non loquebatur ad illos*, scilicet Judaeos. Nam et discipuli: *Quare*, ajunt, *in parabolis loqueris?* et dominus: *Propterea in parabolis loquor ad eos, ut videntes non videant, et audientes non audiant:* secundum Esaiam[21]. Quod si ad Judaeos in parabolis, jam non ad omnes; si non ad omnes in parabolis, jam non semper nec omnia parabolae, sed quaedam, cum ad quosdam. Ad quosdam autem, dum ad Judaeos; nonnunquam plane et ad discipulos. Sed quomodo referat scriptura considera: *dicebat autem et parabolam ad eos:*[22] ergo et non parabolam dicebat, quia non notaretur, cum parabolam loque-

20. al. transfingunt. 21. Matth. 13, 10. 13. 34. Joh. 6, 9 sq. 22. Luc. 18, 9.

batur, si ita semper loquebatur. Et tamen nullam parabolam non aut ab ipso invenias edisseratam, ut de seminatore in verbi administratione[23]; aut a commentatore evangelii praeluminatam, ut judicis superbi et viduae instantis ad perseverantiam orationis[24]; aut ultro conjectandam, ut arboris fici dilatae in spem ad instar Judaicae infructuositatis[25]. Quod si nec parabolae obumbrant evangelii lucem, tanto abest ut sententiae et definitiones, quarum aperta natura est, aliter quam sonant sapiant. Definitionibus autem et sententiis dominus edicit sive judicium sive regnum Dei sive resurrectionem. *Tolerabilius erit*, inquit, *Tyro et Sidoni in die judicii;* et: *Dicite illis quod adpropinquaverit regnum Dei;* et, *Retribuetur tibi in resurrectione justorum.*[26] Si nomina absoluta sunt rerum, id est judicii et regni Dei et resurrectionis, ut nihil eorum in parabolam comprimi possit; nec ea in parabolas compellantur, quae ad dispositionem et transactionem et passionem[27] regni, judicii et resurrectionis praedicantur: atque ita corporalia defendentur ut corporalibus destinata, id est non spiritalia, quia non figurata. Nam et ideo praestruximus tam corpus animae quam et carnis obnoxium esse mercedibus pro communi operatione pensandis[28], ne corporalitas animae, occasionem subministrans figurarum, corporalitatem carnis excludat, cum utramque participem et regni et judicii et resurrectionis oporteat credi: et nunc eo pergimus, uti corporalitatem carnalem proprie demonstremus a domino significari in omni resurrectionis mentione, salva animali, quam et ipsam pauci receperunt.[29]

34. In primis cum ad hoc venisse se dicit, uti quod periit salvum faciat[30], quid dicas perisse? Hominem sine dubio. Totumne an ex parte? Utique totum. Siquidem transgressio, quae perditionis humanae caussa est, tam animae instinctu ex concupiscentia quam et carnis actu ex degustatione commissa, to-

23. Mth. 13, 1—23. 24. Luc. 18, 1—8. 25. Luc. 14, 6—9. 26. Mth. 11, 24. 10, 7. Luc. 14, 14. 27. quia vi divina regnum dei et judicium et resurrectio hominibus quasi obtruduntur, hi *pati* ista dicuntur, passio = *Erleidung.* 28. cf. cap. 16. 17. 29. Tert. corporalitatem carnalem et animalem distinguit, animam quoque corpus in suo genere esse docens. 30. Luc. 19, 10.

tum hominem elogio[31] transgressionis inscripsit, atque exinde merito perditionis implevit. Totus itaque salvus fiet, qui periit totus delinquendo. Totus, nisi si et ovis illa[32] sine corpore amittitur et sine corpore revocatur. Nam si caro quoque ejus cum anima, quod pecus totum est, humeris boni pastoris advehitur, ex utraque utique substantia restituendi hominis exemplum est. Aut quam indignum Deo, dimidium hominem redigere in salutem? paene minus facere, cum etiam secularium principum plena semper indulgentia vindicetur. Diabolus validior in hominis injuriam intelligitur, totum eum elidens: Deus infirmior renunciabitur, non totum eum relevans? Atquin et Apostolus suggerit: *Ubi delictum abundaverit, illic gratiam superabundasse.*[33] Quomodo denique salvus habebitur, qui poterit et perditus dici? carne scilicet perditus, anima vero salvus: nisi quod jam et anima in perdito constituatur necesse est, ut salva effici possit, id enim salvum effici oportebit quod perditum fuerit. Porro autem recipimus animae immortalitatem, ut perdita non in interitum credatur sed in supplicium, id est in gehennam. Et si ita est, jam non animam spectabit salus, salvam scilicet sua natura per immortalitatem, sed carnem potius, quam interibilem constat apud omnes. Aut si et anima interibilis, id est non immortalis, quod et caro, jam et carni forma illa ex aequo proficere debebit, proinde mortali et interibili: quia id quod perit salvum facturus est dominus. Nolo nunc contentioso fune deducere[34], hac an illac hominem perditio depostulet, dum utrinque eum salus destinet in ambas substantias peraequata. Ecce enim ex quacunque substantia hominem perisse praesumpseris, ex altera non perit. Salvus ergo erit jam ex qua non perit, et salvus nihilominus fiet ex qua perit. Habes totius hominis restitutionem, dum et quodcunque ejus perit salvum facturus est dominus: et quodcumque non perit utique non erit perditurus. Quis ultra de utriusque substantiae secu-

31. elogium v. m. l. de publica et legitima criminis et poenae annuntiatione vel viva voce per praeconem facta vel in tabellis inscripta. 32. Luc. 15, 3 sqq. 33. Rom. 5, 20. 34. Proverbialis locutio de longa perplexarum argumentationum serie.

ritate dubitabit, cum altera salutem consecutura sit, altera amissura eam non sit? Et tamen adhuc sensum rei exprimit dominus: *Ego*, dicens, *veni, non ut meam, sed ut patris, qui me misit, faciam voluntatem*[35]. Quam, oro te? Ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo quicquam, sed resuscitem illud in novissima die. Quid a patre Christus acceperat, nisi quod et induerat? Hominem sine dubio, carnis animaeque texturam. Neutrum ergo eorum quae accepit perire patietur, imo nec quicquam utriusque, imo nec modicum. Quod si modicum caro, ergo nec carnem, quia nec modicum; nec quicquam, quia nec quicquam. Atquin si non et carnem resuscitabit novissima die, jam non modicum patietur perire de homine, sed pro tanta dixerim parte prope totum. Ingerens amplius: *Haec est patris voluntas, ut omnis qui aspicit filium et credit in eum habeat vitam aeternam: et suscitem illum novissima die*[36], plenitudinem extruit resurrectionis. Distribuit enim utrique substantiae per officia propriam mercedem salutis, et carni, per quam filius aspiciebatur, et animae, per quam credebatur. Ergo, dices, illis erit promissa res, a quibus Christus videbatur. Sit plane ita, ut et ad nos eadem spes inde manaverit. Nam si videntibus et idcirco credentibus fructuosa tunc fuerunt opera carnis atque animae, multo magis nobis. *Feliciores* enim, inquit, *qui non viderunt et credunt*[37], quando, et si illis[38] negaretur carnis resurrectio, certe felicioribus competisset. Quomodo enim felices, si ex parte perituri?

35. Sed et praecipit: *Eum potius timendum, qui corpus et animam occidat in gehennam*, id est dominum solum, *non qui corpus occidant, animae autem nihil nocere possint*[39], id est humanas potestates. Adeo hic et anima immortalis natura recognoscitur, quae non possit occidi ab hominibus, et carnis esse mortalitatem, cujus sit occisio. Atque ita resurrectionem quoque mortuorum carnis esse, quae in gehennam nisi resuscitata non poterit occidi. Sed quoniam et hic de interpretatione corporis quaestio cavillatur, ego corpus hominis non aliud intelli-

35. Joh. 6, 38 sq. 36. Joh. 6, 40. 37. Joh. 20, 29. 38. scil. videntibus et credentibus. 39. Mth. 10, 28.

gam, quam omnem istam struem carnis, quoquo genere materiarum concinnatur atque variatur, quod videtur, quod tenetur, quod denique ab hominibus occiditur. Sic et parietis corpus non aliud admittam, quam caementa, quam saxa, quam lateres. Si quis arcanum aliquod corpus inducit, ostendat, revelet, probet ipsum esse etiam quod occidatur ab homine, et de illo erit dictum: item si animae corpus[40] opponitur, vacabit astutia. Cum enim utrumque proponitur, corpus atque animam occidi in gehennam, distinguitur corpus ab anima, et relinquitur intelligi corpus id quod in promptu sit, caro scilicet; quae sicut occidetur in gehennam, si non magis a Deo timuerit occidi, ita et vivificabitur in vitam aeternam, si maluerit ab hominibus potius interfici. Proinde siquis occisionem carnis atque animae in gehennam ad interitum et finem utriusque substantiae arripiet, non ad supplicium, (quasi consumendarum, non quasi puniendarum), recordetur ignem gehennae aeternum praedicari in poenam aeternam, et inde aeternitatem occisionis agnoscat propterea humanae ut temporali praetimendam. Tunc et aeternas substantias credet, quarum aeterna sit occisio in poenam. Certe cum post resurrectionem corpus cum anima occidi habeat a Deo in gehennam, satis de utroque constabit, et de carnali resurrectione, et de aeterna occisione. Absurdissimum alioquin si idcirco resuscitata caro occidatur in gehennam, uti finiatur, quod et non resuscitata pateretur. In hoc scilicet reficietur, ne sit, cui non esse jam evenit. Eidem nos spei fulciens passerum quoque subjungit exemplum, quod *ex duobus non cadat alter in terram sine Dei voluntate*[41]: ut et carnem, quae ceciderit in terram, proinde credas et resurgere posse per ejusdem Dei voluntatem. Nam etsi passeribus hoc non licet, sed nos multis passeribus antestamus, eo quod cadentes resurgamus. Quorum denique capillos capitis omnes numeratos adfirmat, salvos utique repromittit. Perituros enim quae ratio in numerum redegisset? nisi quia hoc est, ut *omne, quod pater mihi dedit, non perdam ex eo quicquam*[42], id est nec capillum,

40. i. e. si quis opponat, animae quoque corpus tribuendum. 41. Mth. 10, 29. 42. Joh. 6, 39.

sicut nec oculum nec dentem. Ceterum unde erit fletus et dentium frendor, nisi ex oculis et ex dentibus? occiso scilicet etiam corpore in gehennam et detruso in tenebras exteriores (quae oculorum propria sunt tormenta), si quis in nuptiis minus dignis operibus fuerit indutus, constringendus statim manibus et pedibus, utpote qui cum corpore surrexerit. Sic ergo et recumbere ipsum in Dei regno, et sedere in thronis Christi, et assistere tunc ad dexteram vel sinistram, et edere de ligno vitae corporalis dispositionis fidelissima indicia sunt.

36. Videamus nunc an et Sadducaeorum versutiam elidens nostram magis sententiam erexerit[43]. Caussa, opinor, quaestionis fuit destructio resurrectionis, siquidem Sadducaei neque animae neque carnis admittunt salutem, et ideo ex qua vel maxime specie resurrectionis fides labefactatur, ex ea argumentum problemati suo accommodaverunt: de carnis scilicet obtentu nupturae necne post resurrectionem, sub ejus mulieris persona, quae septem fratribus nupta in dubio haberetur, cui eorum restitueretur. Porro serventur sensus tam quaestionis quam responsionis, et controversiae occursum est. Si enim Sadducaei quidem respuebant resurrectionem, dominus autem eam confirmabat, et scripturarum ignaros increpans, earum scilicet quae resurrectionem praedicassent, et virtutis Dei incredulos, idoneae utique mortuis resuscitandis, postremo subjiciens: *quoniam autem mortui resurgant;* sine dubio et confirmando esse quod negabatur, id est resurrectionem mortuorum apud dominum vivorum, talem quoque eam confirmabat esse qualis negabatur, utriusque scilicet substantiae humanae. Neque enim si nupturos tunc negavit, ideo nec resurrecturos demonstravit. Atqui filios resurrectionis appellat, per eam quodammodo nasci habentes; post quam non nubent, sed resuscitati *similes enim erunt angelis;* qua non nupturi quia nec morituri[44], sed qua transituri in statum angelicum per indumentum illud incorruptibilitatis, per substantiae resuscitatae tamen de-

43. Mth. 22, 23 sqq. Mc. 12, 18 sqq. Luc. 20, 27 sqq. 44. Non nubunt, quia non moriuntur; nam nuptiae, ad generis humani conservationem institutae, fine carent, si mors abolita est.

mutationem. Ceterum nec quaereretur nupturi sive marituri necne rursus essemus, si non ejus vel maxime substantiae restitutio in dubium vocaretur, quae proprie et morte et nuptiis fungitur, id est carnis. Habes igitur dominum confirmantem adversus haereticos Judaeorum, quod et nunc negatur apud Sadducaeos Christianorum, solidam resurrectionem.

37. Sic et si carnem ait nihil prodesse[45], ex materia dicti dirigendus est sensus. Nam quia durum et intolerabilem existimaverunt sermonem ejus, quasi vere carnem suam illis edendam determinasset, ut in spiritum disponeret statum salutis, praemisit: *Spiritus est qui vivificat*, atque ita subjunxit: *Caro nihil prodest,* ad vivificandum scilicet. Exequitur etiam quid velit intelligi spiritum: *Verba quae locutus sum vobis, spiritus sunt, vita sunt,* sicut et supra: *Qui audit sermones meos, et credit in eum qui me misit, habet vitam aeternam et in judicium non veniet, sed transiet de morte ad vitam.* Itaque sermonem constituens vivificatorem, quia spiritus et vita sermo, eundem etiam carnem suam dixit, quia et *sermo caro* erat *factus*, proinde in caussam vitae adpetendus et devorandus auditu et ruminandus intellectu et fide digerendus. Nam et paulo ante carnem suam panem quoque coelestem pronunciarat, urgens usquequaque per allegoriam necessariorum pabulorum memoriam patrum, qui panes et carnes Aegyptiorum praeverterant divinae vocationi. Igitur conversus ad recogitatus illorum, quia senserat dispergendos, *caro*, ait, *nihil prodest.* Quid hoc ad destruendam carnis resurrectionem? quasi non liceat esse aliquid, quod etsi nihil prosit, aliud tamen ei prodesse possit. Spiritus prodest, vivificat enim. Caro nihil prodest, mortificatur enim. Itaque secundum nos magis collocavit utriusque propositionem. Ostendens enim quid prosit et quid non prosit, pariter illuminavit quid cui prosit, spiritum scilicet carni mortificatae vivificatorem. *Veniet enim hora*, inquit, *cum mortui audient vocem filii Dei: et qui audierint, vivent*[46]. Quid mortuum, nisi caro? et quid vox Dei, nisi sermo? Et quid sermo, nisi spi-

45. Joh. 6, 24 sqq. 46. Joh. 5, 25.

ritus? Merito carnem resuscitaturus, quod factum est ipse, et ex morte quam passus est ipse, et ex sepulchro quo illatus est ipse. Denique cum dicit: *Ne miremini, quod veniet hora, in qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem filii Dei, et procedent, qui bona fecerunt, in vitae resurrectionem, qui mala, in resurrectionem judicii*[47], nemo jam poterit aliud mortuos interpretari, qui sint in monumentis, nisi corpora et carnem: quia nec ipsa monumenta aliud quam cadaverum stabula. Siquidem et ipsi homines veteres, id est peccatores, id est mortui per ignorantiam Dei, quos monumenta intelligendos argumentantur haeretici, de monumentis processuri in judicium aperte praedicantur. Ceterum quomodo de monumentis monumenta procedent?

38. Post dicta domini facta etiam ejus quid sapere credamus, de capulis, de sepulchris mortuos resuscitantis? Cui rei istud? si ad simplicem ostentationem potestatis, aut ad praesentem gratiam redanimationis, non adeo magnum illi denuo morituros suscitari. Enimvero si ad fidem potius sequestrandam futurae resurrectionis, ergo et illa corporalis praescribitur de documenti sui forma. Nec sustinebo dicentes idcirco tunc resurrectionem animae soli destinatam in carnem quoque praecucurrisse, quia non potuisset aliter ostendi resurrectio animae invisibilis, nisi per visibilis substantiae resuscitationem. Male Deum norunt, qui non putant illum posse quod non putant, et tamen sciunt potuisse, si instrumentum Joannis norunt. Qui enim animas adhuc solas martyrum sub altari quiescentes conspectui subdidit[48], posset utique et resurgentes oculis exhibere sine carne. At ego Deum malo decipere non posse, de fallacia solummodo infirmum, ne aliter documenta praemisisse quam rem disposuisse videatur; imo ne, si exemplum resurrectionis sine carne non valuit inducere, multo magis plenitudinem exempli in eadem substantia exhibere non possit. Nullum vero exemplum majus est eo cujus exemplum est. Majus est autem si animae cum corpore resuscitabuntur in documentum sine cor-

47. Joh. 5, 28 sq. 48. Apoc. 6, 9 sqq.

pore resurgendi, ut tota hominis salus dimidiae patrocinaretur; quando exemplorum conditio illud potius expeteret, quod minus haberetur, animae dico solius resurrectionem, velut gustum carnis etiam resurrecturae suo in tempore. Atque adeo secundum nostram veri aestimationem exempla illa mortuorum a domino suscitatorum commendabant quidem et carnis et animae resurrectionem, ne cui substantiae negaretur hoc donum; qua tamen exempla, eo minus aliquid edebant, (non enim in gloriam nec in incorruptibilitatem, sed in mortem aliam suscitabantur) quam ediderit Christus.

39. Resurrectionem apostolica quoque instrumenta testantur. Nam et Apostolis nullum aliud negotium fuit duntaxat apud Israelem, quam veteris testamenti resignandi et novi consignandi, et potius jam Dei in Christo concionandi. Ita et de resurrectione nihil novi intulerunt, nisi quod et ipsam in gloriam Christi annunciabant, de cetero simplici et nota jam fide receptam sine ulla qualitatis quaestione, solis refragantibus Sadducaeis. Adeo facilius fuit negari in totum mortuorum resurrectionem, quam aliter intelligi. Habes Paulum apud summos sacerdotes sub tribuno[49] inter Sadducaeos et Pharisaeos fidei suae professorem: *Viri*, inquit, *fratres, ego Pharisaeus sum, filius Pharisaeorum, de spe nunc et de resurrectione judicor apud vos*[50], utique communi; ne, quia jam transgressor legis videbatur, de praecipuo fidei totius articulo, id est de resurrectione, ad Sadducaeos sapere existimaretur. Ita quam nolebat videri rescindere fidem resurrectionis utique confirmabat secundum Pharisaeos, respuens negatores ejus Sadducaeos. Proinde et apud Agrippam nihil se ait proferre citra quam prophetae annunciassent[1]. Ergo servabat resurrectionem quoque, qualem prophetae annunciarant. Nam et de resurrectione mortuorum apud Moysen[2] scriptum commemorans corporalem eam norat, in qua scilicet sanguis hominis exquiri habebit. Itaque talem praedicabat qualem et Pharisaei susceperant et dominus ipse defenderat, et Sadducaei, ne talem quoque crederent, in

49. al. sub tribus. 50. Act. 23, 6. 1. Act. 26, 22. 2. Gen. 9, 5 sqq.

totum esse noluerant. Sed nec Athenienses aliam intellexerant a Paulo portendi[3]. Denique irriserant, non irrisuri omnino, si animae solius restitutionem ab eo audissent; suscepissent enim vernaculae suae philosophiae frequentiorem praesumptionem. At ubi nationes praeconium resurrectionis inauditae retro ipsa novitate concussit, et digna incredulitas rei tantae quaestionibus fidem torquere coepit, tunc et Apostolus per totum paene instrumentum fidem hujus spei corroborare curavit, et esse eam ostendens et nondum transactam, et, de quo magis quaerebatur, corporalem et, quod insuper dubitabatur, non aliter[4] corporalem.

40. Nihil autem mirum, si et ex ipsius instrumento captentur argumenta, cum *oporteat haereses esse*[5]; quae esse non possent, si non et perperam scripturae intelligi possent. Nactae denique haereses duos homines ab Apostolo editos, interiorem, id est animam, et exteriorem, id est carnem, salutem quidem animae, id est interiori homini, exitium vero carni, id est exteriori adjudicaverunt; quia scriptum sit Corinthiis: *Nam etsi homo noster exterior corrumpitur, sed interior renovatur de die et die*[6]. Porro nec anima per semetipsam homo, quae figmento jam homini appellato postea inserta est, nec caro sine anima homo, quae post exilium animae cadaver inscribitur. Ita vocabulum homo consertarum substantiarum duarum quodammodo fibula est, sub quo vocabulo non possunt esse nisi cohaerentes. Porro Apostolus interiorem hominem non tam animam quam mentem atque animum intelligi mavult, id est non substantiam ipsam, sed substantiae saporem. Siquidem Ephesiis scribens: *in interiorem hominem habitare Christum*, sensibus utique intimandum dominum significavit. Denique adjunxit: *Per fidem*, et: *in cordibus vestris*, et: *in dilectione*[7]; fidem quidem et dilectionem non substantiva animae ponens, sed conceptiva; in cordibus autem dicens, quae substantiva sunt carnis, jam et ipsum interiorem hominem carni deputavit, quem in corde constituit. Inspice nunc quomodo exteriorem

3. Act. 17, 32. 4. i. e. proprio et genuino sensu corporalem, de carnis non animae corpore intelligendam. 5. 1 Cor. 11, 19. 6. 2 Cor. 4, 16. 7. Eph 3, 17 sq.

quidem hominem corrumpi allegarit, interiorem vero renovari die ac die. Nec illam corruptelam carnis affirmes, quam ex die mortis in perpetuum defectura patiatur, sed quam in istius vitae spatio ante mortem et usque ad mortem vexationibus et pressuris, tormentis atque suppliciis nominis caussa experietur. Nam et homo interior hic utique renovari habebit per suggestum spiritus[8], proficiens fide et disciplina die ac die: non illic, id est non post resurrectionem, ubi non utique die ac die renovari habemus, sed semel ad summam. De sequentibus disce: *Quod enim ad praesens* est, inquit, *temporale et leve pressurae nostrae per supergressum in supergressum aeternum gloriae pondus perficiet nobis, non intuentibus quae videntur*, id est passiones, *sed quae non videntur*, id est mercedes; *Quae enim videntur temporalia sunt, quae vero non videntur aeterna sunt*[9]. Pressuras enim et laesuras, quibus corrumpitur homo exterior, ut leves et temporales, idcirco contemnendas affirmat, praeferens mercedum aeternarum invisibilium et gloriae pondus in compensationem laborum, quos hic caro patiendo corrumpitur. Adeo non illa est corruptio, quam in perpetuum carnis interitum ad resurrectionem expellendam exteriori homini adscribunt. Sic et alibi: *Siquidem*, ait, *compatimur, uti et conglorificemur. Reputo enim non dignas esse passiones hujus temporis ad futuram gloriam, qnae in nos habet revelari.*[10] Et hic minora ostendit incommoda praemiis suis. Porro si per carnem compatimur, cujus est proprie passionibus corrumpi, ejusdem erit et quod pro compassione promittitur. Atque adeo carni adscribit pressurarum proprietatem, ut et supra dicit: *Cum venissemus autem in Macedoniam, nullam remissionem habuit caro nostra.* Dehinc ut et animae daret compassionem: *In omnibus*, inquit, *compressi; extrinsecus pugnae*, debellantes scilicet carnem, *intrinsecus timor*[11], afflictans scilicet animam. Adeo et si corrumpitur homo exterior, non ut amittens resurrectionem, sed ut sustinens vexationem, corrumpi intelligetur et hoc non sine interiore. Ita amborum erit etiam conglorificari, sicut et compati. Secun-

---

8. i. e. suggerente spiritu, vel passive, quod spiritus iis suggeritur. 9. 2 Cor. 4, 17 sqq. 10. Rom. 8, 17 sq. 11. 2 Cor. 7, 5.

dum collegia laborum consortia quoque decurrant necesse est praemiorum.

41. Eandem adhuc sententiam exequitur, remunerationes vexationibus praeferens: *Scimus enim*, inquit, *quoniam etsi terrena domus nostri hujus tabernaculi dissolvatur, habemus domum non manu factam aeternam in coelis*[12]; id est per hoc quod dissolvetur caro nostra per passiones domicilium consecuturi sumus in coelis. Meminerat evangelicae definitionis: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quia illorum est regnum coelorum.*[13] Non tamen carnis restitutionem negavit, si compensationem mercedis opposuit, cum ipsi compensatio debeatur, cui dissolutio deputatur, scilicet carni. Sed quia domum dixerat carnem, eleganter voluit et in mercedis comparatione vocabulo domus uti, ipsi domui quae dissolvetur per passionem meliorem domum repromittens per resurrectionem. Nam et dominus *multas mansiones* quasi domus apud patrem repromittit[14]. Quamquam et de domicilio mundi potest intelligi, quo dissoluto aeterna sedes repromittatur in coelis: quia et quae sequuntur ad carnem manifeste pertinentia ostendunt priora non ad carnem pertinere. Divisionem enim facit apostolus cum subjicit: *nam et in hoc gemimus domicilium nostrum quod de coelo est, superindui desiderantes, siquidem exuti non nudi inveniamur*[15], id est ante volumus superinduere virtutem coelestem aeternitatis, quam carne exuamur. Hujus enim gratiae privilegium illos manet, qui ab adventu domini deprehendentur in carne et propter duritias temporum antichristi merebuntur compendio mortis per demutationem expunctae[16] concurrere cum resurgentibus, sicut Thessalonicensibus scribit: *Hoc enim dicimus vobis in sermone domini, quod nos qui vivimus, qui remanemus in adventu domini, non praeveniemus eos qui dormierunt. Quoniam ipse dominus in jussu et in voce angeli et in tuba Dei descendet de coelo, et mortui in Christo resurgent*

12. 2 Cor. 5, 1. 13. Mth. 5, 10. 14. Joh. 14, 2. 15. 2 Cor. 5, 2 sq.
16. i. e. brevi morte, quae, quia demutatio potius est, mortis naturam quasi exuit, *durch einen kurzen in eine Umwandlung verschlungenen Tod.*

primi; dehinc nos cum ipsis simul rapiemur in nubibus obviam Christo et ita semper cum domino erimus[17].

42. Horum demutationem ad Corinthios reddit dicens: *Omnes quidem resurgemus, non autem omnes demutabimur, in atomo, in momentaneo motu oculi, in novissima tuba:* sed illi scilicet soli qui invenientur in carne. *Et mortui*, inquit, *resurgent, nos demutabimur*[18]. Hac ergo prius dispositione prospecta reliqua revocabis ad superiorem sensum. Nam cum adjicit: *Oportet enim corruptivum istud induere incorruptelam, et mortale istud induere immortalitatem,* hoc erit illud *domicilium de coelo, quod gementes in hac carne superinduere desideramus,* utique super carnem in qua deprehendemur, quia *gravari nos* ait, *qui sumus in tabernaculo, quod nolumus exui, sed potius superindui, uti devoretur mortale a vita*[19], scilicet dum demutatur superinduendo quod est de coelis. Quis enim non desiderabit dum in carne est superinduere immortalitatem, et continuare vitam lucrifacta morte per vicariam demutationem[20], ne inferos experiatur usque novissimum quadrantem exacturos? Ceterum demutationem etiam post resurrectionem consecuturus est, inferos jam expertus. Abhinc enim definimus carnem quidem omni modo resurrecturam atque illa ex demutatione superventura habitum angelicum suscepturam. Aut si in his solis qui invenientur in carne demutari eam oportebit, ut devoretur mortale a vita, id est caro ab illo superindumento coelesti et aeterno: ergo qui mortui deprehendentur vitam non consequentur, privati jam materia, et, ut ita dixerim, esca vitae, id est carne. Aut necesse est recipiant eam et illi, ut et in ipsis mortale devorari possit a vita, si vitam sunt consecuturi. Sed in mortuis, inquis, jam devoratum erit mortale istud. Non utique in omnibus. Quantos enim licebit vel pridianos inveniri, tam recentia cadavera, ut nihil in illis devoratum videri possit. Utique enim devoratum non aliud existimas quam interceptum, quam abolitum, quam omni sensu ereptum, quod comparere omni genere cessaverit. Nec gigantum autem antiquissima cadavera devo-

17. 1 Thess. 4, 15 sqq. 18. 1 Cor. 15, 1 sqq. 19. 2 Cor. 5, 1 sqq.
20. i. e. cum devitat mortem demutatione.

rata constabit, quorum crates[21] adhuc vivunt. Diximus jam de isto alibi[22]. Sed et proxime in ista civitate[23] cum Odei fundamenta tot veterum sepulturarum sacrilega conlocarentur, quingentorum fere annorum ossa adhuc succida et capillos olentes populus exhorruit. Constat non tantum ossa durare, verum et dentes incorruptos perennare, quae ut semina retinentur fructificaturi corporis in resurrectione. Postremo etsi tunc devoratum invenietur mortale in omnibus mortuis, certe a morte, certe ab aevo, certe per aetatem, nunquid a vita, nunquid a superindumento, nunquid ab immortalitatis ingestu? Porro qui ab his ait devoratum iri mortale, ab aliis negavit. Et utique hoc a divinis viribus, non a naturalibus perfici praestarique conveniet. Ergo cum a vita habeat devorari quod mortale est, id exhiberi omnifariam necesse est ut devoretur, et devorari ut demutetur. Si ignem dicas accendi oportere, non potes id per quod accenditur alibi necessarium adfirmare, alibi non. Sic et cum infulcit: *Siquidem exuti non nudi inveniamur*, de eis scilicet qui non in vita nec in carne deprehendentur a die domini: non alias negavit nudos quos praedixit exutos, nisi quia revestitos voluit intelligi eadem substantia, qua fuerant spoliati. Ut nudi enim invenientur carne deposita vel ex parte discissa sive detrita (et hoc enim nuditas potest dici); dehinc recipient eam, ut redinduti carnem fieri possint etiam superinduti immortalitatem. Superindui enim nisi vestito jam convenire non poterit.

43. Proinde cum dicit: *Itaque confisi semper et scientes quod, cum immoramur in corpore, peregrinamur a domino, per fidem enim incedimus, non per speciem*[24], manifestum est hoc quoque non pertinere ad offuscationem carnis quasi separantis nos a domino. Et hic enim exhortatio fastidiendae vitae hujus obvertitur, siquidem peregrinamur a domino quamdiu vivimus, per fidem incedentes, non per speciem, id est spe, non re. Et ideo subjungit: *Fidentes autem et bonum ducentes magis peregrinari a corpore et immorari ad dominum*[25], scilicet ut per speciem

21. i. e. spinae et ossa pectoris. Cf. Aug. de civ. Dei 15, 9. Pl. H. N. 7, 16. 22. de anima 51. 23. Carthagine. 24. 2 Cor. 5, 6 sq. 25. 2 Cor. 5, 8.

magis incedamus quam per fidem, per rem potius quam per spem. Vides quam et hic corporum contemptum ad martyriorum praestantiam referat. Nemo enim peregrinatus a corpore statim immoratur penes dominum, nisi ex martyrii praerogativa, paradiso scilicet, non inferis, deversurus. Defecerant autem Apostolo verba ad significandum de corpore excessum? an ratione etiam nove loquitur? Temporalem enim absentiam a corpore volens significare peregrinari nos ab eo dixit, quoniam qui peregrinatur etiam revertetur in domicilium. Exinde etiam ad omnes: *et ideo gestimus*, inquit, *sive peregrinantes, sive immorantes placibiles Deo esse; omnes enim manifestari nos oportet pro tribunali Christi Jesu*[26]. Si omnes, et totos; si totos, et interiores et exteriores, id est tam animas quam et corpora: *uti unusquisque*, inquit, *reportet quae per corpus, secundum quae gessit, bonum sive malum*. Hoc jam quomodo legas quaero, quasi turbate enim per hyperbaton struxit. Utrumne: *quae per corpus reportanda erunt*, an: *quae per corpus gesta sunt?* Sed et si: *quae per corpus reportanda sunt*, corporalis indubitate resurrectio est; et si: *quae per corpus gesta sunt*, per corpus utique pensanda sunt, per quod et gesta sunt. Ita et totus hic a capite tractatus apostoli tali clausula detextus, qua carnis resurrectio ostenditur, secundum haec erit intelligendus, quae cum clausula consonant.

44. Si enim adhuc ad superiora respectes, unde mentio hominis exterioris et interioris inducta est, nonne et dignitatem et spem carnis integram invenies? Cum enim *de lumine quod illuxerit Deus in cordibus nostris ad illuminationem agnitionis gloriae suae in persona Christi* dicit *habere nos thesaurum istum in testaceis vasis*[27], scilicet in carne, utrumne quia testacea est secundum originem in limo destruetur, an quia divini thesauri conditorium est extolletur? Atquin si lumen ipsum Dei illud verum, quod est in persona Christi, vitam in se continet, eaque vita cum lumine committitur in carnem, peritura est in quam vita committitur? Plane sic periturus et ipse

---

26. 2 Cor. 5, 9 sq. 27. 2 Cor. 4, 6 sq.

thesaurus: perituris enim peritura creduntur, sicut veteribus utribus novum vinum. Cum item subjicit: *semper mortificationem Christi Jesu circumferentes in corpore nostro*[28], qualis ista res est, quae post Dei templum jam et sepulchrum Christi potest dici? Cur autem mortificationem domini circumferimus in corpore? ut *et vita*, inquit, *manifestetur.* Ubi? in corpore. In quo? in mortali. Ergo in carne plane mortali secundum culpam, sed et vitali secundum gratiam; vide quantam, ut in illa vita Christi manifestetur. In re ergo aliena salutis, in substantia perpetuae dissolutionis manifestabitur vita Christi aeterna, jugis, incorrupta, jam et Dei vita? Aut cujus temporis vita domini manifestabitur in corpore nostro? Illa quidem, quam vixit usque in passionem, quae non modo apud Judaeos in manifesto fuit, verum etiam omnibus nunc gentibus prodita est. Adeo eam significat, quae portas adamantinas mortis, et aeneas seras inferorum infregit, quae exinde jam nostra est. Denique manifestabitur in corpore. Quando? post mortem. Quomodo? dum resurgimus in corpore, sicut et Christus. Ne enim quis argumentetur, nunc habere manifestari vitam Jesu in corpore nostro per disciplinam sanctitatis et patientiae et justitiae et sapientiae, quibus domini vita floruerit, providentissima Apostoli intentio ingerit. Si enim: *nos, qui vivimus, in mortem tradimur propter Jesum, ut vita ejus manifestetur in corpore nostro mortali;* ideo defunctis nobis hoc ait futurum in corpore nostro. Quodsi tunc, quomodo nisi resuscitato eo? proinde et in clausula: *scientes*, ait, *quod, qui suscitavit Jesum, et nos suscitabit cum ipso, quia jam resurrexit a mortuis*[29]. Nisi quia *cum ipso* sicut ipsum sapit. Si vero sicut ipsum, non utique sine carne.

45. Sed et rursus alia caecitate in duos homines inpingunt, in veterem et in novum; monente Apostolo *deponere nos veterem hominem, qui corrumpitur per concupiscentiam seductionis, renovari autem spiritu sensus et induere novum hominem, qui secundum Deum conditus est in justitia et religione veritatis*[30]: ut et hic ad duas substantias distinguendo, vetustatem ad car-

---

28. 2 Cor. 4, 10 sq. 29. ib. v. 14. 30. Eph. 4, 22 sqq.

nem, novitatem ad animam, corruptionem perpetuam veteri defendat, id est carni. Porro si secundum substantias, nec anima novus homo quia posterior: nec caro ideo vetus quia prior. Quantulum enim temporis inter manum Dei et adflatum? Ausim dicere, etiam si multo prior anima caro[31], eo ipso, quod anima impleri se expectavit, priorem eam fecit. Omnis enim consummatio atque perfectio, etsi ordine postumat, effectu tamen anticipat. Magis illud prius est, sine quo priora non possunt. Si caro vetus homo, quando istud? a primordio? atquin Adam novus totus. Et ex novo vetus nemo; nam et exinde a benedictione geniturae caro atque anima simul fiunt sine calculo temporis, ut quae simul in utero etiam seminantur, quod docuimus in commentario animae[32]. Contemporant foetu, coaetant natu duos istos homines, sane ex substantia duplici, non tamen et aetate. Sic unum edunt, dum prior neuter est[33]. Citius[34] est totos nos aut veteres aut novos esse; qua enim alterum[35] possimus esse nescimus. Sed Apostolus veterem hominem manifeste notat. *Expone enim*, inquit, *secundum pristinam conversationem veterem hominem*, non secundum alicujus substantiae senium. Neque enim carnem praecipit deponamus, sed quae et alibi[36] carnalia ostendit, opera, non corpora accusans, de quibus et hic subjicit: *deponentes mendacium loquimini veritatem unusquisque ad proximum suum, quoniam membra alterutrum sumus. Irascimini autem, et nolite delinquere. Sol non occidat super iracundiam vestram. Neque dederitis locum diabolo. Qui furabatur, jam non furetur, immo potius laboret operando manibus, uti habeat impartire indigenti. Omnis sermo turpis non procedat ex ore vestro, sed qui sit optimus ad aedificationem fidei, ut gratiam audientibus praestet. Et nolite contristare spiritum Dei sanctum, in quo signati estis in redemptionis die. Omnis amaritudo et ira et*

31. al. quam caro. 32. de anima 27. 33. Locus vexatissimus. Ego *contemporant* et *coaetant* (sive, ut alii legunt, coaetaneant), voces a Tertulliano compositas, et praeter hunc locum non occurentes, transitivo sensu accipio: caro et anima simul seminatae duos istos homines, veterem et novum, coaetaneos efficiunt, unum edunt. Alii aliter conjecturando succurrunt. 34. = facilius. 35. scil. unâ vetus et novus homo. 36. Gal. 5, 19 sqq.

clamor et blasphemia et indignatio auferatur a vobis cum omni malitia. Estote autem in alterutrum benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus vobis donavit in Christo[37]. Igitur, qui carnem veterem hominem existimant, cur non mortem sibi properant, ut vetere homine deposito praeceptis Apostoli occurrant? Nos enim, qui totam fidem in carne administrandam credidimus, immo et per carnem, cujus est et os ad proferendum optimum quemque sermonem et lingua ad non blasphemandum et cor ad non indignandum et manus ad operandum et largiendum, tam vetustatem hominis quam novitatem ad moralem, non ad substantialem differentiam pertinere defendimus. Atque ita pariter agnoscimus hominem, qui secundum pristinam conversationem vetus fuerit, eundem et corrumpi (ita dictum secundum concupiscentiam seductionis, quemadmodum et veterem secundum pristinam conversationem, non secundum carnem) per interitum perpetuum. Ceterum carne tam salvum quam eundem: utpote vitiosam disciplinam, non corpulentiam exutum.

46. Talem ubique Apostolum recognoscas, ita carnis opera damnantem, ut carnem damnare videatur: sed ne ita quis existimet ex aliorum vel cohaerentium sensuum suggestu procurantem. Nam et dicens: *eos qui in carne sunt, Deo placere non posse,* statim de pravo intellectu ad integrum revocat, adjiciens: *vos autem non estis in carne, sed in spiritu*[38]. Eos enim, quos in carne esse constabat, negando in carne esse, in operibus carnis non esse monstrabat; atque ita illos demum Deo placere non posse, non qui in carne essent, sed qui carnaliter viverent, placere autem Deo illos, qui in carne positi secundum spiritum incederent. Et rursus: *Corpus* quidem ait *mortuum*, sed *propter delinquentiam,* sicut *spiritum vitam propter justitiam*[39]. Vitam autem morti opponens in carne constitutae, sine dubio illic et vitam repromisit ex justitia, ubi mortem determinavit ex delinquentia. Ceterum frustra opposuit vitam morti, si non est illic ubi est et ipsa cui eam opposuit, excludendae utique de cor-

37. Eph. 4, 25 sqq. 38. Rom. 8, 8 sqq. 39. Rom. 8, 10.

pore. Porro si vita mortem de corpore excludit, non potest id perficere, nisi illud penetret ubi est quod excludit. Et quid ego nodosius, cum Apostolus absolutius? *Si enim*, inquit, *spiritus ejus qui suscitavit Jesum habitat in vobis: qui suscitavit Jesum a mortuis suscitabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum ejus in vobis*[40]; ut et si animam quis corpus mortale praesumpserit, cum hoc et carnem negare non possit, carnis quoque resuscitationem cogatur agnoscere secundum ejusdem status communionem. Ex sequentibus adhuc discas opera carnis damnari, non ipsam. *Itaque fratres*, ait, *debitores sumus non carni ad vivendum. Si enim secundum carnem vixeritis, futurum est ut moriamini; si vero spiritu carnis actus mortificaveritis, vivetis*[41]. Porro ut ad singula quaeque respondeam, si in carne constitutis, secundum spiritum tamen degentibus, salus repromittitur, jam non caro adversatur saluti, sed operatio carnis. Operatione autem carnis exclusa, quae caussa est mortis, salva jam caro ostenditur, caussa carens mortis. *Lex enim*, inquit, *spiritus vitae in Christo Jesu manumisit me a lege delinquentiae et mortis*[42], certe quam praemisit *habitare in membris nostris*[43]. Ergo jam membra nostra lege mortis non tenebuntur, quia nec delinquentiae, a quibus manumissa sunt. *Quod enim invalidum erat legis, in quo infirmabatur per carnem, misso Deus filio suo in simulacro carnis delinquentiae, et per delinquentiam damnavit delinquentiam in carne*[44], non carnem in delinquentia: neque enim domus cum habitatore damnabitur. Habitare enim peccatum dixit in corpore nostro. Damnata autem delinquentia caro absoluta est, sicut indemnata ea[45] lege mortis et delinquentiae obstricta est. Sic etsi *sensum carnis mortem* appellavit, dehinc *et inimicitiam ad Deum*[46], sed non carnem ipsam. Cui ergo, dices, reputabitur[47] sensus carnis, si non substantiae ipsi? Plane, si probaveris aliquid carnem de suo sapere. Si vero sine anima nullius est sensus, intellige sensum carnis ad animam esse re-

---

40. Rom. 8, 11. 41. ib. v. 12 sq. 42. ib. v. 2. 43. Rom. 7, 23. 44. Rom. 8, 3. 45. scil. delinquentia. Hoc vocabulo Tert. libenter utitur, ubi in Scr. S. *ἁμαρτία* legitur. 46. Rom. 8, 6. 7. 47. *reputare* apud Tert. saepe = deputare ad.

ferendum, carni interdum deputatum, quia propter carnem et per carnem administratur. Et ideo habitare ait delinquentiam in carne, quia et anima, a qua delinquentia inducitur, inquilina est carnis, mortificatae quidem, sed non suo, verum delinquentiae nomine. Nam et alibi: *quomodo*, inquit, *etiam nunc velut viventes in mundo sententiam fertis*[48]*?* non ad mortuos scribens, sed ad eos, qui desinere deberent mundialiter vivere.

47. Haec enim erit vita mundialis, quam *veterem hominem* dicit *confixum*[49] *esse Christo*, non corporalitatem, sed moralitatem[50]. Ceterum si non ita accipimus, non est corporalitas nostra confixa, nec crucem Christi caro nostra perpessa est; sed quemadmodum adjecit: *uti evacuetur corpus delinquentiae,* per emendationem vitae, non per interitum substantiae, sicut ait, *uti hactenus delinquentiae serviamus.* Et ut hac ratione commortui Christo credamus, quod etiam convivemus illi. *Sic enim,* inquit, *et vos reputate mortuos quidem vos.* Cuinam? carni? Non, sed *delinquentiae*[1]. Ergo salvi erunt carni, viventes autem Deo in Christo Jesu, per carnem utique, cui mortui non erunt, delinquentiae scilicet mortui, non carni. Nam et adhuc ingerit: *„ne ergo regnaverit in corpore vestro mortali delinquentia ad obaudiendum illi et ad exhibendum membra vestra arma injustitiae delinquentiae. Sed exhibete vosmetipsos Deo velut ex mortuis vivos*, non velut vivos, sed velut ex mortuis vivos, *et membra vestra arma justitiae*[2]. Et rursus: *Sicut exhibuistis membra vestra famula immunditiae et iniquitatis ad iniquitatem, ita et nunc exhibete membra vestra famula justitiae in sanctificium. Cum enim servi essetis delinquentiae, liberi eratis justitiae. Quem ergo fructum habebatis super his, de quibus nunc confundimini? finis ergo illorum mors. Nunc vero liberi facti a delinquentia, famulati autem Deo, habetis fructum vestrum in sanctificium, finem autem vitam aeternam. Stipendia enim delinquentiae mors, donativum autem Dei vita aeterna in Christo Jesu domino nostro*[3]“. Ita per totam hanc sensuum seriem ab injustitia et delinquentia

48. Col. 2, 20. 49. *συνεσταυρωμένον.* Rom. 6, 6. 50. sic recte emendatur *pro mortalitatem*, quod plerique codd. habent. 1. Rom. 6, 11. 2. Rom. 6, 12 sq. 3. Rom. 6, 19 sqq.

membra nostra divellens et justitiae et sanctimoniae adjungens, et transferens eadem a stipendio mortis ad donativum vitae aeternae, carni utique compensationem salutis repromittit, cui nullam omnino competisset imperari propriam sanctimoniae et justitiae disciplinam, si non ipsius esset et praemium disciplinae, sed nec ipsum baptisma committi, si per regenerationem non etiam restitutioni inauguraretur, hoc quoque Apostolo ingerente: „*an ignoratis quod, quicunque in Jesum tincti sumus, in mortem ejus tincti sumus: consepulti ergo illi sumus per baptisma in mortem, uti quemadmodum surrexit Christus a mortuis, ita et nos in novitate vitae incedamus*[4]." Ac ne de ista tantum vita putes dictum, quae ex fide per baptisma in novitate vivenda est, providentissime adstruit: *si enim complantati fuerimus simulacro mortis Christi, simul et resurrectionis erimus*[5]. Per simulacrum enim morimur in baptismate, sed per veritatem resurgimus in carne, sicut et Christus: *ut, sicut regnavit in mortem delictum, ita et gratia regnet per justitiam in vitam sempiternam per Jesum Christum dominum nostrum*[6]. Quomodo ita, si non aeque in carne? ubi enim mors, ibi et vita post mortem, quia et vita ibi ante, ubi postea mors. Nam si regnum mortis nihil operatur quam carnis dissolutionem, proinde vitam contrariam morti contrarium oportet operari, id est carnis redintegrationem; uti, sicut devoraverat mors invalescendo, ita et mortali devorato ab immortalitate audire possit: „*Ubi est mors, aculeus tuus? ubi est, mors, contentio tua*[7]? Sic enim *et gratia illic superabundavit, ubi et iniquitas abundavit*[8]. Sic et *virtus infirmitate perficietur*[9], quod perit salvum faciens, quod mortuum est vivificans, quod percussum est sanans, quod languit medicans, quod ereptum est redimens, quod famulatum est liberans, quod seductum est revocans, quod elisum est suscitans: et quidem de terra in coelum, ubi nostrum municipatum Philippenses quoque ab Apostolo discunt, *unde et salutificatorem nostrum expectamus Jesum Christum, qui transfigurabit corpus nostrae humilitatis conformale corpori gloriae suae*[10], sine dubio

4. Rom. 6, 3 sq. 5. Rom. 6, 5. 6. Rom. 6, 21. 7. 1 Cor. 15, 55. Videtur Tert. legisse *νεῖκος*.) 8. Rom. 5, 20. 9. 2 Cor. 12, 9. 10. Phil. 3, 20 sq.

post resurrectionem, quia nec ipse Christus glorificatus est ante passionem. Haec erunt corpora nostra, quae Romanos obsecrat *exhibere hostiam vivam, sanctam, placibilem Deo*[11]. Quomodo vivam, si peritura sunt? quomodo sanctam, si profana sunt? quomodo placibilem, si damnata sunt? Age jam, quod ad Thessalonicenses ipsius solis radio putem scriptum, ita claret, qualiter accipient lucifugae isti scripturarum: „*ipse autem Deus pacis sanctificet vos totos?*" Non sufficit? Sedsequitur: *et integrum corpus vestrum et anima et spiritus sine querela conserventur in praesentia domini*[12]? Habes omnem substantiam hominis saluti destinatam, nec alio tempore quam in adventu domini, qui clavis est resurrectionis.

48. Sed *caro*, inquis, *et sanguis regnum Dei haereditate possidere non possunt*[13]. Scimus hoc quoque scriptum, sed de industria distulimus hucusque, ut quod adversarii in prima statim acie obstruunt in ultima congressione prosterneremus, omnibus quaestionibus quasi auxiliis ejus ante dejectis. Sed et nunc expetent[14] praecedentia recognosci, ut et huic sensui sua origo praejudicet. Opinor Apostolus disposita ad Corinthios omni distinctione ecclesiasticae disciplinae summam et sui evangelii et fidei illorum in dominicae mortis et resurrectionis demandatione concluserat, ut et nostrae spei regulam inde deduceret, unde constaret. Itaque subjicit: *Si autem Christus praedicatur quod a mortuis resurrexit, quomodo quidam dicunt in vobis resurrectionem mortuorum non esse? quae si non est, nec Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inanis est praedicatio nostra, vacua est et fides vestra. Inveniemur enim falsi testes Dei, qui testimonium dixerimus quod resuscitaverit Christum, quem non resuscitavit. Nam si mortui non resurgunt, nec Christus resurrexit. Si Christus non resurrexit, vana est fides vestra, quia adhuc in delictis vestris estis. Et qui in Christo dormierunt, perierunt*[15]." Per haec cui nos rei credendae videtur extruere? Resurrectioni, inquis, mortuorum, quae negabatur. Certe sub exemplo dominicae resurrectionis volens eam credi? Certe, in-

11. Rom. 12, 1. 12. 1 Thess. 5, 23. 13. 1 Cor. 15, 50. 14. al. expectent.
15. 1 Cor. 15, 12 sqq.

quis. Exemplum porro ex diversitate an ex parilitate componitur? Utique, inquis, ex parilitate. Quomodo autem Christus resurrexit? in carne, an non? Sine dubio si mortuum, si sepultum audis secundum scripturas, non alias quam in carne, aeque resuscitatum in carne concedis. Ipsum enim quod cecidit in morte, quod jacuit in sepultura, hoc et resurrexit; non tam Christus in carne quam caro in Christo. Igitur si ad exemplum Christi resurgemus, qui resurrexit in carne, jam non ad exemplum Christi resurgemus, si non in carne et ipsi resurgemus. *Quia per hominem*, inquit, *mors, et per hominem resurrectio*, ut separet quidem auctores, mortis Adam, Christum resurrectionis; ejusdem autem constitueret substantiae resurrectionem, cujus et mortem, per ipsorum auctorum in nomine hominis comparationem. Si enim, *sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur*, carne vivificabuntur in Christo, sicut in Adam carne moriuntur. *Unusquisque autem in suo ordine*[16], scilicet quia et in suo corpore. Ordo enim meritorum dispositorum nomine disponetur[17]. Merita autem cum corpori quoque adscribantur, ordo quoque corporum disponatur necesse est, ut possit esse meritorum. Si autem et baptizantur quidam pro mortuis[18], videbimus an ratione, certe illa praesumptione hoc eos instituisse contendit, qua alii etiam carni vicarium baptisma profuturum existimarent ad spem resurrectionis, quae nisi corporalis, non alias sic baptismate corporali obligaretur. Quid et ipsos baptizari ait, si non quae baptizantur corpora resurgunt? Anima enim non lavatione, sed responsione[19] sancitur. *Quid et nos*, inquit, *omni hora periclitamur?* utique per carnem. *Quotidie morior*[20], utique periculis carnis, per quam et depugnavit ad bestias Ephesi, illas scilicet bestias Asiaticae pressurae, de qua in secunda ad eosdem: *Nolumus enim vos ignorare, fratres, de pressura nostra apud Asiam, quod superquam supragravati sumus citra vires, uti de vita haesitaremus*[21]. Omnia haec, nisi fallor, eo enumerat ut,

---

16. 1 Cor. 15, 21 sq. 17. Al. meritorum nomine disponetur — al. non aliud, quam meritorum dispositor. 18. 1 Cor. 15, 29. 19. = sponsione. 20. 1 Cor. 15, 30 sq. 21. 2 Cor. 1, 8.

nolens vanam credi carnis conflictationem, indubitate velit credi carnis resurrectionem. Vana enim habenda est conflictatio ejus, cujus nulla erit resurrectio. *Sed dicet quis: Quomodo resurgent mortui? quo autem corpore venient*[22]? Jam hic de qualitatibus corporum disserit, an eadem ipsa an alia resumantur. Sed cum ejusmodi quaestio posterior habeatur, sufficiet interim ex hoc quoque corporalem definiri resurrectionem, cum de qualitate corporum quaeritur.

49. Ventum est nunc ad carnem et sanguinem revera totius quaestionis: quas substantias quali conditione exhaeredaverit Apostolus a Dei regno? Aeque de antecedentibus discere est. *Primus*, inquit, *homo de terra choicus*, id est limaceus, id est Adam, *secundus homo de coelo*[23], id est sermo Dei, id est Christus, non alias tamen homo, licet de coelo, nisi quia et ipse caro atque anima, quod homo, quod Adam. Nam et supra novissimus Adam dictus de consortio substantiae commercium nominis traxit, quia nec Adam ex semine caro, quod et Christus. *Qualis ergo choicus, tales et choici, qualis coelestis, tales et coelestes*[24]. Substantia tales? an primo disciplina, dehinc et dignitate, quam disciplina captavit? Atquin substantia nullo modo separabuntur choici atque coelestes semel ab Apostolo homines dicti. Si enim et Christus, solus vere coelestis, immo et supercoelestis, homo tamen, qua caro atque anima, nihilo ex ista substantiarum conditione a choica qualitate discernitur: proinde et qui coelestes secundum illum non de substantia praesenti, sed de futura claritate coelestes praedicati intelliguntur; quia et retro[25], unde distinctio ista manavit, de dignitatis differentia ostensa est *alia supercoelestium gloria, alia superterrenorum, et alia solis, alia lunae, alia stellarum, quia et stella a stella differt in gloria*, non tamen in substantia. Denique praemissa differentia dignitatis in eadem substantia et nunc sectandae et tunc capessendae subjungit etiam exhortationem, ut et hic habitum Christi sectemur ex disciplina, et illic fastigium consequamur ex gloria: *sicut portavimus imaginem choici, por-*

22. 1 Cor. 15, 35. 23. 1 Cor. 15, 47. 24. ib. v. 48. 25. ib. v. 40 sq.

temus etiam imaginem supercoelestis[26]. Portavimus enim imaginem choici per collegium transgressionis, per consortium mortis, per exilium paradisi. Nam et si in carne sic putatur imago Adae, sed non carnem monemur exponere. Si non carnem, ergo conversationem, ut proinde et coelestis imaginem gestemus in nobis, non jam Dei nec jam in coelo constituti, sed *secundum liniamenta Christi incedentes*[27] in sanctitate et justitia et veritate. Atque adeo ad disciplinam totum hoc dirigit, ut hic dicat portandam imaginem Christi in ista carne et in isto tempore disciplinae. *Portemus* enim praeceptivo modo dicens huic tempori loquitur, in quo homo nulla alia substantia est quam caro et anima. Aut si quam aliam, id est coelestem, substantiam haec fides spectat, huic tamen repromissa sit, cui ad illam elaborare mandatur[28]. Cum igitur imaginem et choici et coelestis in conversatione constituat, illam ejerandam, hanc vero sectandam; — dehinc adjungat: *Hoc enim dico*, (id est propter ea, quae supra dixi, conjunctio est enim sensus supplementum antecedentibus reddens,) *quod caro et sanguis regnum Dei haereditate possidere non possunt*[29], — nihil aliud intelligi mandat carnem et sanguinem, quam supradictam imaginem choici; quae si in conversatione censetur vetustatis, conversatio autem vetustatis non capiat Dei regnum, proinde caro et sanguis non capiendo Dei regnum ad conversationem rediguntur vetustatis[30]. Plane si nunquam Apostolus pro operibus substantiam posuit, nec hic ita utatur. Si vero in carne adhuc constitutos negavit esse in carne, in operibus carnis negans esse, formam ejus subruere non debes, non substantiam, sed opera substantiae alienantis a Dei regno. Quibus etiam ad Galatas manifestatis praedicere se et praedixisse profitetur: *quod qui talia agunt regnum Dei non sunt haereditate consecuturi*[31], non portantes scilicet imaginem coelestis, sicut portaverant choici, ideoque ex vetere conversatione nihil aliud deputandi quam caro et sanguis. Nam et si subito in hanc definitionem erupisset Apostolus, eliminandam carnem et sanguinem a Dei regno,

26. 1 Cor. 15, 49. 27. 1 Petr. 2, 21. 28. i. e. carni. 29. 1 Cor. 15, 50. 30. al. veritatis, quod sensum non praebet. 31. Gal. 5, 21.

sine ullius supra sensus praestructione, nonne duas istas substantias proinde hominem veterem interpretaremur carni et sanguini deditum, id est esui et potui, cujus sit dicere adversus fidem resurrectionis: *Manducemus et bibamus, cras enim moriemur*[32]? Et hoc enim infulciens Apostolus carnem et sanguinem de fructibus ipsorum manducandi et bibendi sugillavit.

50. Sed et omissis hujusmodi interpretationibus, carnis et sanguinis opera taxantibus, ipsas quoque substantias non aliter quam sunt intellectas licebit resurrectioni vindicare. Non enim resurrectio carni et sanguini directo denegatur, sed Dei regnum, quod obvenit resurrectioni (est autem et in judicium resurrectio[33]), imo et confirmatur carnis resurrectio generalis, cum specialis excipitur. Dum enim in quem statum non resurgat edicitur, in quem resurgat subauditur. Atque ita dum pro meritis distinctionem resurrectionis opus substantiae, non genus, patitur, apparet hinc quoque carnem et sanguinem nomine culpae, non substantiae, arceri a Dei regno, nomine tamen formae resurgere in judicium, quia non resurgant in regnum. Adhuc dicam: *Caro et sanguis regnum Dei haereditate possidere non possunt.* Merito, sola et per semetipsa, ut ostenderet adhuc spiritum illi necessarium. *Spiritus enim est qui vivificat* (in regnum Dei,) *caro nihil prodest*[34]. Prodesse tamen illi aliud potest, id est spiritus, et per spiritum opera quoque spiritus. Resurgunt itaque ex aequo omnis caro et sanguis in qualitate sua. Sed quorum est adire regnum Dei, induere oportebit vim incorruptibilitatis et immortalitatis, sine qua regnum Dei adire non possunt, antequam consequi eam possint. Merito ergo caro et sanguis, ut diximus, sola regnum Dei capere deficiunt. Jam vero cum devorari habeat corruptivum istud ab incorruptibilitate, id est caro, et mortale istud ab immortalitate, id est sanguis, post resurrectionem ex demutatione: merito demutata ac devorata caro et sanguis regnum Dei haereditate possidere possunt, non tamen non resuscitata. Sunt qui carnem et sanguinem Judaismum velint accipi propter circum-

32. 1 Cor. 15, 32. 33. Joh. 5, 29. 34. Joh. 6, 63.

cisionem, alienum et ipsum a Dei regno, quia et ille vetustati deputetur, et hoc titulo jam et alibi ab Apostolo denotetur, qui post revelatum in se filium Dei ad evangelizandum eum in nationibus, statim non *retulerit ad carnem et sanguinem*, id est ad circumcisionem, id est ad Judaismum, sicut ad Galatas scribit[35].

51. Sed pro omnibus jam stabit, quod in clausulam reservavimus, etiam pro Apostolo ipso, revera maximae inconsiderantiae revincendo, si tam abrupte ut quidam volunt, clausis, quod ajunt, oculis, sine distinctione, sine conditione, omnem passim carnem et sanguinem a regno Dei extrusit; utique et ab ipsa regia coelorum, cum illic adhuc sedeat Jesus ad dexteram patris, homo, etsi Deus, Adam novissimus, etsi sermo primarius, caro et sanguis, etsi nostris puriora, idem tamen et substantia et forma qua ascendit, talis etiam descensurus, ut angeli adfirmant[36], agnoscendus scilicet eis, qui illum convulneraverunt[37]. Hic *sequester*[38] *Dei atque hominum* appellatus ex utriusque partis deposito commisso sibi carnis quoque depositum servat in semetipso, arrabonem summae totius. Quemadmodum enim nobis *arrabonem spiritus* reliquit, ita et a nobis arrabonem carnis accepit, et vexit in coelum pignus totius summae illuc quandoque redigendae. Securae estote, caro et sanguis, usurpastis et coelum et regnum Dei in Christo. Aut si negent vos in Christo, negent et in coelo Christum, qui vobis coelum negaverunt. Ita *nec corruptela*, inquit, *incorruptelam haereditati habebit*[39], non ut carnem et sanguinem existimes corruptelam, quando ipsa sint potius obnoxia corruptelae, per mortem scilicet; siquidem mors est, quae carnem et sanguinem non modo corrumpit, verum etiam consumit. Sed quoniam opera carnis et sanguinis non posse consequi regnum Dei edixerat, quo magis hoc exaggeraret, ipsi quoque corruptelae, id est morti, cui carnis et sanguinis opera proficiunt, haereditatem incorruptelae ademit. Nam et paulo post ipsius mortis quodammodo mortem expressit: *devorata est mors*, dicens,

35. Gal. 1, 16. 36. Act. 1, 11. 37. Joh. 19, 37. Adeo carnem, retinuit Christus, ut vulnera etiam servaverit, quorum ope agnoscent eum, qui vulneraverunt. 38. 1 Tim. 2, 5. *μεσίτης*. 39. 1 Cor. 15, 50.

in contentionem. Ubi est, mors, aculeus tuus? ubi est, mors, contentio[40] *tua? Aculeus autem mortis delinquentia;* haec erit corruptela. *Virtus autem delinquentiae lex;* illa alia sine dubio, quam constituit *in membris suis militantem adversus legem animi sui*[41], ipsam scilicet vim delinquendi contra voluntatem. Nam et supra *novissimum inimicum mortem evacuari*[42] ait. Hoc modo nec corruptela haereditatem incorruptelae consequetur, id est, nec mors perseverabit. Quando et quomodo defectura? cum *in atomo, in momentaneo oculi motu, in novissima tuba et mortui resurgent incorrupti.* Qui hi, nisi qui ante corrupti, id est corpora, id est caro et sanguis? *Et nos demutamur.* De qua habitudine, nisi in qua deprehendemur? *Oportet enim corruptivum istud induere incorruptionem, et mortale istud induere immortalitatem*[43]. Quid mortale, nisi caro? quid corruptivum, nisi sanguis? Ac ne putes aliud sentire apostolum, providentem tibi et, ut de carne dictum intelligas, laborantem, cum dicit *istud* corruptivum, et *istud* mortale, cutem ipsam tenens dicit[44]. Certe *istud* nisi de subjecto, nisi de comparenti pronunciasse non potuit; demonstrationis corporalis est verbum. Aliud autem corruptivum, aliud corruptela, et aliud mortale, et aliud mortalitas. Aliud enim quod patitur, aliud quod pati efficit. Ita quae patiuntur corruptelam et mortalitatem, caro scilicet et sanguis, ea necesse est patiantur et incorruptelam et immortalitatem.

52. Videamus jam nunc quo corpore venturos mortuos disputet[45]. Et bene quod erupit statim ostendere, quasi quis ejusmodi quaerat. *Stulte*, inquit, *tu quod seminas non vivificatur, nisi mortuum fuerit.* Hoc ergo jam de exemplo seminis constet, non aliam vivificari carnem, quam ipsam quae erit mortua, et ita sequentia relucebunt. Nihil enim adversus regulam exempli licebit intelligi, ne, quia sequitur: *et quod seminas, non corpus quod futurum est seminas*, idcirco aliud resurrecturum corpus, quam quod moriendo seminatur, existimes. Ceterum excidisti ab exemplo. Nunquam enim frumento seminato et in

40. al. *potentia.* 41. Rom. 7, 23. 42. 1 Cor. 15, 26. 43. 1 Cor. 15, 50 sqq. 44. i. e. vel cutem vel corpus suum tangens et demonstrans, vel: adhuc ipse in cute vel corpore constitutus. 45. cf. ad hoc caput 1 Cor. 15, 36 sqq.

terra dissoluto hordeum erumpit, et non id ipsum genus grani eademque natura et qualitas et forma. Denique unde, si non id ipsum? et corruptela enim ipsum est, dum ipsius est. Non enim et suggerit, quomodo non quod futurum est corpus seminetur? dicens: *sed nudum granum, si forte, frumenti aut alicujus ejusmodi: Deus autem dat illi corpus prout vult.* Certe ei grano, quod nudum seminari ait? Certe, inquis. Ergo salvum est cui dare habet Deus corpus. Quomodo autem salvum est, si nusquam est, si non resurgit, si non id ipsum resurgit? Si non resurgit, salvum non est. Si non est et salvum, accipere corpus a Deo non potest. Sed enim salvum omni modo constat. Ad quid ergo dabit illi Deus prout vult corpus, habenti utique proprium corpus illud nudum, nisi ut jam non nudum resurgat? Ergo additum erit quod corpori superstruitur, nec exterminatur illud cui superstruitur, sed augetur. Salvum est autem quod augetur. Seritur enim solummodo granum sine folliculi veste, sine fundamento spicae, sine munimento aristae, sine superbia culmi. Exurgit autem copia foeneratum, compagine aedificatum, ordine structum, cultu munitum et usquequaque vestitum. Haec sunt ei corpus a Deo aliud, in quod non abolitione, sed ampliatione mutatur. *Et unicuique seminum suum corpus deputavit*, non suum, id est non pristinum, ut tunc et illud suum sit, quod extrinsecus a Deo acquirit. Servi igitur exemplo, et conserva speculum ejus carni, eandem credens fructificaturam quae sit seminata; ipsam, etsi pleniorem, non aliam, etsi aliter revertentem. Accipiet enim et ipsa suggestum[46] et ornatum, qualem illi Deus voluerit superducere secundum merita. Sine dubio ad hoc dirigit: *non omnis caro eadem caro;* non ad denegandam substantiae communionem, sed praerogativae peraequationem, corpus honoris, non generis, in differentiam redigens. In hoc et figurata subjicit exempla animalium et elementorum: *alia caro hominis*, id est servi Dei, qui vere homo est; *alia jumenti*, id est ethnici (de quo et propheta: *assimilatus est*, inquit, *homo inrationabilibus jumentis*);[47] *alia*

46. = augmentum. 47. Ps. 49, 21.

caro volatilium, id est martyrum, qui ad superiora conantur; *alia piscium*, id est quibus aqua baptismatis sufficit [48]. Sic et de supercoelestibus corporibus argumenta committit: *alia solis gloria*, id est Christi; et *alia lunae*, id est ecclesiae; et *alia stellarum*, id est seminis Abrahae. *Et stella enim a stella differt in gloria*, et *corpora terrena et coelestia*, Judaeus scilicet et Christianus. Ceterum si non figurate, satis vane mulorum et milvorum carnes, et corpora coelestium luminum apposuit humanis, non pertinentia ad conditionis comparationem, sicut nec ad resurrectionis consecutionem. Postremo cum per haec differentiam gloriae, non substantiae, conclusisset: *sic*, inquit, *et resurrectio mortuorum*. Quomodo? Non de alio aliquo, sed de sola gloria differens. Rursus enim resurrectionem ad eandem substantiam revocans et ad granum denuo spectans *seminatur*, inquit, *in corruptela, resurgit in incorruptela; seminatur in dedecoratione, resurgit in gloria; seminatur in infirmitate, resurgit in virtute; seminatur corpus animale, resurgit spiritale*. Certe non aliud resurgit, quam quod seminatur, nec aliud seminatur, quam quod dissolvitur humi: nec aliud dissolvitur humi, quam caro. Hanc enim sententia Dei elisit: *Terra es et in terram ibis*[49]; quia et de terra erat sumpta. Hinc et Apostolus concepit seminari eam dicere, cum redhibetur in terram, quia et seminibus sequestratorium terra est, illic deponendis et inde repetendis. Ideoque et reconsignat imprimens: *sic enim scriptum est;* ne aliud existimes esse seminari, quam *in terram ibis, ex qua es sumptus*, sic ne alterius quam carnis: *sic enim scriptum est.*

53. Sed corpus animale animam quidam argumentantur, ut illum a carne avocent recidivatum. Porro cum constet fixumque sit illud resurrecturum corpus, quod fuerit seminatum, ad ipsius rei exhibitionem provocabuntur. Aut ostendant animam seminatam post mortem, id est mortuam, id est humi elisam, disjectam, dissolutam, quod in illam a Deo decretum non est; proponant corruptelam ejus et dedecorationem, infirmitatem, ut ipsius sit etiam exsurgere in incorruptelam et in gloriam et in

48. martyres sanguinis baptisma subire dicebantur, reliqui aqua tantummodo baptizari. 49. Gen. 3, 19.

virtutem. Sed enim in Lazaro, praecipuo resurrectionis exemplo, caro jacuit in infirmitate, caro pene computruit in dedecorationem, caro interim putuit in corruptionem; et tamen Lazarus caro resurrexit, cum anima quidem, sed incorrupta, quam nemo vinculis lineis strinxerat, nemo in sepulchro collocarat, nemo jam foetere senserat, nemo quatriduo viderat seminatam. Totum habitum, totum exitum Lazari omnium quoque caro hodie experitur, anima vero nullius. In qua ergo stilus Apostoli comparet, de qua eum loqui constat, ea erit et corpus animale, cum seminatur, et spiritale, cum suscitatur. Nam ut ita intelligas manum adhuc porrigit, aeque de ejusdem scripturae auctoritate *factum* retexens *primum hominem Adam in animam vivam*[50]. Si Adam homo primus, caro autem homo ante animam, sine dubio caro erit facta in animam viventem. Porro in animam, cum esset corpus, utique animale corpus est facta. Quid eam appellari velint, quam quod per animam facta est, quam quod ante animam non fuit, quam quod post animam non erit, nisi cum resurgit? Recepta enim anima rursus animale corpus efficitur, ut fiat spiritale. Non enim resurgit, nisi quod fuit. Ita unde carni competit corpus animale dici, inde animae nullo modo competit. Caro enim ante corpus, quam animale corpus. Animata enim postea facta est corpus animale. Anima vero etsi corpus, tamen quia ipsa est corpus non animata[1], sed animans potius, animale corpus non potest dici, nec fieri quod facit. Alii enim accidens facit illud animale: non accidens autem alii, quomodo se faciet animale? Sicut ergo animale corpus caro recipiens animam, ita et postea spiritale induens spiritum. Hunc ordinem Apostolus disponens in Adam quoque et in Christo eum merito distinguit, ut in capitibus distinctionis ipsius. Et cum Christum *novissimum Adam* appellat, hinc eum recognosce ad carnis, non ad animae, resurrectionem omnibus doctrinae viribus operatum. Si enim et primus homo Adam caro, non anima, qui denique in animam vivam factus est; et novissimus Adam Christus ideo Adam quia homo, ideo

50. Cf. 1 Cor. 15, 44 sqq. 1. al. *animatum*, ex emendatione prorsus inutili. Corpus est anima, non inde quia animata, sed quia animans est.

homo quia caro, non quia anima; atque ita subjungit: *non primum quod spiritale, sed quod animale, postea quod spiritale,* secundum utrumque Adam. Ecquid tibi videtur corpus animale et corpus spiritale *in eadem carne* distinguere, cujus distinctionem in utroque Adam, id est in utroque homine, praestruxit? Ex qua enim substantia pariant inter se Christus et Adam? Scilicet ex carne. Licet et ex anima, sed carnis nomine *homo* uterque sunt; prior enim caro homo. Ex illa et ordinem admittere potuerunt, ut alter primus, alter novissimus homo, id est Adam, deputarentur. Ceterum diversa in ordinem disponi non possunt, de substantia duntaxat. De loco enim aut tempore aut conditione forsitan possint. Hic autem de substantia carnis primus et novissimus dicti sunt, sicut et rursus primus homo de terra, et secundus de coelo; quia etsi de coelo secundum spiritum, sed homo secundum carnem. Itaque cum carni conveniat ordo in utroque Adam, non animae, ut primus homo in animam vivam, novissimus in spiritum vivificantem distincti sint, aeque distinctio eorum *carni* distinctionem praejudicavit; ut de carne sit dictum: *non primum quod spiritale, sed quod animale, postea quod spiritale,* atque ita eadem sit et supra intelligenda: et *quae seminetur corpus animale*, et *quae resurgat corpus spiritale;* quia non primum quod spiritale, sed quod animale; quia primus Adam in animam, novissimus Adam in spiritum. Totum de homine, totum de carne, quando de homine. Quid ergo dicemus? Nonne et nunc habet caro spiritum ex fide? ut quaerendum sit, quomodo corpus animale dicatur seminari. Plane accepit et hic spiritum ex fide, ut quaerendum sit, quomodo corpus animale dicatur seminari. Plane accepit et hic spiritum caro, sed arrabonem, animae autem non arrabonem, sed plenitudinem. Itaque etiam propterea majoris substantiae nomine animale corpus nuncupata est, in qua seminatur, futura proinde per plenitudinem spiritus insuper spiritale, in qua resuscitatur. Quid mirum si magis inde vocitata est, unde conferta est, quam unde respersa est.

54. Ita de vocabulorum occasionibus primum quaestiones subornantur, sicut et de verborum communionibus. Nam quia

et illud apud Apostolum positum est: *uti devoretur mortale a vita*[2], caro scilicet, devorationem quoque ad perditionem scilicet carnis arripiunt, quasi non bilem et dolorem dicamur devorare, id est abscondere ac tegere et intra nosmetipsos continere. Denique cum et illud scriptum sit: *Oportet mortale hoc induere immortalitatem*, ostenditur quomodo mortale devoretur a vita, dum indutum immortalitate absconditur et tegitur et intus continetur, non dum absumitur et amittitur. Ergo et mors, inquis, salva erit, cum fuerit devorata. Ideo discerne pro sensibus communionem verborum, et integre intelliges. Aliud enim mors, et aliud mortale. Aliter itaque devorabitur mors et aliter mortale. Mors non capit immortalitatem, mortale autem capit. Denique et scriptum est, quod necesse sit *mortale hoc induere immortalitatem.* Quomodo ergo capit, dum devoratur a vita? Quomodo devoratur a vita, dum recipitur et redigitur et includitur in ipsam? Ceterum mors merito in interitum devoratur, quia et ipsa in hoc devorat. *Devoravit*, inquit, *mors invalescendo*[3], *et ideo devorata est in contentionem. Ubi est, mors, aculeus tuus? ubi est, mors, contentio tua?* Proinde et vita, mortis scilicet aemula, per contentionem devorabit in salutem, quod per contentionem devoraverat mors in interitum.

55. Quamquam igitur resurrecturam carnem probantes hoc ipso non aliam resurrecturam probemus, quam de qua agitur, tamen singulae quaestiones et caussae earum proprios quoque flagitant congressus, licet aliunde jam caesae. Interpretabimur itaque plenius et vim et rationem demutationis; quae ferme subministrat alterius carnis resurrecturae praesumptionem, quasi demutari desinere sit in totum et de pristino perire. Discernenda est autem demutatio ab omni argumento perditionis. Aliud enim demutatio, aliud perditio. Porro non aliud, si ita demutabitur caro ut pereat. Peribit autem demutata, si non ipsa permanserit in demutatione, quae exhibita fuerit in resurrectione. Quemadmodum enim perit, si non resurgit: ita etsi resurgit quidem, verum in demutationem subducitur, aeque

2. cf. 1 Cor. 15, 53 sqq. 3. Nescio, unde haec verba citaverit, nisi respexerit ad Rom. 5, 12 sqq.

perit. Aeque enim non erit, ac si non resurrexerit. Et quam ineptum, si in hoc resurgit ut non sit, quae potuit non resurrexisse nec esse, quia non esse jam coeperat. Non miscebuntur omnino diversa, mutatio atque perditio, operibus utique diversa. Perdit haec, illa mutat. Quomodo ergo quod perditum est mutatum non est, ita quod mutatum est perditum non est. Perisse enim est in totum non esse quod fuerit; mutatum esse aliter esse est. Porro dum aliter est, id ipsum potest esse; habet enim esse, quod non perit. Mutationem enim passum est, non perditionem. Atque adeo potest et demutari quid et ipsum esse nihilominus, ut et totus homo in hoc aevo substantia quidem ipse sit, multifariam tamen demutetur, et habitu et ipsa corpulentia et valetudine et conditione et dignitate et aetate, studio, negotio, artificio, facultatibus, sedibus, legibus, moribus, nec quicquam tamen amittat hominis, nec ita alius efficiatur, ut cesset idem esse; imo nec alius efficitur, sed aliud. Hanc formam demutationis divina etiam documenta testantur. Mutatur Mosi manus, et quidem adinstar emortuae, exanguis et exalbida, frigida; sed et recepto calore et refuso colore eadem caro et sanguis est. Mutatur postea et facies ejusdem incontemplabili claritate. Sed Moses erat proinde qui non videbatur. Sic et Stephanus angelicum jam fastigium induerat, sed non alia genua in lapidatione succiderant. Dominus quoque in secessu montis etiam vestimenta luce mutaverat, sed liniamenta Petro agnoscibilia servaverat. Ubi etiam Moses et Helias, alter in imagine carnis nondum receptae [4], alter in veritate nondum defunctae, eandem tamen habitudinem corporis etiam in gloria perseverare docuerunt. De quo exemplo instructus et Paulus: *Qui transfigurabit*, inquit, *corpus humilitatis nostrae conformale corpori gloriae suae* [5]. Quod si et transfigurationem et conversionem in transitum substantiae cujusque defendis, ergo et Saul in alium virum conversus de corpore suo excessit; et ipse Satanas, cum in angelum lucis transfiguratur, qualitatem suam

4. Cum in resurrectione demum caro restitui creditur, a nonnullis Moses in transfiguratione domini in imagine tantum verae carnis apparuisse, ab aliis caro ejus ad tempus resurrexisse docebatur 5. Phil. 3, 21.

amittit? Non opinor. Ita et in resurrectionis eventum mutari, converti, reformari licebit cum salute substantiae.

56. Etenim quam absurdum, quam vero et iniquum [6], utrumque autem quam Deo indignum, aliam substantiam operari, aliam mercede dispungi, ut haec quidem caro per martyria lanietur, alia vero coronetur; item e contrario haec quidem caro in spurcitiis volutetur, alia vero damnetur. Nonne praestat omnem semel fidem a spe resurrectionis abducere, quam de gravitate atque justitia Dei ludere? Marcionem pro Valentino [7] resuscitari? quando neque mentem neque memoriam neque conscientiam hominis hodierni credibile sit aboleri per indumentum illud mutatorium immortalitatis et incorruptelae, vacaturo scilicet emolumento et fructu resurrectionis et statu divini utrobique [8] judicii. Si non meminerim, me esse qui merui, quomodo gloriam Deo dicam? quomodo canam illi novum canticum, nesciens me esse qui gratiam debeam? Cur autem solius carnis demutatio excipitur, non et animae simul, quae in omnibus praefuit carni? Quale est, ut eadem anima, quae in hac carne totum vitae ordinem decucurrit, quae in hac carne Deum didicit et Christum induit et spem salutis seminavit, in alia nescio qua metat fructum? Nae illa gratiosissima caro, cui gratis vita constabit! Quod si non et anima mutabitur, jam nec animae resurrectio est; nec ipsa enim resurrexisse credetur, si non alia resurrexerit.

57. Hinc jam illa vulgaris incredulitatis argutia est: si, inquiunt, ipsa eademque substantia revocatur cum sua forma, linea, qualitate, ergo et cum insignibus suis reliquis. Itaque et caeci et claudi et paralytici, et ut quis insignis excesserit, ita et revertetur. Quid nunc, etsi ita dedignaris tantam gratiam qualiscunque a Deo consequi? Non enim et nunc, animae solius

6. Omnes codd. excepto uno: *ethnicum*, quod, quamvis ferri potest, multi enim philosophi *μετενσωμάτωσιν* docuerunt, huc minus quadrat, cum de iniquitate in sequentibus inprimis sermo fiat. In Sqq. *dispungere* = rationibus examinatis debitam mercedem solvere. 7. Marcion nullam omnino, Valentinus in alia carne futuram resurrectionem statuit. Sensus: nonne praestat M. doctrinam in ecclesia stabiliri, quam V.? 8. i. e. in carne et anima.

admittens salutem, dimidiatis hominibus eandem adscribis? Quid est credere resurrectionem, nisi integram credere? Si enim caro de dissolutione reparabitur, multo magis de vexatione revocabitur. Minoribus majora praescribunt. Cujuscunque membri detruncatio vel obtusio nonne mors membri est? Si universalis mors resurrectione rescinditur, quid portionalis? Si demutamur in gloriam, quanto magis in incolumitatem? Vitiatio corporum accidens res est, intregritas propria est. In hac nascimur. Etiamsi in utero vitiemur, jam hominis est passio. Prius est genus quam casus. Quomodo vita confertur a Deo, ita et refertur. Quales eam accipimus, tales et recipimus. Naturae, non injuriae reddimur; quod nascimur, non quod laedimur, reviviscimus. Si non integros Deus suscitat, non suscitat mortuos. Quis enim mortuus integer, et si integer moritur? quis incolumis, qui exanimis? quod corpus inlaesum, cum interemptum, cum frigidum, cum expallidum, cum edurum, cum cadaver? Quando magis homo debilis, nisi cum totus [9]? quando magis paralyticus, nisi cum immobilis? Ita nihil aliud est mortuum resuscitari, quam integrum fieri; ne ex ea parte mortuus adhuc sit, ex qua non resurrexerit. Idoneus Deus reficere quod fecit. Hanc suam et potestatem et liberalitatem satis jam in Christo spopondit; imo et ostendit non tantum resuscitatorem carnis, verum etiam redintegratorem. Atque adeo et Apostolus: *Et mortui*, inquit, *resurgent incorrupti* [10]. Quomodo, nisi integri, qui retro corrupti tam vitio valetudinis quam et senio sepulturae? Nam supra utrumque proponens: *oportere et corruptivum istud induere incorruptelam, et mortale istud immortalitatem* [11], non iteravit sententiam, sed differentiam demandavit. Immortalitatem enim ad rescissionem mortis, incorruptelam ad obliterationem corruptelae dividendo, alteram ad resurrectionem, alteram ad redintegrationem temperavit. Puto autem et Thessalonicensibus omnis substantiae integritatem repromisit [12]. Itaque nec in posterum timebuntur corporum labes. Nihil poterit admittere [13]

9. scil. debilis est. 10. 1 Cor. 15, 52. 11. ib. v. 53. 12. 1 Thess. 4, 13 sqq. 13. al. ex emendatione *amittere*. Frustra, sensus enim est: Nihil labis admittere potuit integritas.

integritas vel conservata vel restituta, ex quo illi etiam, siquid amiserat, redditur. Praescribens enim adhuc easdem passiones obituram carnem, si eadem resurrectura dicatur, naturam adversus dominum suum temere defendis, legem adversus gratiam impie asseris: quasi domino non liceat et mutare naturam et sine lege servare. Quomodo ergo legimus: *quae impossibilia apud homines, possibilia apud Deum sunt?* et: *stulta mundi elegit Deus, ut sapientia mundi confundat*[14]*?* Oro te, si famulum tuum libertate mutaveris, quia eadem caro atque anima permanebunt, quae flagellis et compedibus et stigmatibus obnoxiae retro fuerant, idcircone illa eadem pati oportebit? Non opinor. Atquin et vestis albae nitore et aurei annuli honore et patroni nomine ac tribu mensaque honoratur[15]. Permitte hanc et Deo potestatem per vim demutationis illius conditionem, non naturam, reformandi, dum et passiones auferuntur et munitiones conferuntur. Ita manebit quidem caro etiam post resurrectionem eatenus passibilis, qua ipsa, qua eadem; ea tamen impassibilis, qua in hoc ipsum manumissa a domino, ne ultra pati possit.

58. *Jocunditas*, inquit Esaias, *aeterna super caput eorum.* Nihil aeternum nisi post resurrectionem. *Aufugit*, inquit, *dolor et moeror et gemitus ab illis*[16]. Proinde et Joanni angelus: *Et delebit Deus omnem lachrymam ab oculis eorum*[17]. Utique ex iisdem oculis qui retro fleverant, quique adhuc flere potuissent, si non omnem lachrymae imbrem indulgentia divina siccaret. Et rursus: *Deus enim delebit omnem lachrymam ab oculis eorum, et mors hactenus*[18]; igitur et corruptela hactenus, proinde per incorruptelam fugata, quemadmodum mors per immortalitatem. Si dolor et moeror et gemitus ipsaque mors ex laesuris et animae et carnis obveniunt, quomodo auferentur, nisi cessaverint caussae, scilicet laesurae carnis atque animae? Ubi casus adversi apud dominum? aut ubi incursus infesti apud Christum?

---

14. Mth. 19, 26. 1 Cor. 1, 27 sq. 15. Vestis alba libertinorum praerogativa, annulus aureus proprie equitum, seriore tempore etiam libertinorum. Libertini non amplius herum, sed patronum dominum appellabant, nomen ejus suo praeposuerunt, in tribum recipiebantur et patroni mensae adhibebantur. 16. Jes. 35, 10. 17. Apoc. 7, 17. 18. Apoc. 21, 4.

ubi daemonici impetus apud spiritum sanctum, jam et ipso diabolo cum angelis suis ignibus merso? Ubi necessitas, aut quod dicitur fortuna vel fatum? Quae resuscitatis plaga post veniam? quae reconciliatis ira post gratiam? quae infirmitas post virtutem? quae imbecillitas post salutem? Quod vestimenta et calciamenta filiorum Israelis quadraginta illis annis indetrita et inobsoleta manserunt[19], quod et in ipsis corporibus unguium et capillorum facilia crementa habilitatis et dignitatis justitia defixit, ne etiam enormitas corruptela deputaretur[20]; quod Babylonii ignes trium fratrum nec tiaras nec sarabaras[21], quanquam Judaeis alienas, laeserunt; quod Jonas devoratus a belua maris, in cujus alvo naufragia digerebantur, triduo post incolumis expuitur[22], quod hodie Enoch et Helias, nondum resurrectione dispuncti[23], quia nec morte functi, qua tamen de orbe translati et hoc ipso jam aeternitatis candidati, ab omni vitio et ab omni damno et ab omni injuria et contumelia emunitatem[24] carnis ediscunt: cuinam fidei testimonium signant, nisi qua credi oportet haec futurae integritatis esse documenta? *Figurae enim nostrae fuerunt*, Apostolo auctore[25], quae scripta sunt, ut et dominum potentiorem credamus omni corporum lege, et carnis magis utique conservatorem, cujus etiam vestimenta, etiam calceamenta protexit.

59. Sed futurum, inquis, aevum alterius est dispositionis et aeternae; igitur hujus aevi substantiam non aeternam diversa possidere non posse. Plane, si homo propter dispositionem futuram, et non dispositio propter hominem. Sed enim Apostolus scribens[26]: *sive mundus, sive vita, sive mors, sive futura, sive praesentia, omnia vestra sunt*, eosdem constituit haeredes etiam futurorum. Nihil tibi largitur Esaias, dicens: *Omnis caro foenum*; et alibi: *Et videbit omnis caro salutare Dei*[27]. Exitus, non sub-

---

19. Deut. 8, 4. 29, 5. Neh. 9, 21. 20. Hoc unde noster hauserit, non invenio. 21. sarabara = vestis persica pretiosa cf. Dan. 3, 27. 22. Jon. 2, 1 sqq. 23. i. e. tamquam praemio ornati cf. cap. 56, not. 6. Ad rem cf. Gen. 5, 24. 2 Reg. 2, 11. 24. al. *immunitatem*. *Emunitas* melius, significat enim liberationem, *immunitas* libertatem, non acceptam, sed naturalem. 25. 1 Cor. 10, 6. 26. 1 Cor. 3, 22. 27. Jes. 40, 5 sqq.

stantias, distinxit. Quis enim judicium Dei non in sententia duplici statuit salutis et poenae? *omnis* igitur *caro foenum*, quae igni destinatur, et *omnis caro videbit salutare Dei,* quae saluti ordinatur. Ego me scio neque alia carne adulteria commisisse, neque nunc alia carne ad continentiam eniti. Si quis est bina pudenda circumferens, potest jam et demere foenum carnis immundae, et solam sibi reservare, quae visura sit Dei salutare. Sed cum idem prophetes etiam nationes ostendat nunc deputatas velut *pulverem* et *salivam*, nunc speraturas et credituras *in nomen et in brachium domini*[28], nunquid et de nationibus fallimur? Et aliae quidem sunt crediturae, aliae in pulverem deputatae, ex diversitate substantiae? Sed et Christus intra oceanum[29], et de isto coelo, quod nobis incubat, verum lumen nationibus effulsit. Et ipsi Valentiniani hic errare didicerunt[30]; nec alia erit forma nationum credentium, nisi quae et non credentium, de carne, de anima. Sicut ergo easdem nationes non genere, sed sorte distinxit, ita et carnes, quae in ipsis nationibus una substantia est, non materia, sed mercede disjunxit.

60. Ecce autem, ut adhuc controversiam exaggerent carni, maxime eidem, de officiis quoque membrorum argumentantur, aut et ipsa dicentes permanere debere in suis operibus et fructibus, ut eidem corpulentiae adscripta, aut, quia constet discessura esse officia membrorum, corpulentiam quoque eradant, cujus scilicet perseverantia credenda non sit utique sine membris, quia nec membra credenda sint sine officiis. Quo enim jam, inquiunt, spelunca haec oris et dentium statio et gulae lapsus et compitum[31] stomachi et alvi gurges et intestinorum perplexa proceritas, cum esui et potui locus non erit? quo hujusmodi membra admittunt, subigunt, devolvunt, dividunt, digerunt, egerunt? quo manus ipsae et pedes et operarii quique artus, cum victus etiam cura cessabit? quo renes conscii

---

28. Jes. 40, 15. 17. 29. Carpit Valentinianos, qui extra hunc mundum ultra Oceanum alios melioris naturae homines, non instar hujus mundi incolarum a Demiurgo corruptos, habitare asseruerunt. cf. de Scorp. 10. 30. adv. Valent. 29. 31. Locus, ubi plures viae conveniunt. In stomacho quae ab omnibus membris ingeruntur et exeunt quasi confluunt.

seminum et reliqua genitalium utriusque sexus et conceptuum stabula et uberum fontes discessuro concubitu et foetu et educatu? postremo, quo totum corpus, totum scilicet vacaturum? Ad haec ergo praestruximus, non opórtere committi futurorum atque praesentium dispositiones, intercessura tunc demutatione; et nunc superstruimus, officia ista membrorum necessitatibus vitae hujus eo usque consistere, donec et ipsa vita transferatur a temporalitate in aeternitatem, sicut animale corpus in spiritale, dum: *mortale istud induit immortalitatem, et corruptivum istud incorruptelam*[32]. Et ipsa autem liberata tunc vita a necessitatibus liberabuntur et membra ab officiis, nec ideo non erunt necessaria. Licet enim officiis liberentur, sed judiciis retinentur, ut quis *referat per corpus prout gessit*[33]. Salvum enim hominem tribunal Dei exigit; salvum vèro sine membris non licet esse, ex quorum non officiis, sed substantiis constat. Nisi forte et navem sine carina, sine prora, sine puppi, sine compaginis totius incolumitate salvam adseverabis. Et tamen navem procella dissipatam vel carie dissolutam redactis et recuratis omnibus membris eandem saepe conspeximus etiam titulo restitutionis gloriantem. De Dei artificio et arbitrio et jure torquemur? Porro si dives dominus et liberalis, adfectuì aut gloriae suae praestans solam navis restitutionem, hactenus[34] eam voluerit operari: idcirco tu negabis necessariam illi compaginem pristinam, ut exinde jam vacaturam, cum soli saluti navis sine operatione conveniat. Igitur hoc tantummodo discere sufficit, an dominus hominem saluti destinando carnem destinarit, an eandem velit denuo esse, quam non debebis ex futura membrorum vacatione praescribere denuo esse non posse. Licet enim esse quid denuo et nihilominus vacare: nec potest autem dici vacare, si non sit. At enim si sit, poterit et non vacare; nihil enim apud Deum vacabit.

61. Sed accepisti, homo, os ad vorandum atque potandum. Cur non potius ad eloquendum, ut a ceteris animalibus distes? cur non potius ad praedicandum Deum, ut etiam hominibus

32. 1 Cor. 15, 53. 33. 2 Cor. 5, 10. 34. i. e. non amplius.

antistes? Denique Adam ante nomina animalibus enunciavit quam de arbore decerpsit; ante etiam prophetavit quam voravit. Sed accepisti dentes ad macellum corrodendum. Cur non potius ad omnem hiatum et rictum tuum coronandum? cur non potius ad pulsus linguae temperandos, ad vocis articulos offensione signandos? denique et edentulos audi, et vide, ut honori oris et organum dentium quaeras[35]! Forata sunt inferna in viro et in foemina, nimirum qua libidines fluitent? Cur non magis qua defluxura[36] colentur? Est adhuc feminis intus quo semina congerantur. An quo sanguinis onera secedant, quem pigrior sexus discutere non sufficit? Dicenda enim et haec, quatenus quae volunt et qualiter volunt et quorum volunt officia membrorum ludibriose de industria suffundendae[37] resurrectionis oblatrant; non recogitantes ipsas prius caussas necessitatis tunc vacaturas, cibi, famem, et potus, sitim, et concubitus, genituram, et operationis, victum. Sublata enim morte neque victus fulcimenta ad praesidia vitae neque generis supparatura[38] gravis erit membris. Ceterum et hodie vacare intestinis et pudendis licebit. Quadraginta diebus Moses et Helias jejunio functi solo Deo alebantur. Jam tunc enim dedicabatur: *non in pane vivit homo, sed in Dei verbo*[39]. Ecce virtutis futurae liniamenta. Nos quoque, ut possumus, os cibo excusamus[40], etiam sexum a congressione subducimus. Quot spadones voluntarii? quot virgines Christo maritatae? quot steriles utriusque naturae infructuosis genitalibus structi? Nam si et hic jam vacare est et officia et emolumenta membrorum temporali vacatione, ut in temporali dispositione, nec homo tamen minus salvus est: proinde homine salvo, et quidem magis tunc, ut in aeterna dispositione, magis non desiderabimus, quae jam hic non desiderare consuevimus.

---

35. Locus varia lectione vexatissimus nec minus emendationibus et conjecturis. Sensus: audi edentulorum (i. e. dentibus carentium) loquelam et vide, quantum ad oris honorem organum dentium desideretur, quam male sonet. 36. i. e. quae de potu excernuntur. 37. quasi pudore afficiendae, refutandae, *zu Schanden machen.* 38. v. Tert. = augmentum, complementum. 39. Exod. 24, 18. 1 Reg. 19, 8. Mth. 4, 4. 40. i. e. liberamus = jejunamus.

62. Sed huic disceptationi finem dominica pronunciatio imponit. *Erunt*, inquit, *tanquam angeli*[41]. Si non nubendo, quia nec moriendo, utique nec ulli simili necessitati succidendo corporalis conditionis, quia et angeli aliquando tanquam homines fuerunt edendo et bibendo et pedes lavacro porrigendo. Humanam enim induerant superficiem salva intus snbstantia propria. Igitur si angeli facti tanquam homines in eadem substantia spiritus carnalem tractationem susceperunt, cur non et homines facti tanquam angeli in eadem substantia carnis spiritalem subeant dispositionem? non magis solennibus carnis obnoxii sub angelico indumento, quam angeli tunc solennibus spiritus sub humano; nec ideo non permansuri in carne, quia non et in solénnibus carnis, cum nec angeli ideo non et in spiritu permanserint, quia non et in solennibus spiritus. Denique non dixit, *erunt angeli*, ne homines negaret, sed *tanquam angeli*, ut homines conservaret. Non abstulit substantiam, cui similitudinem attribuit.

63. Resurget igitur caro, et quidem omnis, et quidem ipsa, et quidem integra. In deposito est ubicunque apud Deum, per fidelissimum sequestrem Dei et hominum Jesum Christum, qui et homini Deum et hominem Deo reddet, carni spiritum et spiritui carnem. Utrunque jam in semetipso foederavit, sponsam sponso et sponsum sponsae comparavit. Nam et si animam quis contenderit sponsam, vel dotis nomine sequetur animam caro. Non erit anima prostituta, ut nuda suscipiatur a sponso: habet instrumentum, habet cultum, habet mancipium suum carnem. Ut collactanea[42] comitabitur. Sed caro est sponsa, quae et in Christo Jesu spiritum sponsum per sanguinem pacta[43] est. Hujus interitum quem putas secessum scias esse. Non sola anima seponitur; habet et caro secessus[44] suos interim in aquis, in ignibus, in alitibus, in bestiis, cum in haec dissolvi videtur, velut in vasa transfunditur. Si etiam ipsa vasa defecerint, cum de illis quoque effluxerit in suam matricem terram, quasi per ambages resorbetur, ut rursus ex illa repraesentetur Adam au-

41. Mth. 22, 30. Luc. 20, 36. 42. al. *collectanea* vel *collatanea*, al. *collectaneum*. 43. al. *passa*. 44. al. *sinus suos*.

diturus a domino: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est*[45]; vere tunc compos mali quod evasit, et boni quod invasit. Quid, anima, invides carni? nemo tam proximus tibi, quem post dominum diligas; nemo magis frater tuus, quam quae tecum etiam in Deo nascitur. Tu potius illi exorare debueras resurrectionem; per te, si forte, deliquit. Sed nihil mirum, si odisti, cujus auctorem quoque respuisti, quam et in Christo aut negare aut mutare consuesti: proinde et ipsum sermonem Dei, qui caro factus est, vel stilo vel interpretatione corrumpens, arcana etiam apocryphorum superducens, blasphemiae fabulas. At enim Deus omnipotens adversus haec incredulitatis et perversitatis ingenia providentissima gratia sua effundens *in novissimis diebus de suo spiritu in omnem carnem*, *in servos suos et ancillas*[46], et fidem laborantem resurrectionis carnalis animavit, et pristina instrumenta[47] manifestis verborum et sensuum luminibus ab omni ambiguitatis obscuritate purgavit. Nam quia *haereses esse oportuerat*, *ut probabiles quique manifestarentur*[48], hae autem sine aliquibus occasionibus scripturarum audere non poterant, idcirco pristina instrumenta quasdam materias illis videntur subministrasse, et ipsas quidem iisdem litteris revincibiles. Sed quoniam nec dum dissimulare[49] spiritum sanctum oportebat, quo minus et hujusmodi eloquiis superinundaret, quae nullis haereticorum versutiis semina subspargerent, imo et veteres eorum cespites vellerent, idcirco jam omnes retro ambiguitates et quas volunt parabolas aperta atque perspicua totius sacramenti praedicatione discussit per novam prophetiam de paracleto[50] inundantem. Cujus si hauseris fontes, nullam poteris sitire doctrinam, nullus te ardor exuret quaestionum: resurrectionem quoque carnis usquequaque potando refrigerabis.

---

45. Gen. 3, 22. 46. Joel 3, 1. 47. i. e. V. T. libros. 48. 1 Cor. 11, 19. 49. i. e. ne minimam quidem obscuritatem relinquere. 50. Scripsit hunc libellum noster, cum jam Montanistarum castra sequeretur.

Lipsiae, Typis Ackermann et Glaser.

BIBLIOTHECA

PATRUM ECCLESIASTICORUM

SELECTISSIMA.

AD OPTIMARUM EDITIONUM FIDEM RECUDI

CURAVIT

DR. GUIL. BRUNO LINDNER.

FASC. III.

LIPSIAE,
DÖRFFLING & FRANKE.
MDCCCLXI.

CLEMENTIS ALEXANDRINI

LIBER

QUIS DIVES SALVETUR.

TEXTUM ET VERSIONEM NOVIS STUDIIS

RECENSUIT

DR. GUIL. BRUNO LINDNER.

LIPSIAE,

DÖRFFLING & FRANKE.

MDCCCLXI.

PROOEMIUM.

Graecum antiquissimae ecclesiae librum bibliothecae nostrae additturis placuit nobis Clementis Alexandrini librum notissimum et jure celebratum τὶς ὁ σωζόμενος πλούσιος eligere. Ex hoc eleganti libello autoris inter vetera ecclesiae decora et praesidia eminentissimi et virtutes et vitia brevi obtutu perspicere potes. Quanto linguae et eloquentiae ornatu, quanta profanarum atque sacrarum litterarum cognitione, quanto ingenii acumine, quanta volubilitate excelluit, hic nitidissimus tractatus abunde testatur, nec tamen infitias ire possumus, ornatum non raro in tumorem, acumen in sophisma, volubilitatem in loquacitatem abire. Est hic liber, si cum classicis Graecorum scriptis compares, a barbariei crimine vix liberandus, sed hanc calamitatem communem habet cum omnibus ejus temporis scriptis optimorum etiam scriptorum. Quis Originem et Libanium cum Demosthene comparet? At inter optima hujus pessimi saeculi scripta hic libellus haud dubie eminet; et, quamprimum abs te impetraveris, ut amphorae oblitus, vinum degustes, sincerum et gratum experieris. Tractat enim Clemens quaestionem illam haud facilem et omni tempore, imprimis illis orientis ecclesiae nostrae saeculis, pietatis et amoris omnia terrestria contemnentis et respuentis, quia Christi reditum cum summo gaudio expectantis ardore insignibus, satis ventilatum: quo modo et animo

fidelis Christi servus divitiis hujus mundi uti debeat; eamque sic tractat, ut viri Christi desiderio flagrantis fortitudinem, nec minus pastoris animarum salutem omni modo curantis sapientiam non satis possis admirari. Et quantum nostra aetate pròfecerimus, multa tamen invenies, quae tibi tuaeque vitae utilia et salubria inde haurias.

De Clemente non est quod multa dicam. Quantum inter ecclesiae doctores promineat, omnibus satis notum est; nisi aliunde, ex discipulo Origine praeceptorem nemo non admiratus est. Non tam dogmaticae eruditionis et indagationis ordine et industria, quam ingenii felicissimo acumine et morum strenuitate excelluit. In scriptis ejus omnia sunt vitae et spiritus plena, sed, ut fieri solet, in abundantia sermonis non semper modus et ordo servantur. Ita in nonnullis etiam Clemens noster lapsus est, in plurimis egregie meritus, in omnibus bene cordatus.

Hic Clementis libellus *τὶς ὁ σωζόμενος πλούσιος* diu latuit; quamvis in Hieronymi catalogo citatus hoc titulo: *quisnam dives ille sit*, *qui salvetur*. Anno 1623 primum in lucem prodiit. *Michael* scilicet *Ghislerius*, e Clericis regularibus in commentariis suis ad Jeremiam editis fragmentum promulgavit, quod in codice Vaticano quodam repererat. Inscripserat: *Origenis homilia vigesima et ultima inter homilias ejusdem super Jeremiam in Graeco codice Vaticano repertas, Joa. Matthaeo Caryophilo interprete.* Sed ipse errorem suum agnovit et in praefatione retractavit, recte Clementi Alexandrino libellum tribuens. Fragmentum dixi, quia plurimae in textu lacunae erant, quae, uno tantummodo codice existente, expleri nisi conjectura non potuerunt. Hoc ipsum noluit Ghislerius facere, et satis habuit, lacunas asteriscis interpositis

notasse. Ex hac editione, quae quodammodo codicis autoritatem obtinet, reliquae omnes promanaverunt. Joannes Fellus, episcopus Oxoniensis, vir de ecclesiasticis scriptoribus meritissimus, anno 1683 reprimi libellum nostrum curavit, et lacunas conjecturis satis ingeniose plerumque explevit. Hujus autoritatem reliqui editores secuti sunt, Thomas Ittigius Lips. 1700 et Joannes Potterus in editione praestantissima operum Clementis Oxon. 1715; recentissimis temporibus Car. Segaarius (Traj. ad Rh. 1816) (qui conjecturas suas non semper felicissimas in notis adjecit, sed in textu Fellianas retinuit) et Klotzius. Sed revisione hae Fellianae conjecturae egebant non minus, quam recepta hactenus versio Caryophili. Nos utrique operi nos accinximus, et novam textus recensionem exaravimus, diversam ab omnibus prioribus, conjecturis etiam novis lumen huic libello afferre studuimus. Propterea criticis notis in hoc libro carere non potuimus, quas in fine adjecimus. Vide, benevole lector, utrum probabiliora sint ea, quae nova protulimus, antiquis, quae rejecimus. Conjecturas nostras uncis inclusas et literarum diversitate notatas facile a textu distingues.

Br. L.

ΚΛΗΜΕΝΤΟΣ

ΤΟΥ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΣ

ΛΟΓΟΣ

ΤΙΣ Ὁ ΣΩΖΟΜΕΝΟΣ ΠΛΟΥΣΙΟΣ.

Cap. 1. Οἱ μὲν τοὺς ἐγκωμιαστικοὺς λόγους τοῖς πλουσίοις δωροφοροῦντες οὐ μόνον κόλακες καὶ ἀνελεύθεροι δικαίως ἂν ἔμοιγε κρίνεσθαι δοκοῖεν, ὡς ἐπὶ πολλῷ προσποιούμενοι χαρίσασθαι τὰ ἀχάριστα, ἀλλὰ καὶ ἀσεβεῖς καὶ ἐπίβουλοι· ἀσεβεῖς μὲν ὅτι παρέντες αἰνεῖν καὶ δοξάζειν τὸν μόνον τέλειον καὶ ἀγαθὸν θεόν, „ἐξ οὗ τὰ πάντα καὶ δι' οὗ τὰ πάντα καὶ εἰς ὃν τὰ πάντα“, περιάπτουσι τ[ούτου] τὸ γέρας ἀνθρώποις ἐν ἀσ[ώτῳ καὶ βορβορώδει] βίῳ κυλινδουμένοις, [πρᾶγμα] τὸ κεφάλαιον ὑποκείμενον τῇ κρίσει τοῦ θεοῦ· ἐπίβουλοι δὲ ὅτι, καὶ αὐτῆς τῆς περιουσίας καθ' αὑτὴν ἱκανῆς οὔσης χαυνῶσαι τὰς ψυχὰς τῶν κεκτημένων καὶ διαφθεῖραι καὶ ἀποστῆσαι τῆς ὁδοῦ δι' ἧς ἐπιτυχεῖν ἔστι σωτηρίας, οἱ δὲ προσεμπλήσσουσι τὰς γνώμας τῶν πλουσίων ταῖς ἡδοναῖς τῶν ἀμέτρων ἐπαίνων ἐπαίροντες, καὶ καθάπαξ τῶν ὅλων πραγμάτων πλὴν τοῦ πλούτου, δι' ὃν θαυμάζονται, παρασκευάζοντες ὑπερφρονεῖν. Τὸ δὴ τοῦ λόγου πῦρ ἐπὶ πῦρ μετοχετεύοντες, τύφῳ τῦφον ἐπαντλοῦντες καὶ ὄγκον πλούτῳ προσανατιθέντες· βαρεῖ φύσει φορτίον βαρύτερον, οὗ μᾶλλον ἐχρῆν ἀφαιρεῖν καὶ περικόπτειν, ὡς σφαλεροῦ νοσήματος καὶ θανατηφόρου. Τῷ γὰρ ὑψουμένῳ καὶ μεγαλυνομένῳ ἀντίστροφος ἡ πρὸς τὸ ταπεινὸν μεταβολὴ καὶ πτῶσις, ὡς ὁ θεῖος διδάσκει λόγος. Ἐμοὶ δε φαίνεται μακρᾷ φιλανθρωπότερον εἶναι τοῦ θεραπεύειν [κολακείᾳ] τοὺς πλουτοῦντας [καὶ ἐποχεῖν κακὸν] ἐπὶ κακῷ τὸ συναιρεσθαι

CLEMENTIS
ALEXANDRINI
LIBER
QUIS DIVES SALVETUR.

Cap. 1. Qui encomiorum munera divitibus offerunt, mihi non solum adulatores et illiberales merito habendi esse videntur, quippe qui majoris lucri causa grata se habere simulant quae ingrata sunt; sed etiam impii et insidiosi: impii quidem, quod posthabitis Dei laudibus et gloria, qui unus perfectus et bonus est, *ex quo omnia et per quem omnia et in quo omnia*, Rom. 11, 35.
honorem huic debitum hominibus tribuunt in perniciosa et impura vita volutantibus, quod imprimis judicio Dei obnoxium est; insidiosi autem, quod cum solae opes per se sufficiant ad enervandos locupletum animos et corrumpendos et de via qua ad salutem tenditur avocandos, illi contra stolidiores etiam reddunt divitum mentes immodicarum laudum oblectationibus efferentes, et, ne longus sim, efficientes, ut cetera omnia, praeter divitias ob quas in honore sunt plane flocci pendant. Illud est, quod in proverbio dicitur, igni ignem ingerere, fastum fastu cumulare, et divitiis tumorem addere, gravibus natura gravius onus, unde potius auferendum erat et amputandum, ceu in morbo periculoso et lethali. Ei enim, qui se extollit et mag- Matth. 23, 12
num facit, contrarium imminet, scilicet in humilitatem mutatio et dejectio, ut verbum divinum docet. Ego vero humanitati multum convenientius esse censeo, quam adulationibus inservire locupletibus et malum malis exaggerare, suscipiendo eos

[αὐτοῖς καὶ] τὴν σωτηρίαν αὐτοῖς [κατεργάζεσθαι] ἅπαντα τὸν δυνατὸν τρόπον, τοῦτο μὲν ἐξαιτουμένους παρὰ θεοῦ τοῦ βεβαίως καὶ ἡδέως τοῖς ἑαυτοῦ τέκνοις τὰ τοιαῦτα προϊεμένου, τοῦτο δὲ διὰ τῆς χάριτος τοῦ σωτῆρος ἰωμένους τὰς ψυχὰς αὐτῶν, φωτίζοντας καὶ προσάγοντας ἐπὶ τὴν τῆς ἀληθείας κτῆσιν, ἧς ὁ τυχὼν καὶ ἔργοις ἀγαθοῖς λαμπρυνόμενος μόνος οὗτος βραβεῖον τῆς αἰωνίου ζωῆς ἀναιρήσεται. Δεῖται δὲ καὶ ἡ εὐχὴ ψυχῆς εὐρώστου καὶ λιπαρᾶς ἄχρι τῆς ἐσχάτης ἡμέρας τοῦ βίου, συμμεμετρημένη καὶ πολιτεία διαθέσεως χρηστῆς καὶ νομίμου καὶ πάσαις ταῖς ἐντολαῖς τοῦ σωτῆρος ἐπεκτεινομένης.

Cap 2. Κινδυνεύει δὲ οὐχ ἁπλοῦν τι εἶναι τὸ αἴτιον τοῦ τὴν σωτηρίαν χαλεπωτέραν τοῖς πλουτοῦσι δοκεῖν ἢ τοῖς ἀχρημάτοις τῶν ἀνθρώπων, ἀλλὰ ποικίλον. Οἱ μὲν γὰρ αὐτόθεν καὶ προχείρως ἀκούσαντες τῆς τοῦ σωτῆρος φωνῆς, ὅτι „ῥᾷον κάμηλος διὰ τρήματος ῥαφίδος διεκδύσεται ἢ πλούσιος εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν“, ἀπογνόντες ἑαυτοὺς ὡς οὐ βιωσόμενοι, τῷ κόσμῳ πάντα χαριζόμενοι καὶ τῆς ἐνταῦθα ζωῆς ὡς μόνης ἑαυτοῖς ὑπολειπομένης ἐκκρεμασθέντες ἀπέστησαν πλέον τῆς ἐκεῖ ὁδοῦ, μηκέτι πολυπραγμονήσαντες μήτε τινὰς τοὺς πλουσίους ὁ δεσπότης καὶ διδάσκαλος προσαγορεύει μήτε ὅπως τὸ ἀδύνατον ἐν ἀνθρώπῳ ἢ δυνατὸν γίνεται. Ἄλλοι δὲ τοῦτο μὲν συνῆκαν ὀρθῶς καὶ προσηκόντως, τῶν δὲ ἔργων τῶν εἰς τὴν σωτηρίαν ἀναφερόντων ὀλιγωρήσαντες οὐ παρεσκευάσαντο τὴν δέουσαν παρασκευὴν εἰς τὸ τῶν ἐλπιζομένων τυχεῖν. Λέγω δὲ ταῦτα ἑκάτερα ἐπὶ τῶν πλουσίων καὶ τῆς δυνάμεως τοῦ σωτῆρος καὶ τῆς ἐπιφανοῦς σωτηρίας ᾐσθημένων, τῶν δὲ ἀνοήτων τῆς ἀληθείας ὀλίγον μοι μέλει.

Cap. 3. Χρὴ τοίνυν τοὺς φιλαλήθως καὶ φιλαδέλφως [διακειμένους] καὶ μήτε καταθρασυνομένους αὐθαδῶς τῶν πλουσίων κλητῶν μήτε αὖ πάλιν ὑποπίπτοντας αὐτοῖς διὰ οἰκείαν φιλοκέρδειαν, πρῶτον μὲν αὐτῶν ἐξαιρεῖν τῷ λόγῳ τὴν καινὴν ἀπόγνωσιν καὶ δηλοῦν μετὰ τῆς δεούσης ἐξηγήσεως τῶν λογίων τοῦ κυρίου, διότι οὐκ ἀποκέκοπται τέλεον αὐτοῖς ἡ κληρονομία τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, ἐὰν ὑπακούσωσι ταῖς ἐντολαῖς· εἴ τί ποτ᾽ αὖ μάθωσιν ὡς ἀδεὲς δεδίασι δέος καὶ ὅτι βουλομένους αὐτοὺς ὁ σωτὴρ ἀσμένως δέχεται. Τότε καὶ προσδεικνύναι καὶ μυσταγωγεῖν, ὅπως ἂν καὶ δι᾽ οἵων ἔργων τε καὶ διαθέσεων ἐπαίροιντο, τῆς ἐλπίδος ὡς

adjuvare et salutem eorum curare quocumque modo fieri possit, illud quidem precibus impetrando a Deo, qui ejusmodi res libenter sine ulla dubitatione liberis suis concedit, hoc vero per gratiam salvatoris animabus eorum medendo, illuminando easdem et ad gratiam capessendam adducendo, quam quisquis adeptus fuerit bonisque operibus claruerit solus ille aeternae vitae praemium reportabit. Enimvero oratio robustum animum postulat et serenum ad ultimum usque vitae diem, et disciplina bene temperata probam mentis dispositionem et justi tenacem et omnibus salvatoris praeceptis inhiantem.

Cap. 2. Videtur autem non simplex sed multiplex esse causa, unde fit, quod opulentorum salus difficilior apparet, quam egenorum. Alii enim auditis raptim et perfunctorie illis domini salvatoris vocibus: *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum coelorum*, animum despondentes quasi vitam minime consecuturi, mundo se totos dedentes et hujus praesentis vitae, tamquam sola ipsis reliqua sit, desiderio suspensi, longius a via, quae illuc ducit, deverterunt, nec serio quidem curantes, nec quosnam dominus ac magister divites appellet, nec quo pacto aliquid penes homines fieri possit vel non possit. Alii vero hoc quidem recte ut decet intellexerunt, neglectis tamen, quae ad salutem provehunt, operibus, quantum par erat apparatum non fecerunt, ut eorum, quae in spe posita sunt, potirentur. Ambo haec dixi de divitibus qui virtutis salvatoris et illustris salutis experientiam habent, de iis, qui veritatis sunt ignari, parum curo.

Matth. 19, 14.

Cap. 3. Debent igitur, qui veritatis et fratrum amantes sunt, nec temere divites Christianos contemnunt, nec vicissim proprii lucri causa illis se subjiciunt, primum quidem ex illorum animis novam desperationem verbi praedicatione expellere, et justa oraculorum domini interpretatione ostendere, non prorsus iis praeclusam esse regni divini haereditatem, modo obsequium legibus praestent; an forte resipiscentes intelligant, frustra se timere, ubi timendi locus non sit, et, modo ipsi velint, dominum ipsos amanter suscepturum esse. Deinde debent demonstrare et accurata institutione docere,

οὔτ᾽ ἀμηχάνου καθεστώσης αὐτοῖς οὔτε τοὐναντίον εἰκῇ περιγινομένης, ἀλλ᾽ ὅνπερ τρόπον ἔχει τὸ τῶν ἀθλητῶν, ἵνα μικρὰ καὶ ἐπίκηρα μεγάλοις καὶ ἀφθάρτοις παραβάλωμεν, τουτὶ καὶ ἐφ᾽ ἑαυτῷ ὁ κατὰ κόσμον πλουτῶν λογιζέσθω. Καὶ γὰρ ἐκείνων ὁ μὲν ὅτι δυνήσεται νικᾶν καὶ στεφάνων τυγχάνειν ἀπελπίσας οὐδ᾽ ὅλως ἐπὶ τὴν ἄθλησιν ἀπεγράψατο, ὁ δὲ ταύτην μὲν ἐμβαλόμενος τῇ γνώμῃ τὴν ἐλπίδα, πόνους δὲ καὶ τροφὰς καὶ γυμνάσια μὴ προσιέμενος προσφόρους ἀστεφάνωτος διεγένετο, καὶ διήμαρτε τῶν ἐλπίδων. Οὕτω τις καὶ τὴν ἐπίγειον ταύτην περιβεβλημένος περιβολὴν μήτε τὴν ἀρχὴν ἑαυτὸν ἄθλων τοῦ σωτῆρος ἐκκηρυσσέτω πιστός γε ὢν καὶ τὸ μεγαλεῖον συνορῶν τῆς τοῦ θεοῦ φιλανθρωπίας, μήτε μὴν αὖθις ἀνάσκητος καὶ ἀναγώνιστος μείνας ἀκονιτὶ κἀνιδρωτὶ τῶν στεφάνων τῆς ἀφθαρσίας ἐλπιζέτω μεταλαβεῖν, ἀλλ᾽ αὐτὸν ὑποβαλέτω φέρων γυμναστῇ μὲν τῷ λόγῳ, ἀγωνοθέτῃ δὲ τῷ Χριστῷ, τροφὴ δὲ αὐτῷ καὶ ποτὸν γενέσθω τεταγμένον ἡ καινὴ διαθήκη τοῦ κυρίου, γυμνάσια δὲ ἐντολαί, εὐσχημοσύνη δὲ καὶ κόσμος αἱ καλαὶ διαθέσεις, ἀγάπη, πίστις, ἐλπίς, γνῶσις ἀληθείας, [ἐπιείκεια,] πραΰτης, εὐσπλαγχνία, σεμνότης, ἵνα, ὅταν ἐσχάτῃ σάλπιγγι ὑποσημήνῃ τοῦ δρόμου καὶ τῆς ἐντεῦθεν ἐξόδου, καθάπερ ἐκ σταδίου τοῦ βίου μετ᾽ ἀγαθοῦ τοῦ συνειδότος τῷ ἀθλοθέτῃ παραστῇ νικηφόρος ὡμολογημένος τῆς ἄνω πατρίδος ἄξιος, εἰς ἣν μετὰ στεφάνων καὶ κηρυγμάτων ἀγγελικῶν ἐπανέρχεται.

Cap. 4. Δοίη τοίνυν ἡμῖν ὁ σωτὴρ ἐντεῦθεν ἀρξαμένοις τοῦ λόγου τἀληθῆ καὶ τὰ πρέποντα καὶ τὰ σωτήρια συμβαλέσθαι τοῖς ἀδελφοῖς πρός τε τὴν ἐλπίδα πρῶτον αὐτὴν καὶ δεύτερον πρὸς τὴν τῆς ἐλπίδος προσαγωγήν. Ὁ δὲ χαρίζεται δεομένοις καὶ αἰτοῦντας διδάσκει καὶ λύει τὴν ἄγνοιαν καὶ τὴν ἀπόγνωσιν ἀποσείεται τοὺς αὐτοὺς πάλιν εἰσάγων λόγους περὶ τῶν πλουσίων, ἑαυτῶν ἑρμηνέας γινομένους καὶ ἐξηγητὰς ἀσφαλεῖς. Οὐδὲν γὰρ οἷον αὐτῶν αὖθις ἀκοῦσαι τῶν ῥητῶν, ἅπερ ἡμᾶς ἐν τοῖς εὐαγγελίοις ἄχρι νῦν διετάρασσεν ἀβασανίστως καὶ διημαρτημένως ὑπὸ νηπιότητος ἀκροωμένους. „Ἐκπορευομένῳ αὐτῷ εἰς ὁδὸν προσελθών τις ἐγονυπέτει λέγων· διδάσκαλε ἀγαθέ, τί ἀγαθὸν ποιήσω,

quomodo, per quae opera et per quas animi affectiones surgere queant, quippe cum spes neque ut nullis artibus arripienda neque ut sine labore ipsis contingens projacet; sed quemadmodum athletarum mos est, scilicet ut parva et corruptibilia cum magnis et incorruptibilibus comparemus, hoc idem se decere intelligat, qui saeculi opibus dives est. Ex illis enim nonnulli qui victoriam se reportare et coronis potiri posse desperarunt, omnino nec ut in arenam descendant, nomina dederunt, nonnulli autem, qui talem spem animo conceperunt, labores vero et cibos et usus necessarios detrectaverunt, coronam non assecuti et spe lapsi sunt. Sic et qui terrestribus his copiis abundat, caveat, ne ab initio se a certamine salvatoris exclusum censeat, quippe cum christianus est et magnitudinis divinae bonitatis gnarus, neque vero etiam sine studio et labore, sine pulvere et sudore, coronam immortalitatis se adepturum esse confidat, sed se ipse ultro subjiciat verbo dei tamquam palaestrae magistro, et Christo tamquam praemiorum dispensatori; cibus vero et potus ipsi praescriptus sit novum domini testamentum, exercitia mandata legis, ornatus et cultus bonae mentis dispositiones, amor, fides, spes, veritatis cognitio, [benignitas] lenitas, misericordia, castitas, ut, cum certaminis praeses ultima tuba signum dederit currendi et exeundi, ex stadio quasi vitae cum bona conscientia illi se sistat victor, coelesti patria dignus agnitus, in quam coronis ornatus et angelorum plausu receptus revertitur.

Cap. 4. Det igitur nobis salvator, ut hinc ordientes sermonem vera et convenientia et salubria fratribus conferamus, respectu spei ipsius primum, deinde animorum ad spem adducendorum. Hicce petentibus largitur, rogantes docet, tollit ignorantiam, desperationem excutit, eosdem rursus de divitibus sermones inducens, ita ut seipsos recte interpretentur et exponant. Nihil enim sic juvat, quam ipsa rursus audire verba, quae hactenus nos in evangeliis conturbarunt inconsulte et perperam prae infantia mentis audientes. *Ipsi exeunti in viam* Marc. 10, 17-31.
accedens quidam genua flectebat dicens: Magister bone, quid cf. Math. 19, 16 sq.
boni faciam, ut vitam aeternam haereditate accipiam? Jesus

ἵνα ζωὴν αἰώνιον κληρονομήσω; ὁ δὲ Ἰησοῦς λέγει· τί με λέγεις ἀγαθόν; οὐδεὶς ἀγαθός, εἰ μὴ εἷς ὁ θεός. Τὰς ἐντολὰς οἶδας· μὴ μοιχεύσῃς· μὴ φονεύσῃς· μὴ κλέψῃς· μὴ ψευδομαρτυρήσῃς· μὴ ἀποστερήσῃς· τίμα τὸν πατέρα σου καὶ τὴν μητέρα. Ὁ δὲ ἀποκριθεὶς λεγει αὐτῷ· πάντα ταῦτα ἐφύλαξα. Ὁ δὲ Ἰησοῦς ἐμβλέψας ἠγάπησεν αὐτὸν καὶ εἶπεν· ἕν σοι ὑστερεῖ· εἰ θέλεις τέλειος εἶναι, πώλησον ὅσα ἔχεις καὶ διάδος πτωχοῖς καὶ ἕξεις θησαυρὸν ἐν οὐρανῷ, καὶ δεῦρο ἀκολούθει μοί. Ὁ δὲ στυγνάσας ἐπὶ τῷ λόγῳ ἀπῆλθε λυπούμενος, ἦν γὰρ πλούσιος ἔχων κτήματα πολλά. Περιβλεψάμενος δὲ ὁ Ἰησοῦς λέγει τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ· πῶς δυσκόλως οἱ τὰ χρήματα ἔχοντες εἰσελεύσονται εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ. Οἱ δὲ μαθηταὶ ἐθαμβοῦντο ἐπὶ τοῖς λόγοις αὐτοῦ. Πάλιν δὲ ὁ Ἰησοῦς ἀποκριθεὶς λέγει αὐτοῖς· τέκνα, πῶς δύσκολόν ἐστι τοὺς πεποιθότας ἐπὶ χρήμασιν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ εἰσελθεῖν. Εὐκολώτερον διὰ τῆς τρυμαλιᾶς τῆς βελόνης κάμηλος εἰσελεύσεται ἢ πλούσιος εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ. Οἱ δὲ περισσῶς ἐξεπλήσσοντο καὶ ἔλεγον· τίς οὖν δύναται σωθῆναι; ὁ δὲ ἐμβλέψας αὐτοῖς εἶπεν, ὅ τι παρὰ ἀνθρώποις ἀδύνατον, παρὰ θεῷ δυνατόν. Ἤρξατο ὁ Πέτρος λέγειν αὐτῷ· ἴδε ἡμεῖς ἀφήκαμεν πάντα καὶ ἠκολουθήσαμέν σοι. Ἀποκριθεὶς δὲ ὁ Ἰησοῦς λέγει· ἀμὴν ὑμῖν λέγω, ὃς ἂν ἀφῇ τὰ ἴδια καὶ γονεῖς καὶ ἀδελφοὺς καὶ χρήματα ἕνεκεν ἐμοῦ καὶ ἕνεκεν τοῦ εὐαγγελίου μου, ἀπολήψεται ἑκατονταπλασίονα νῦν ἐν τῷ καιρῷ τούτῳ ἀγροὺς καὶ χρήματα καὶ οἰκίας καὶ ἀδελφοὺς μετὰ διωγμῶν, ἐν δὲ τῷ ἐρχομένῳ ζωή ἐστιν αἰώνιος. Πολλοὶ δὲ ἔσονται πρῶτοι ἔσχατοι καὶ οἱ ἔσχατοι πρῶτοι.“

Cap. 5. Ταῦτα μὲν ἐν τῷ κατὰ Μάρκον εὐαγγελίῳ γέγραπται, καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις δὲ πᾶσιν ἀνομολογουμένως· ὀλίγον μὲν ἴσως ἑκασταχοῦ τῶν ῥημάτων ἐναλλάσσει, πάντα δὲ τὴν αὐτὴν τῆς γνώμης συμφωνίαν ἐπιδείκνυται. Δεῖ δὲ σαφῶς εἰδότας, ὡς οὐδὲν ἀνθρωπίνως ὁ σωτήρ, ἀλλὰ πάντα θείᾳ σοφίᾳ καὶ μυστικῇ διδάσκει τοὺς ἑαυτοῦ, μὴ σαρκίνως ἀκροᾶσθαι τῶν λεγομένων, ἀλλὰ

autem ait: quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi unus Deus. Praecepta nosti: ne adulteres, ne occidas, ne fureris, ne falsum testimonium loquaris, ne defraudes; honora patrem tuum et matrem. Ille autem respondens ei: haec omnia, inquit, observavi. Jesus autem intuitus eum dilexit eum et dixit: Unum tibi deest: si vis perfectus esse, vende quaecumque habes, et distribue pauperibus, et habebis thesaurum in coelis, tunc adesto et sequere me. Ille vero contristatus hoc verbo, moerens abiit; erat enim multarum divitiarum possessor. Circumspiciens autem Jesus dixit discipulis suis: Quam difficile, qui divitias habent, in regnum Dei introibunt. Discipuli autem obstupefacti sunt verbis ejus. At Jesus rursus respondens ait illis: Filioli, quam difficile est ut, qui in divitiis confidunt, in regnum Dei introeant. Facilius est camelum per foramen acus ingredi, quam divitem intrare in regnum Dei. Illi vehementius perterriti dicebant: quis ergo salvus potest fieri? Jesus vero intuens eos: quod penes homines, inquit, fieri nequit, penes deum potest. Coepit vero Petrus ipsi dicere: Ecce nos omnia reliquimus et te secuti sumus. Respondens Jesus ait: Amen dico vobis, qui propria reliquerit et parentes et fratres et divitias propter me et propter evangelium meum, centuplum recipiet jam nunc in hoc tempore agros et divitias et domos et fratres cum persecutionibus, et in futuro vita erit aeterna. Multi autem primi erunt ultimi et ultimi primi.

Cap. 5. Haec quidem in Marci evangelio scripta sunt, sed et in reliquis omnibus plane consentientia; in singulis quidem paucae fortasse voculae immutatae sunt, sed cuncta perfectam sententiarum congruentiam ostendunt. Decet autem nos, qui aperte scimus nihil salvatorem humano more, sed omnia divina sapientia eaque arcana discipulos suos edocuisse, non

τὸν ἐν αὐτοῖς κεκρυμμένον νοῦν μετὰ τῆς ἀξίας ζητήσεως καὶ συνέσεως ἐρευνᾶν καὶ καταμανθάνειν. Καὶ γὰρ τὰ ὑπ᾿ αὐτοῦ τοῦ κυρίου δοκοῦντα ἡπλῶσθαι πρὸς τοὺς μαθητὰς τῶν ᾐνιγμένως ὑπειρημένων οὐδὲν ἧττονος, ἀλλὰ πλείονος ἔτι καὶ νῦν τῆς ἐπιστάσεως εὑρίσκεται δεόμενα διὰ τὴν ὑπερβάλλουσαν τῆς φρονήσεως ἐν αὐτοῖς ὑπερβολήν. Ὅπου δὲ καὶ τὰ νομιζόμενα ὑπ᾿ αὐτοῦ διοῖχθαι τοῖς ἔσω καὶ αὐτοῖς τοῖς τῆς βασιλείας τέκνοις ὑπ᾿ αὐτοῦ καλουμένοις, ἔτι χρήζει φροντίδος πλείονος· ἠπού γε τὰ δόξαντα μὲν ἁπλῶς ἐξενηνέχθαι καὶ διὰ τοῦτο μηδὲ διηρωτημένα πρὸς τῶν ἀκουσάντων, εἰς ὅλον δὲ τὸ τέλος αὐτὸ τῆς σωτηρίας διαφερόντων ἐσκεπασμένων τε θαυμαστῷ καὶ ὑπερουρανίῳ διανοίας βάθει, οὐκ ἐπιπολαίως δέχεσθαι ταῖς ἀκοαῖς προσῆκεν, ἀλλὰ καθιέντας τὸν νοῦν ἐπ᾿ αὐτὸ τὸ πνεῦμα τοῦ σωτῆρος καὶ τὸ τῆς γνώμης ἀπόῤῥητον.

Cap. 6. Ἠρώτηται μὲν γὰρ ἡδέως ὁ κύριος ἡμῶν καὶ σωτὴρ ἐρώτημα καταλληλότατον αὐτῷ, ἡ ζωὴ περὶ ζωῆς, ὁ σωτὴρ περὶ σωτηρίας, ὁ διδάσκαλος περὶ κεφαλαίου τῶν διδασκομένων δογμάτων, ἀλήθεια περὶ τῆς ἀληθινῆς ἀθανασίας, ὁ λόγος περὶ τοῦ πατρῴου λόγου, ὁ τέλειος περὶ τῆς τελείας ἀναπαύσεως, ὁ ἄφθαρτος περὶ τῆς βεβαίας ἀφθαρσίας. Ἠρώτηται περὶ τούτων περὶ ὧν καὶ κατελήλυθεν, ἃ παιδεύει, ἃ διδάσκει, ἃ παρέχει, ἵνα δείξῃ τὴν τοῦ εὐαγγελίου ὑπόθεσιν, ὅτι δόσις ἐστὶν αἰωνίου ζωῆς. Προεῖδε δὲ ὡς θεὸς καὶ ἃ μέλλει διερωτηθήσεσθαι καὶ ἃ μέλλει τις αὐτῷ ἀποκρίνεσθαι. Τίς γὰρ καὶ μᾶλλον ἢ ὁ προφήτης προφητῶν καὶ κύριος παντὸς προφητικοῦ πνεύματος; κληθεὶς δὲ ἀ γ α θ ὸ ς ἀπ᾿ αὐτοῦ πρώτου τοῦ ῥήματος τούτου τὸ ἐνδόσιμον λαβὼν ἐντεῦθεν καὶ τῆς διδασκαλίας ἄρχεται, ἐπιστρέφων τὸν μαθητὴν ἐπὶ τὸν θεὸν τὸν ἀγαθὸν καὶ πρῶτον καὶ μόνον ζωῆς αἰωνίου ταμίαν, ἣν ὁ υἱὸς δίδωσιν ἡμῖν παρ᾿ ἐκείνου λαβών.

Cap. 7. Οὐκοῦν τὸ μέγιστον καὶ κορυφαιότατον τῶν πρὸς τὴν ζωὴν μαθημάτων ἀπὸ τῆς ἀρχῆς εὐθὺς ἐγκαταθέσθαι τῇ ψυχῇ δεῖ, γνῶναι τὸν θεὸν τὸν αἰώνιον, καὶ δοτῆρα αἰωνίων καὶ πρῶτον καὶ ὑπέρτατον καὶ ἕνα καὶ ἀγαθὸν θεὸν κτήσασθαι διὰ γνώσεως καὶ καταλήψεως. Αὕτη γὰρ ἄτρεπτος καὶ ἀσάλευτος ἀρχὴ καὶ κρηπὶς ζωῆς ἐπιστήμη θεοῦ τοῦ ὄντως ὄντος καὶ τὰ ὄντα, τουτέστι

carnaliter verba ejus audire sed latentem in iis sensum digna investigatione et mentis solertia perquirere et addiscere. Nam ex illis, quae per aenigmata obscurius prolata sunt, ea quoque, quae a Domino ipso discipulis simpliciter exposita esse videntur, etiamnum non minori, sed majori consideratione indigere noscuntur propter redundantem sententiarum affluentiam. Quodsi vero ea, quae putantur ab ipso Domino explanata esse iis, qui arctiore vinculo num ipso conjuncti erant, iis, quos ipse filios regni nuncupat, accurata adhuc indigent indagatione; quando magis ea, quae videbantur quidem simpliciter prolata esse et propterea ab audientibus sine quaestionibus praetermittebantur, cum tamen ad ipsum salutis finem momenti sint et admirabili supercoelestique sensus altitudine obumbrata, non perfunctorie sunt auribus haurienda, sed ita ut ad ipsum salvatoris spiritum et arcanam sententiae vim animum advertamus.

Cap. 6. Libenter procul dubio Dominus noster proponi sibi passus est quaestionem ipsi convenientissimam, vita de vita, salvator de salute, doctor de capite doctrinarum ab ipso prolatarum, veritas de vera immortalitate, verbum de paterno verbo, perfectus de perfecta requiete, incorruptibilis de firma incorruptione. Interrogatur de iis, propter quae descenderat, quae docet, quae instituit, quae praebet, ut ostendat, evangelii esse fundamentum, quod ipsum sit vitae aeternae donum. Praevidit autem pro divina sua natura et quid ipsum interrogaturi et quid ipsi fuerint responsuri. Quis enim potius haec novisset, quam prophetarum propheta, omnisque prophetici spiritus dominus? Vocatus autem *bonus* prima hac ipsa voce quasi prolusione usus inde doctrinam quoque auspicatur, convertens discipuli mentem ad deum, eumque bonum, primum et unicum vitae aeternae dispensatorem, quam ab illo acceptam in nos filius confert.

Cap. 7. Itaque caput et fastigium omnium quae ad vitam spectant doctrinarum ab initio statim animae inculcandum est, scilicet ut cognoscatur Deus aeternus, ut tamquam aeternorum bonorum datorem, et primum, et supremum et unicum et bonum deum scientia et comprehensione eum nobis vindicemus. Hoc enim est immobile inconcussumque vitae principium et

τὰ αἰώνια, δωρουμένου, ἐξ οὗ καὶ τὸ εἶναι τοῖς ἄλλοις ὑπάρχει καὶ τὸ μεῖναι λαβεῖν. Ἡ μὲν γὰρ τούτου ἄγνοια θάνατός ἐστιν, ἡ δὲ ἐπίγνωσις αὐτοῦ καὶ οἰκείωσις καὶ πρὸς αὐτὸν ἀγάπη καὶ ἐξομοίωσις μόνη ζωή.

Cap. 8. Τοῦτον οὖν πρῶτον ἐπιγνῶναι τῷ ζησομένῳ τὴν ὄντως ζωὴν παρακελεύεται, „ὃν οὐδεὶς ἐπιγινώσκει, εἰ μὴ ὁ υἱὸς καὶ ᾧ ἂν ὁ υἱὸς ἀποκαλύψῃ“, ἔπειτα τὸ μέγεθος τοῦ σωτῆρος μετ᾽ ἐκεῖνον καὶ τὴν καινότητα τῆς χάριτος μαθεῖν, ὅτι δὴ κατὰ τὸν ἀπόστολον, „ὁ νόμος διὰ Μωϋσέως ἐδόθη, ἡ χάρις καὶ ἡ ἀλήθεια διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐγένετο“, καὶ οὐκ ἴσα τὰ διὰ δούλου πιστοῦ διδόμενα τοῖς ὑπὸ τοῦ γνησίου υἱοῦ δωρουμένοις. Εἰ γοῦν ἱκανὸς ἦν ὁ Μωϋσέως νόμος ζωὴν αἰώνιον παρασχεῖν, μάτην μὲν ὁ σωτὴρ αὐτὸς παραγίνεται καὶ πάσχει δι᾽ ἡμᾶς ἀπὸ γενέσεως μέχρι τοῦ σημείου τὴν ἀνθρωπότητα διατρέχων, μάτην δὲ ὁ πάσας πεποιηκὼς ἐκ νεότητος τὰς νομίμους ἐντολὰς παρὰ ἄλλου ᾔτει γονυπετῶν τὴν ἀθανασίαν. Οὐδὲ γὰρ πεπλήρωκε μόνον τὸν νόμον, ἀλλὰ καὶ εὐθὺς ἀπὸ πρώτης ἡλικίας ἀρξάμενος. Ἐπεὶ καὶ τί μέγα ἢ ὑπέρλαμπρον γῆρας ἄγονον ἁμαρτημάτων; ἀλλ᾽ εἴ τις ἐν σκιρτήματι νεοτησίῳ καὶ τῷ καύσωνι τῆς ἡλικίας παρέχηται φρόνημα πεπανὸν καὶ πρεσβύτερον τοῦ χρόνου, θαυμαστὸς οὗτος ἀγωνιστὴς καὶ διαπρεπὴς καὶ τὴν γνώμην πολιώτερος. Ἀλλ᾽ ὅμως οὗτος ὁ τοιοῦτος ἀκριβῶς πέπεισται, διότι αὐτῷ πρὸς μὲν δικαιοσύνην οὐδὲν ἐνδεῖ, ζωῆς δὲ ὅλως προσδεῖ, διὸ αὐτὴν αἰτεῖ παρὰ τοῦ δοῦναι μόνου δυναμένου· καὶ πρὸς μὲν τὸν νόμον ἄγει παρρησίαν, τοῦ θεοῦ δὲ τὸν υἱὸν ἱκετεύει. Ἐκ πίστεως εἰς πίστιν μετατάσσεται, ὡς σφαλερῶς ἐν νόμῳ σαλεύων καὶ ἐπικινδύνως ναυλοχῶν εἰς τὸν σωτῆρα μεθορμίζεται.

Cap. 9. Ὁ γοῦν Ἰησοῦς οὐκ ἐλέγχει μὲν αὐτὸν ὡς πάντα τὰ ἐκ νόμου μὴ πεπληρωκότα, ἀλλὰ καὶ ἀγαπᾷ καὶ ὑπερασπάζεται τῆς ἐν οἷς ἔμαθεν εὐπειθείας, ἀτελῆ δὲ εἶναί φησιν ὡς πρὸς τὴν αἰώνιον ζωήν, ὡς οὐ τέλεια πεπληρωκότα, καὶ νόμου μὲν ἐργάτην, ἀργὸν δὲ ζωῆς ἀληθινῆς· καλὰ μὲν κἀκεῖνα. Τίς δ᾽ οὔ φησιν; ἡ γὰρ ἐντολὴ ἁγία, ἄχρι παιδαγωγίας τινὸς μετὰ φόβου καὶ προπαιδείας ἐπὶ τὴν τοῦ Ἰησοῦ νομοθεσίαν τὴν ἄκραν, καὶ χάριν

fundamentum cognitio dei qui vere est, et quae vere sunt, i. e. aeterna, largitur, ex quo reliquis omnibus contigit accipere ut sint et ut durent. Hujus quippe ignorantia mors est, cognitio vero ejus, cum eo necessitudo, in eum amor et crescens cum ipso similitudo sola vita.

Cap. 8. Hunc igitur primum agnoscere jubet eum, qui veram vitam vivere vult, *quem nemo novit nisi filius et cui filius* Matth. 11, 17.
revelaverit. Deinde magnitudinem salvatoris post illum et gratiae novitudinem intelligere, quod profecto, ut apostolus dicit,
lex per Mosem lata est, gratia et veritas per Jesum Christum Joh. 1, 17.
contigit, nec paria sunt, quae per servum fidelem dantur iis
quae a genuino filio conferuntur. Itaque si Mosis lex ad vitam cf. Gal. 2, 21.
efficiendam sufficiens fuisset, frustra salvator ipse advenisset et a nativitate ad crucem usque humanitatem percurrens pro nobis passus esset. Frustra porro is, qui omnia legis praecepta
a juventute inde servaverat, ab alio genubus flexis immortali- Marc. 10, 17 sq.
tatem flagitasset. Non enim solummodo legem servaverat, sed a prima statim aetate initium fecerat. Cogita, quantum est et quam egregium, senectutem agere vitiorum expertem. Sed si quis in ipsa juventutis lascivia, in ipso aetatis aestu sensum testaretur maturum et tempore seniorem, plane admirabilis hic et praeclarus athleta et sapientia canus existeret. Nihilo minus hic cum talis esset certissime expertus erat, ad justitiam quidem nihil sibi deesse, sed vita omnino se egere. Propterea rogat sibi dari ab eo, qui solus dare poterat. Ad legem quod spectat plane securus est, Dei vero filium supplex adit. Ex fide in fidem provehitur. Veluti qui non tutus in legis navigio jactaretur et periculosam stationem teneret, ad salvatorem tamquam in portum confugit.

Cap. 9. Jesus vero eum non redarguit tamquam non omnia, quae lex postulat, perfecerit, quin potius et amat et amplectitur ipsum, propter obedientiam iis, quae didicerat, praestitam; sed imperfectum eum esse dicit ad vitam aeternam, quod imperfecta perfecerit, et legis quidem operarium, sed segnem in iis, quae ad vitam aeternam spectant. Bona quidem
et illa. At quis negat? *Lex enim sancta*, nam eo usque pro- Rom. 7, 12.

προχωροῦσα, πλήρωμα δὲ νόμου Χριστὸς εἰς δικαιοσύνην παντὶ τῷ πιστεύοντι, οὐχὶ δὲ δούλους ποιῶν ὡς δοῦλος, ἀλλὰ καὶ υἱοὺς καὶ ἀδελφοὺς καὶ συγκληρονόμους τοὺς ἐπιτελοῦντας τὸ θέλημα τοῦ πατρός.

Cap. 10. „Εἰ θέλεις τέλειος γενέσθαι". Οὐκ ἄρα πω τέλειος ἦν, οὐδὲν γὰρ τελείου τελειότερον. Καὶ θείως τὸ „εἰ θέλεις" τὸ αὐτεξούσιον τῆς προσδιαλεγομένης αὐτῷ ψυχῆς ἐδήλωσεν. Ἐπὶ τῷ ἀνθρώπῳ γὰρ ἦν ἡ αἵρεσις ὡς ἐλευθέρῳ, ἐπὶ θεῷ δὲ ἡ δόσις ὡς κυρίῳ. Δίδωσι δὲ βουλομένοις καὶ ὑπερεσπουδακόσι καὶ δεομένοις, ἵν' οὕτως ἴδιος αὐτῶν ἡ σωτηρία γένηται. Οὐ γὰρ ἀναγκάζει ὁ θεός, βία γὰρ ἐχθρὸν θεῷ, ἀλλὰ τοῖς ζητοῦσι πορίζει καὶ τοῖς αἰτοῦσι παρέχει καὶ τοῖς κρούουσιν ἀνοίγει. Εἰ θέλεις οὖν, εἰ ὄντως θέλεις καὶ μὴ ἑαυτὸν ἐξαπατᾷς, κτῆσαι τὸ ἐνδέον. Ἕν σοι λείπει, τὸ ἓν τὸ μέντοι ἀγαθόν, τὸ ἤδη ὑπὲρ νόμον, ὅπερ νόμος οὐ δίδωσιν, ὅπερ νόμος οὐ χωρεῖ, ὃ τῶν ζώντων ἴδιόν ἐστιν. Ἀμέλει ὁ πάντα τὰ τοῦ νόμου πληρώσας ἐκ νεότητος καὶ τὰ ὑπέρογκα φρυαξάμενος ἓν τοῦτο προσθῆναι τοῖς ὅλοις οὐ δεδύνηται, τὸ τοῦ σωτῆρος ἐξαίρετον, ἵνα λάβῃ ζωὴν αἰώνιον, ἣν ἐπόθει. Ἀλλὰ δυσχεράνας ἀπῆλθεν, ἀχθεσθεὶς τῷ παραγγέλματι τῆς ζωῆς, ὑπὲρ ἧς ἱκέτευεν. Οὐ γὰρ ἀληθῶς ζωὴν ἤθελεν, ὡς ἔφασκεν, ἀλλὰ δόξαν προαιρέσεως ἀγαθῆς μόνην περιεβάλλετο, καὶ περὶ πολλὰ μὲν οἷός τε ἦν ἀσχολεῖσθαι, τὸ δὲ ἓν τὸ τῆς ζωῆς ἔργον ἀδύνατος καὶ ἀπρόθυμος καὶ ἀσθενὴς ἐκτελεῖν. Ὁποῖόν τι καὶ πρὸς τὴν Μάρθαν εἶπεν ὁ σωτὴρ ἀσχολουμένην πολλὰ καὶ περιελκομένην καὶ ταρασσομένην διακονικῶς, τὴν δὲ ἀδελφὴν αἰτιωμένην, ὅτι τὸ ὑπηρετεῖν ἀπολιποῦσα τοῖς ποσὶν αὐτοῦ παρακάθηται μαθητικὴν ἄγουσα σχολήν· „σὺ περὶ πολλὰ ταράσσῃ, Μαρία" δὲ „τὴν ἀγαθὴν μερίδα ἐξελέξατο, καὶ οὐκ ἀφαιρεθήσεται ἀπ' αὐτῆς". Οὕτω καὶ τοῦτον ἐκέλευε τῆς πολυπραγμοσύνης ἀφέμενον ἑνὶ προστετηκέναι καὶ προσκαθέζεσθαι τῇ χάριτι τοῦ ζωὴν αἰώνιον προτιθέντος.

Cap. 11. Τί τοίνυν ἦν τὸ προτρεψάμενον αὐτὸν εἰς φυγὴν καὶ ποιῆσαν ἀπαυτομολῆσαι τοῦ διδασκάλου, τῆς ἱκετείας, τῆς ἐλπίδος, τῆς ζωῆς, τῶν προπεπονημένων; πώλησον τὰ ὑπάρχοντά σου.

cedit, ut sit educatio quaedam cum timore et praevia institutio ad Christi legislationem, quod est fastigium, et gratiam. *Plenitudo vero legis Christus ad justitiam omni credenti;* non Rom. 10, 4. servos faciens ut servus, sed et filios et fratres et cohaeredes eos, qui patris voluntatem perficiunt.

Cap. 10. *Si vis perfectus fieri*, atquin perfectus nondum fuit, perfecto enim nihil perfectius. Atque divino plane sensu illud: *si vis*, animae cum ipso conferentis liberam arbitrii facultatem demonstrat: penes hominem enim, utpote liberum, electio erat, penes deum, utpote dominum, datio. Dat autem volentibus, et acri studio persequentibus et orantibus, ut sic illorum propria existat salus. Non enim cogit deus, odit enim deus vim inferre, sed quaerentibus tribuit, et petentibus porrigit, et pulsantibus aperit. *Si vis* igitur, si vere vis, nec te ipse fallis, potire iis, quae desideras. *Unum tibi deest*, illud scilicet unum, quod bonum est, quod jam supra legem est, quod lex non dat, quod lex non capit, quod viventium proprium est. Scilicet ille, *qui omnia legis praecepta a pueritia inde impleverat*, qui enormibus inhiaverat, unum, ut illa venderentur, omnino perficere non potuit, id ipsum, quod dominus ipsi elegit, ut vita aeterna potiretur, quam desideravit. Sed tristis abiit, aegre ferens conditionem vitae propositam, cujus gratia supplex venerat. Non enim vere vitam desiderabat, ut jactabatur, sed bonae duntaxat voluntatis speciem prae se ferebat, et in multis quidem laborare poterat, sed unum illud salutis opus ut perficeret et vires ipsi et voluntas et robur deerant. Simile quid et Marthae salvator dixit, cum de multis sollicita esset, et distracta et turbata ministrandi curis, sororem vero accusaret, quod officii immemor ad pedes ejus assidens audiendo vacaret. *Tu de multis turbaris, Maria vero* Luc. 10, 41. *bonam partem elegit, quae non auferetur ab ea.* Ita hunc quoque missa negotiorum turba uni adhaerere jubet, et ejus gratiae assidere, qui vitam aeternam offert.

Cap. 11. Quid ergo fecit, quod illum in fugam conjecit et effecit, ut a magistro, a supplicatione, a spe, a vita, a laboribus, quibus jam perfunctus erat, ultro se subduceret? Nimi-

Τί δὲ τοῦτο ἐστίν; οὐχ ἃ προχείρως δέχονταί τινες, τὴν ὑπάρχουσαν οὐσίαν ἀποῤῥῖψαι προστάσσει καὶ ἀποστῆναι ἀπὸ τῶν χρημάτων, ἀλλὰ τὰ δόγματα περὶ χρημάτων ἐξορίσαι τῆς ψυχῆς, τὴν περὶ αὐτὰ πτοίαν καὶ νόσον, τὰς μερίμνας, τὰς ἀκάνθας τοῦ βίου, αἳ τὸ σπέρμα τῆς ζωῆς συμπνίγουσιν. Οὔτε γὰρ μέγα καὶ ζηλωτὸν τὸ τηνάλλως ἀπορεῖν χρημάτων μὴ ἐπὶ λόγῳ ζωῆς, οὕτω μὲν γὰρ ἂν ἦσαν οἱ μηδὲν ἔχοντες μηδαμῆ, ἀλλὰ ἔρημοι καὶ μεταῖται τῶν ἐφ᾽ ἡμέραν, οἱ κατὰ τὰς ὁδοὺς ἐῤῥιμμένοι πτωχοί, ἀγνοοῦντες δὲ θεὸν καὶ δικαιοσύνην θεοῦ κατ᾽ αὐτὸ μόνον τὸ ἄκρως ἀπορεῖν καὶ ἀμηχανεῖν βίου καὶ τῶν ἐλαχίστων σπανίζειν, μακαριώτατοι καὶ θεοφιλέστατοι καὶ μόνοι ζωὴν ἔχοντες αἰωνίαν. Οὔτε καινὸν τὸ ἀπείπασθαι πλοῦτον καὶ χαρίσασθαι πτωχοῖς ἢ πατρίσιν, ὃ πολλοὶ πρὸ τῆς τοῦ σωτῆρος καθόδου πεποιήκασιν, οἱ μὲν τῆς εἰς λόγους σχολῆς καὶ νεκρᾶς σοφίας εἵνεκεν, οἱ δὲ φήμης κενῆς καὶ κενοδοξίας, Ἀναξαγόραι καὶ Δημόκριτοι καὶ Κράτητες.

CAP. 12. *Τί οὖν ὡς καινὸν ἴδιον θεοῦ παραγγέλλει καὶ μόνον ζωοποιόν, ὃ τοὺς προτέρους οὐκ ἔσωσεν; τί δὲ ἐξαίρετον; τί ἡ καινὴ κτίσις; ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ μηνύει καὶ διδάσκει. Οὐ τὸ φαινόμενον, ὅπερ ἄλλοι πεποιήκασι, παρεγγυᾷ, ἀλλ᾽ ἕτερόν τι διὰ τούτου σημαινόμενον μεῖζον καὶ θειότερον καὶ τελεώτερον, τὸ τὴν ψυχὴν αὐτὴν καὶ τὴν διάθεσιν γυμνῶσαι τῶν ὑπὸ τῶν παθῶν καὶ πρόῤῥιζα τὰ ἀλλότρια τῆς γνώμης ἐκτεμεῖν καὶ ἐκβαλεῖν. Τοῦτο γὰρ ἴδιον μὲν τοῦ πιστοῦ τὸ μάθημα, ἄξιον δὲ τοῦ σωτῆρος τὸ δίδαγμα. Οἱ γάρ τοι πρότερον καταφρονήσαντες τῶν ἐκτὸς τὰ μὲν κτήματα ἀφῆκαν καὶ παραπώλεσαν, τὰ δὲ πάθη τῶν ψυχῶν οἶμαι ὅτι καὶ προσεπέτειναν. Ἐν ὑπεροψίᾳ γὰρ ἐγένοντο καὶ ἀλαζονείᾳ καὶ κενοδοξίᾳ καὶ περιφρονήσει τῶν ἄλλων ἀνθρώπων ὡς αὐτοί τι ὑπὲρ ἄνθρωπον ἐργασάμενοι. Πῶς ἂν οὖν ὁ σωτὴρ παρῄνει τοῖς ἀεὶ βιωσομένοις τὰ βλάψοντα καὶ λυμανούμενα πρὸς τὴν ζωήν, ἣν ἐπαγγέλλεται; καὶ γὰρ αὖ κἀκεῖνό ἐστι, δύναταί τις ἀποφορτισάμενος τὴν κτῆσιν, οὐδὲν ἧττον ἔτι τὴν ἐπιθυμίαν καὶ τὴν ὄρεξιν τῶν χρημάτων ἔχειν ἐντετηκυῖαν καὶ συζῶσαν καὶ τὴν μὲν χρῆσιν ἀποβεβληκέναι, ἀπορῶν δὲ ἅμα καὶ ποθῶν ἅπερ ἐσπάθησε διπλῆ λυπεῖσθαι καὶ τῇ τῆς ὑπηρεσίας ἀπουσίᾳ καὶ τῇ τῆς μετανοίας*

rum *vende quae possides!* Quid vero hoc sibi vult? Non, quod libenter nonnulli accipiunt, res familiares projicere et a divitiis se abdicare jubet, sed vanas de divitiis opiniones animo exterminare, tumultus et miserias inde nascentes, sollicitudines, saeculi spinas, quae vitae semen suffocant. Non enim magnum et aemulatione dignum, ulla alia ratione opibus carere, nisi propter vitam fiat; alioquin, qui nihil prorsus habent, qui solitarii sunt et quotidiani victus mendici, qui per vias inopes prostrati sunt, quamvis deum deique justitiam ignorent, propter id ipsum, quod extrema premantur paupertate, vitae subsidio careant et de minimis adeo laborent, omnium beatissimi forent, deoque dilectissimi et soli vitae aeternae compotes. Nec nova res, ut divitiis te abdices et, quae possides, pauperibus vel civibus elargiaris; quod multi etiam ante salvatoris descensum praestiterunt, alii ut literarum studiis et sapientiae vita et sensu carenti vacarent, alii ut vanam famam et gloriolam captarent, Anaxagorae Democriti et Cratetis imitatores.

CAP. 12. Quid igitur ut novum deique proprium pronuntiat, quod solum vivificare queat, quod antiquioribus salutem non attulit? Quid eligendum? Quae nova creatura? Filius dei indicat et docet: non, quod in aspectum cadit, mandat, quod alii fecere, sed aliud quid majus et divinius et perfectius, quod illo significatur, scilicet ut animum et affectum illis purgemus, quae a passionibus nascuntur, ut, quae aliena sunt, radicitus e mente exstirpemus et ejiciamus. Hoc discere virum fidelem decet, hoc docere salvatore dignum est. Etenim antiquiores illi contemtis exterioribus opes quidem reliquerunt et amiserunt, sed animi perturbationes arbitror etiam intentiores reddiderunt. In superbiam enim inciderunt et jactationem, et vanum gloriolae studium et reliquorum hominum contemtum, quasi ipsi aliquid supra humanum peregissent. Quomodo igitur salvator in aeternum victuris praeciperet, quae sint nocitura et labem allatura ei vitae, quam pollicetur. Nam et illud rursus verum est: potest quis objecto divitiarum onere, nihilominus adhuc pecuniarum cupiditatem et sitim habere animo inhaerentem et quasi innatam; et usu quidem abjecto, indi-

παρουσίᾳ. Ἀνέφικτον γὰρ καὶ ἀμήχανον δεόμενον τῶν πρὸς τὸ βιοτεύειν ἀναγκαίων μὴ οὐ κατακλᾶσθαι τὴν γνώμην καὶ ἀσχολίαν ἄγειν ἀπὸ τῶν κρειττόνων, ὁπωσοῦν καὶ ὁθενοῦν ταῦτα πειρώμενον ἐκπορίζειν.

Cap. 13. Καὶ πόσῳ χρησιμώτερον τὸ ἐναντίον ἱκανὰ κεκτημένον αὐτόν τε περὶ τὴν κτῆσιν μὴ κακοπαθεῖν καὶ οἷς καθῆκεν ἐπικουρεῖν; τίς γὰρ ἂν κοινωνία καταλείποιτο παρὰ ἀνθρώποις, εἰ μηδεὶς ἔχοι μηδέν; πῶς ἂν τοῦτο τὸ δόγμα πολλοῖς ἄλλοις καὶ καλοῖς τοῦ κυρίου δόγμασιν οὐχὶ φανερῶς ἐναντιούμενον εὑρίσκοιτο καὶ μαχόμενον; „ποιήσατε ἑαυτοῖς φίλους ἐκ τοῦ μαμμωνᾶ τῆς ἀδικίας, ἵνα ὅταν ἐκλίπητε, δέξωνται ὑμᾶς εἰς τὰς αἰωνίους σκηνάς". „Κτήσασθε θησαυροὺς ἐν οὐρανῷ, ὅπου μήτε σὴς μήτε βρῶσις ἀφανίζουσι μήτε κλέπται διορύσσουσι". Πῶς ἄν τις πεινῶντα τρέφοι καὶ διψῶντα ποτίζοι καὶ γυμνὸν σκεπάζοι καὶ ἄστεγον συνάγοι, ἃ τοῖς μὴ ποιήσασιν ἀπειλεῖ πῦρ καὶ σκότος τὸ ἐξώτερον, εἰ πάντων αὐτὸς ἕκαστος φθάνοι τούτων ὑστερῶν; ἀλλὰ μὴν αὐτός τε ἐπιξενοῦσθαι Ζακχαίῳ κελεύει καὶ Ματθαίῳ τοῖς πλουσίοις καὶ τελώναις καὶ τὰ μὲν χρήματα αὐτοὺς οὐ κελεύει μεθεῖναι, τὴν δὲ δικαίαν κρίσιν ἐπιθεὶς καὶ τὴν ἄδικον ἀφελὼν καταλέγει· σήμερον σωτηρία τῷ οἴκῳ τούτῳ. Οὕτως τὴν χρείαν αὐτῶν ἐπαινεῖ, ὥστε καὶ μετὰ τῆς προσθήκης ταύτης τὴν κοινωνίαν ἐπιτάσσει, ποτίζειν τὸν διψῶντα, ἄρτον διδόναι τῷ πεινῶντι, ὑποδέχεσθαι τὸν ἄστεγον, ἀμφιεννύναι τὸν γυμνόν. Εἰ δὲ τὰς χρείας οὐχ οἷόν τε ἐκπληροῦν ταύτας μὴ ἀπὸ χρημάτων, τῶν δὲ χρημάτων ἀφίστασθαι κελεύει, τί ἂν ἕτερον εἴη ποιῶν ὁ κύριος ἢ τὰ αὐτὰ διδόναι τε καὶ μὴ διδόναι παραινῶν, τρέφειν τε καὶ μὴ τρέφειν, ὑποδέχεσθαι καὶ ἀποκλείειν, κοινωνεῖν καὶ μὴ κοινωνεῖν, ὅπερ ἁπάντων ἀλογώτατον.

Cap. 14. Οὐκ ἄρα ἀποῤῥιπτέον τὰ καὶ τοὺς πέλας ὠφελοῦντα χρήματα, κτήματα γάρ ἐστι κτητὰ ὄντα καὶ χρήματα χρήσιμα ὄντα καὶ εἰς χρῆσιν ἀνθρώπων παρεσκευασμένα ὑπὸ τοῦ θεοῦ, ἃ δὴ παράκειται καὶ ὑποβέβληται καθάπερ ὕλη τις καὶ ὄργανα πρὸς χρῆσιν ἀγαθὴν τοῖς εἰδόσι. Τὸ ὄργανον, ἐὰν χρῇ τεχνικῶς, τεχνι-

gentia tamen simul et desiderio eorum, quae dilapidavit, dupliciter dolere, et de rerum ad vitam necessariarum absentia et de poenitentiae praesentia. Fieri enim nulla arte potest, ut qui eget iis, quae ad vitam sunt necessaria, animo non frangatur et a potioribus rebus sollicitudine abstrahatur, dum quovis modo et undecumque illa comparare laborat.

Cap. 13. At quando satius contrarium, ut opum quantum satis est possessor ipse ex possessione mali nihil perpetiatur et quibuscumque decet auxilio veniat. Quae enim reliqua foret inter homines communio, si nemo quicqam haberet. Quomodo vero? hoc dogma nonne aperte multis aliis et praeclaris domini praeceptis contradicens cumque iis pugnans reperiretur? *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis ut* Luc. 16, 9.
cum defeceritis recipiant vos in aeterna tabernacula. Parate Matth. 6, 19.
vobis thesauros in coelo, ubi neque aerugo neque tinea demoliuntur, neque fures perfodiunt. Quomodo quis esurientem satiaret, et sitientem potaret et nudum vestiret, et sine domo vagum hospitio exciperet, quae nisi fiant non facienti ignem comminantur et tenebras exteriores, si horum omnium ipse quisque egeret? Quin imo et ipse hospitio se excipi jubet a Zacchaeo et Matthaeo, divitibus item et publicanis. Et pecunias ab illis non jubet abjici, sed justum judicium indicans injustumque refellens, subjungit: *Hodie salus huic domui.* Sic earum usum laudat, ut hac lege communicationem praecipiat, potare sitientem, panem praebere esurienti, extorrem suscipere, nudum vestire. Quodsi haec munia nemo absque re propria explere potest, et tamen hac se abdicare juberet, quid aliud quaeso dominus faceret, quam ut eadem dare et non dare praeciperet, satiare et non satiare, hospitio excipere et porta clausa repellere, communicare et non communicare, quod omnium foret insulsissimum?

Cap. 14. Non ergo sunt abjiciendae opes, quibus proximo opitulari potes. Possessiones enim sunt, quia possidentur, et opes, quia opem ferunt et ita a deo sunt comparatae, ut hominum operibus inserviant; adsunt vero et subjacent velut materia quaedam et instrumenta ad bonum usum comparata pe-

κόν ἐστιν, ἐὰν ὑστερῇς τῆς τέχνης, ἀπολαύει τῆς σῆς ἀπουσίας ὂν ἀναίτιον. Τοιοῦτον καὶ ὁ πλοῦτος ὄργανόν ἐστιν. Δύνασαι χρῆσθαι δικαίως αὐτῷ, πρὸς δικαιοσύνην καθυπηρετεῖ· ἀδίκως τίς αὐτῷ χρῆται, πάλιν ὑπηρέτης ἀδικίας εὑρίσκεται. Πέφυκε γὰρ καθυπηρετεῖν, ἀλλ' οὐκ ἄρχειν. Οὐ χρὴ τοίνυν τὸ ἐξ ἑαυτοῦ μὴ ἔχον μήτε τὸ ἀγαθὸν μήτε τὸ κακὸν, ἀναίτιον ὂν αἰτιᾶσθαι, ἀλλὰ τὸ δυνάμενον καὶ καλῶς τούτοις χρῆσθαι καὶ κακῶς, ἀφ' ὧν ἂν ἕληται καθ' αὐτό. Τοῦτο δέ ἐστι νοῦς ἀνθρώπου καὶ κριτήριον ἐλεύθερον ἔχον ἐν ἑαυτῷ καὶ τὸ αὐτεξούσιον τῆς μεταχειρίσεως τῶν δοθέντων. Ὥστε μὴ τὰ κτήματά τις ἀφανιζέτω μᾶλλον ἢ τὰ πάθη τῆς ψυχῆς, τὰ μὴ συγχωροῦντα τὴν ἀμείνω χρῆσιν τῶν ὑπαρχόντων, ἵνα καλὸς καὶ ἀγαθὸς γενόμενος καὶ τούτοις τοῖς χρήμασι χρῆσθαι δυνηθῇ καλῶς. Τὸ οὖν ἀποτάξασθαι πᾶσι τοῖς ὑπάρχουσι καὶ πωλῆσαι πάντα τὰ ὑπάρχοντα τοῦτον τὸν τρόπον ἐκδεκτέον, ὡς ἐπὶ τῶν ψυχικῶν παθῶν εἰρημένον.

Cap. 15. Ἐγὼ γοῦν κἀκεῖνο φήσαιμ' ἂν, ἐπειδὴ τὰ μὲν ἐντός ἐστι τῆς ψυχῆς, τὰ δὲ ἐκτὸς, κἂν μὲν ἡ ψυχὴ χρῆται καλῶς, καλὰ καὶ ταῦτα δοκεῖ, ἐὰν δὲ πονηρῶς, πονηρά· ὁ κελεύων ἀπαλλοτριοῦν τὰ ὑπάρχοντα, πότερον ταῦτα παραιτεῖται, ὧν ἀναιρεθέντων ἔτι τὰ πάθη μένει, ἢ ἐκεῖνα μᾶλλον, ὧν ἀναιρεθέντων καὶ τὰ κτήματα χρήσιμα γίνεται; εἰ τοίνυν ὁ ἀποβαλὼν τὴν κοσμικὴν περιουσίαν ἔτι δύναται πλουτεῖν τῶν παθῶν καὶ τῆς ὕλης μὴ παρούσης· ἡ γάρ τοι διάθεσις τὸ αὐτῆς ἐνεργεῖ καὶ τὸν λογισμὸν ἄγχει καὶ πιέζει καὶ φλεγμαίνει ταῖς συντρόφοις ἐπιθυμίαις· οὐδὲν οὖν προὔργου γέγονεν αὐτῷ πτωχεύειν χρημάτων πλουτοῦντι τῶν παθῶν. Οὐ γὰρ τὰ ἀπόβλητα ἀπέβαλεν, ἀλλὰ τὰ ἀδιάφορα καὶ τῶν μὲν ὑπηρετικῶν ἑαυτὸν περιέκοψεν, ἐξέκαυσε δὲ τὴν ὕλην τῆς κακίας τὴν ἔμφυτον τῇ τῶν ἐκτὸς ἀπορίᾳ. Ἀποτακτέον οὖν τοῖς ὑπάρχουσι τοῖς βλαβεροῖς, οὐχὶ τοῖς ἐὰν ἐπιστῆταί τις τὴν ὀρθὴν χρῆσιν καὶ συνωφελεῖν δυναμένοις. Ὠφελεῖ δὲ τὰ μετὰ φρονήσεως καὶ σωφροσύνης καὶ εὐσεβείας οἰκονομούμενα, ἀπωστέα δὲ τὰ ἐπιζήμια, τὰ δὲ ἐκτὸς οὐ βλάπτει. Οὕτως οὖν ὁ κύριος καὶ τὴν τῶν ἐκτὸς χρείαν εἰσάγει κελεύων ἀποθέσθαι οὐ τὰ βιωτικὰ, ἀλλὰ τὰ τούτοις κακῶς χρώμενα, ταῦτα δὲ ἦν τὰ τῆς ψυχῆς ἀῤῥωστήματα καὶ πάθη.

ritis. Instrumentum, si cum arte utaris, et ipsum artis non expers est; si tu arte careas, hujus tui defectus particeps est, quamvis ipsum culpae immune. Tale instrumentum et opulentia. Recte ea uti potes, justitiae inserviet; injuste si quis ea utitur, injustitiae ministra apparebit. Indolem enim nacta est serviendi, non imperandi. Non aequum itaque est, quod per se neque bonum neque malum in se habet, cum culpae expers sit, incriminari, sed illud potius, quod potest iis recte et male uti, ex quibus proprio motu sibi elegit. Illa est hominis mens, quae liberum habet in se judicium et arbitrium, qua ratione velit administrare ea, quae ipsi concredita sunt. Nemo igitur opes a se amoveat, sed affectus potius animae, qui meliorem facultatum usum impediunt, ut ipse bonus ac probus existens his quoque opibus recte uti valeat. Illud igitur: omnibus quae possideas, se abdicare, et: omnia, quae possideas, vendere in hunc modum intelligendum est, ut scias de animae affectibus dictum esse.

Cap. 15. Ego vero illud etiam addiderim: quandoquidem alia quidem intra animam sunt, alia extra, ac si anima illis utitur bene, bona et haec esse videntur, sin autem male, mala: nonne, quaeso, qui rem familiarem a se abalienare jubet, ea repudiat, quibus sublatis adhuc passiones manent, quam illa potius, quibus sublatis divitiae quoque utiles fiunt? Si igitur, qui saecularem opulentiam abjicit, dives nihilominus esse potest affectibus, tametsi externa materia deficiente (interna enim animi dispositio hujus vices agit, animumque angit et comprimit et incendit innatis desideriis) nihil ei profuit, divitiis egenum fieri, dum passionibus abundat. Non enim quae abjicienda sunt abjecit, sed quae promiscui usus sunt, et se quidem iis privavit, quibus uti potuit, sed innatam malitiae materiam hoc ipsa externarum rerum egestate succendit. Renuntiandum igitur est iis possessionibus, quae nocent, non iis, quae si quis rectum usum noverit, prodesse etiam possunt. Prosunt vero quae prudenter et sobrie administrantur; submovenda vero sunt, quae nocent, ea autem, quae externa sunt, non laedunt. Ita igitur dominus externarum rerum usum quo-

Cap. 16. Ὁ τούτων πλοῦτος παρὼν μὲν ἅπασι θανατηφόρος, ἀπολλύμενος δὲ σωτήριος. Οὗ δεῖ καθαρεύουσαν, τουτέστι πτωχεύουσαν καὶ γυμνὴν τὴν ψυχὴν παρασχόμενον οὕτως ἤδη τοῦ σωτῆρος ἀκοῦσαι λέγοντος· „δεῦρο ἀκολούθει μοί“. Ὁδὸς γὰρ αὐτὸς ἤδη τῷ καθαρῷ τὴν καρδίαν γίνεται, εἰς δὲ ἀκάθαρτον ψυχὴν θεοῦ χάρις οὐ παραδύεται, ἀκάθαρτος δὲ ἡ πλουτοῦσα τῶν ἐπιθυμιῶν καὶ ὠδίνουσα πολλοῖς ἔρωσι καὶ κοσμικοῖς. Ὁ μὲν γὰρ ἔχων κτήματα καὶ χρυσὸν καὶ ἄργυρον καὶ οἰκίας ὡς θεοῦ δωρεὰς καὶ τῷ τε διδόντι θεῷ λειτουργῶν ἀπ᾽ αὐτῶν εἰς ἀνθρώπων σωτηρίαν καὶ εἰδώς, ὅτι ταῦτα κέκτηται διὰ τοὺς ἀδελφοὺς μᾶλλον ἢ ἑαυτόν· καὶ κρείττων ὑπάρχων τῆς κτήσεως αὐτῶν, μὴ δοῦλος ὧν κέκτηται μηδὲ ἐν τῇ ψυχῇ ταῦτα περιφέρων, μηδὲ ἐν τούτοις ὁρίζων καὶ περιγράφων τὴν ἑαυτοῦ ζωήν, ἀλλά τι καὶ καλὸν ἔργον καὶ θεῖον ἀεὶ διαπονῶν· κἂν ἀποστερηθῆναι δέῃ ποτὲ τούτων, δυνάμενος ἵλεῳ τῇ γνώμῃ καὶ τὴν ἀπαλλαγὴν αὐτῶν ἐνεγκεῖν ἐξ ἴσου, καθάπερ καὶ τὴν περιουσίαν· οὗτος ὁ μακαριζόμενος ὑπὸ τοῦ κυρίου καὶ πτωχὸς τῷ πνεύματι καλούμενος, κληρονόμος ἕτοιμος οὐρανοῦ βασιλείας· οὐ πλούσιος ζῆσαι μὴ δυνάμενος.

Cap. 17. Ὁ δὲ ἐν τῇ ψυχῇ τὸν πλοῦτον φέρων καὶ ἀντὶ θεοῦ πνεύματος ἐν τῇ καρδίᾳ χρυσὸν φέρων ἢ ἀγρὸν καὶ τὴν κτῆσιν ἄμετρον ἀεὶ ποιῶν καὶ ἑκάστοτε τὸ πλεῖον βλέπων κάτω νενευκὼς καὶ τοῖς τοῦ κόσμου θηράτροις πεπεδημένος, γῆ ὢν καὶ εἰς γῆν ἀπελευσόμενος, πόθεν δύναται βασιλείας οὐρανῶν ἐπιθυμῆσαι καὶ φροντίσαι, ἄνθρωπος οὐ καρδίαν, ἀλλὰ ἀγρὸν ἢ μέταλλον φορῶν, ἐν τούτοις εὑρεθησόμενος ἐπάναγκες ἐν οἷς εἵλετο; ὅπου γὰρ ὁ νοῦς τοῦ ἀνθρώπου, ἐκεῖ καὶ ὁ θησαυρὸς αὐτοῦ. Θησαυροὺς δέ γε ὁ κύριος οἶδε διττούς, τὸν μὲν ἀγαθόν, „ὁ“ γὰρ „ἀγαθὸς ἄνθρωπος ἐκ τοῦ ἀγαθοῦ θησαυροῦ τῆς καρδίας προφέρει τὸ ἀγαθόν“, τὸν δὲ πονηρόν, „ὁ“ γὰρ „κακὸς ἐκ τοῦ κακοῦ θησαυροῦ προφέρει τὸ κακόν, ὅτι ἐκ τοῦ περισσεύματος τῆς καρδίας τὸ στόμα λαλεῖ“. Ὥσπερ οὖν θησαυρὸς οὐχ εἷς παρ᾽ αὐτῷ, καθὸ καὶ παρ᾽ ἡμῖν, ὁ τὸ αἰφνίδιον μέγα κέρδος ἐν εὑρέσει διδούς, ἀλλὰ καὶ δεύτερος ὁ

que commendat, jubens deponi non quae ad vitam sunt necessaria, sed quae illis male utuntur, intelligens animae aegritudines et passiones.

Cap. 16. Horum copia, dum adest, cunctis mortifera est, si periit, salutaris. Ab ea mundam, i. e. pauperem nudamque animam afferens jam sic debes audire salvatorem dicentem: *Veni, sequere me.* Via enim ipse fit ei, qui mundus est mente; in immundam vero animam dei gratia se non demittit. Immunda vero est, quae passionibus abundat et multis iisque mundanis desideriis parturit. Nam qui opes habet, et aurum, et argentum et domos tamquam dei dona, et huic ipsi deo largitori his ipsis in hominum salutem impensis cultum tribuit, et scit se haec possidere propter fratres potius, quam in sui gratiam; qui ipsorum possessione ipse est praestantior, non mancipium eorum, quae possidet, nec in animo ea gestit, nec ipsis vitam suam circumscribit et definit, sed et honesti aliquid operis et divini indefatigato labore persequitur; qui si quando necesse fuerit illis privari, placido animo jacturam eorum pariter ferre valet, ac abundantiam; ille est, qui a domino beatus praedicatur et *pauper spiritu* vocatur, expeditus Matth. 5, 3.
haeres regni coelestis; non qui, cum dives est, vivere non novit.

Cap. 17. Ast qui in anima divitias gestit et loco dei spiritus in corde aurum gestit vel agrum et immodice possessiones semper auget, et ubique plura concupiscit, in terram pronus et mundi laqueis irretitus, *quum terra est et in terram* Gen. 3, 19.
abiturus; unde is potest coeleste regnum desiderare et curare, homo non cor sed agrum et metallum circumferens, quem plane necesse est in eis deprehendi, quibus capi se passus est? *Ubi enim mens hominis, ibi et thesaurus ejus est.* Thesaurum Matth. 6, 21.
vero duplicem dominus novit, alterum bonum: *bonus enim homo de bono thesauro cordis sui bonum profert;* alterum malum: *malus enim de malo thesauro malum profert, quia, quo* Matth. 12, 35.
cor abundat, hoc os proloquitur. Quemadmodum igitur thesaurus non unus apud ipsum, quemadmodum et apud nos, ille scilicet qui quum repertus est illico magnum lucrum affert, sed et alius sterilis et nullo studio dignus et infaustae posses-

ἀκερδὴς καὶ ἄζηλος καὶ δύσκτητος καὶ ἐπιζήμιος· οὕτω καὶ πλοῦτος ὁ μέν τις ἀγαθῶν, ὁ δὲ κακῶν· εἴ γε τὸν πλοῦτον καὶ τὸν θησαυρὸν οὐκ ἀπηρτημένους ἴσμεν ἀλλήλων τῇ φύσει. Καὶ ὁ μέν τις πλοῦτος κτητὸς ἂν εἴη καὶ περίβλητος, ὁ δὲ ἄκτητος καὶ ἀπόβλητος. Τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ πτωχεία μακαριστὴ μὲν ἡ πνευματική. Διὸ καὶ προσέθηκεν ὁ Ματθαῖος· „μακάριοι οἱ πτωχοὶ“, πῶς; „τῷ πνεύματι“. Καὶ πάλιν· „μακάριοι οἱ πεινῶντες καὶ διψῶντες τὴν δικαιοσύνην τοῦ θεοῦ“· οὐκοῦν ἄθλιοι οἱ ἐναντίοι πτωχοὶ, θεοῦ μὲν ἄμοιροι, ἀμοιρότεροι δὲ τῆς ἀνθρωπίνης κτήσεως, ἄγευστοι δὲ δικαιοσύνης θεοῦ.

Cap. 18. Ὥστε τοὺς πλουσίους μαθηματικῶς ἀκουστέον, τοὺς δυσκόλως εἰσελευσομένους εἰς τὴν βασιλείαν, μὴ σκαιῶς μηδὲ ἀγροίκως μηδὲ σαρκίνως. Οὐ γὰρ οὕτως λέλεκται οὐδὲ ἐπὶ τοῖς ἐκτὸς ἡ σωτηρία, οὔτε εἰ πολλὰ οὔτε εἰ ὀλίγα ταῦτα ἢ μικρὰ ἢ μεγάλα ἢ ἔνδοξα ἢ ἄδοξα ἢ εὐδόκιμα ἢ ἀδόκιμα, ἀλλ' ἐπὶ τῇ τῆς ψυχῆς ἀρετῇ, πίστει καὶ ἐλπίδι καὶ ἀγάπῃ καὶ φιλαδελφίᾳ καὶ γνώσει καὶ πρᾳότητι καὶ ἀτυφίᾳ καὶ ἀληθείᾳ, ὧν ἆθλον ἡ σωτηρία. Οὐδὲ γὰρ διὰ κάλλος σώματος ζήσεταί τις ἢ τοὐναντίον ἀπολεῖται, ἀλλ' ὁ μὲν τῷ δοθέντι σώματι ἁγνῶς καὶ κατὰ θεὸν χρώμενος ζήσεται, ὁ δὲ φθείρων τὸν ναὸν θεοῦ φθαρήσεται. Δύναται δέ τις καὶ αἰσχρὸς ἀσελγαίνειν καὶ καλὸς σωφρονεῖν, οὐδὲ ἰσχὺς καὶ σώματος μέγεθος ζωοποιεῖ οὐδὲ τῶν μελῶν, οὐδὲ ἀπολλύει, ἀλλ' ἡ τούτοις ψυχὴ χρωμένη τὴν αἰτίαν ἐφ' ἑκάτερα παρέχεται. Ὑπόφερε γοῦν, φησί, παιόμενος τὸ πρόσωπον, ὅπερ δύναται καὶ ἰσχυρός τις ὢν καὶ εὐεκτῶν ἐπακοῦσαι καὶ πάλιν ἀσθενικός τις ὢν ἀκρασίᾳ γνώμης παραβῆναι. Οὕτω καὶ ἄπορός τις αὖ καὶ ἄβιος εὑρεθείη πότ' ἂν μεθύων ταῖς ἐπιθυμίαις· καὶ χρήμασι πλούσιος νήφων καὶ πτωχεύων ἡδονῶν, πεπεισμένος, συνετὸς, καθαρὸς, κεκολασμένος. Εἰ τοίνυν ἐστὶ τὸ ζησόμενον μάλιστα καὶ πρῶτον ἡ ψυχὴ, καὶ περὶ ταύτην ἀρετὴ μὲν φυομένη σώζει, κακία δὲ θανατοῖ, δῆλον ἤδη σαφῶς, ὅτι αὐτὴ καὶ πτωχεύουσα ὧν ἄν τις ὑπὸ πλούτου διαφθείρεται σώζεται, καὶ πλουτοῦσα τούτων, ὧν ἐπιτρίβει πλοῦτος, θανοῦται, καὶ μηκέτι ζητῶμεν ἀλλαχοῦ τὴν αἰτίαν τοῦ τέλους πλὴν ἐν τῇ τῆς ψυχῆς καταστάσει καὶ διαθέσει πρός τε ὑπακοὴν θεοῦ καὶ καθαρότητα, πρός τε παράβασιν ἐντολῶν καὶ κακίας συλλογήν.

sionis et damnosus; ita et opulentia quaedam est bonorum, quaedam malorum; siquidem opulentiam et thesaurum natura sua inter se non differre scimus. Et erunt quidem divitiae aliae acquisitione et conservatione dignae, aliae indignae.

Hoc ipso modo et paupertas beata praedicanda scilicet spiritalis. Propterea Matthaeus adjecit: *beati pauperes;* quales? *spiritu*; et rursus: *beati qui esuriunt et sitiunt justitiam dei.* Igitur miseri pauperes contrariae indolis, dei quidem expertes, magis etiam expertes humanae possessionis, dei vero justitiam ne delibatam quidem habentes. Matth. 5, 3, 6.

Cap. 18. Subtiliter igitur interpretari debemus ista, *divites, qui difficile intrabunt in regnum coelorum*, non rudi nec agresti nec carnali sensu. Non enim hoc modo nec de rebus externis salus praedicata est, sive multae hae sint sive paucae, sive parvae sive magnae, sive laude dignae sive indignae, sive probandae sive reprobandae, sed de animae virtute, de fide et spe et caritate et fraterno amore et cognitione et mansuetudine et modestia et veritate, quorum praemium salus est. Nec enim per corporis pulcritudinem vivet aliquis vel 1 Cor. 3, 17.
contra peribit, sed qui accepto corpore caste et secundum dei voluntatem utitur, is vivet, qui vero dei templum corrumpit, corrumpetur. Potest vero quis etiam deformis indulgere libi- Matth. 5, 39.
dini, et formosus castitati studere, nec robur nec corporis Luc. 6, 29.
magnitudo vivificat nec membrorum, nec perniciem affert, sed 2 Cor. 11, 20.
quae his utitur anima causa utiusque sortis est. Sustine igitur, inquit, qui in faciem caederis: cui voci et robustus et validus quis obedire potest, et contra infirmus quis resistere, quod mentem domare nequit. Sic rursus et egenus quidam et inops ebrius forte cupiditatibus reperietur; et divitiis opulentus sobrius et abstinens a voluptatibus, obediens, cordatus, mundus, se ipsum castigans. Si igitur quod potissimum et primum vivet anima est, si quae huic innata est virtus salvat, malitia vero perimit; satis apertum est, quod ipse, si iis eget, quorum quis copia facile corrumpitur, salvatur, si abundat his, quorum copia atterit, enecatur. Nec alibi quaeramus causam eventus, quam in ipsius animae conditione et

Cap. 19. Ὁ μὲν ἄρα ἀληθῶς καὶ καλῶς ἐστὶν ὁ τῶν ἀρετῶν πλούσιος καὶ πάσῃ τύχῃ χρῆσθαι ὁσίως καὶ πιστῶς δυνάμενος, ὁ δὲ νόθως πλούσιος ὁ κατὰ σάρκα πλουτῶν καὶ τὴν ζωὴν εἰς τὴν ἔξω κτῆσιν μετενηνοχὼς τὴν παρερχομένην καὶ φθειρομένην καὶ ἄλλοτε ἄλλου γινομένην καὶ ἐν τῷ τέλει μηδενὸς μηδαμῇ. Πάλιν αὖ κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ γνήσιος πτωχὸς καὶ νόθος ἄλλος πτωχὸς καὶ ψευδώνυμος, ὁ μὲν κατὰ πνεῦμα πτωχὸς, τὸ ἴδιον, ὁ δὲ κατὰ κόσμον, τὸ ἀλλότριον. Τῷ δὴ κατὰ κόσμον πτωχῷ καὶ πλουσίῳ κατὰ τὰ πάθη ὁ κατὰ πνεῦμα οὐ πτωχὸς καὶ κατὰ θεὸν πλούσιος, ἀπόστηθι τῶν ὑπαρχόντων ἐν τῇ ψυχῇ σου κτημάτων ἀλλοτρίων, ἵνα καθαρὸς τῇ καρδίᾳ γενόμενος ἴδῃς τὸν θεὸν, ὅπερ καὶ δι' ἑτέρας φωνῆς ἐστὶν εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν. Καὶ πῶς αὐτῶν ἀποστῇς; πωλήσας. Τί οὖν; χρήματα ἀντὶ κτημάτων λάβῃς; ἀντίδοσιν πλούτου πρὸς πλοῦτον ποιησάμενος, ἐξαργυρίσας τὴν φανερὰν οὐσίαν; οὐδαμῶς, ἀλλὰ ἀντὶ τῶν προτέρων ἐνυπαρχόντων τῇ ψυχῇ, ἣν σῶσαι ποθεῖς, ἀντεισαγόμενος ἕτερον πλοῦτον θεοποιὸν καὶ ζωῆς χορηγὸν αἰωνίου, τὰς κατὰ τὴν ἐντολὴν τοῦ θεοῦ διαθέσεις, ἀνθ' ὧν σοὶ περιέσται μισθὸς καὶ τιμὴ, διηνεκὴς σωτηρία καὶ αἰώνιος ἀφθαρσία. Οὕτω καλῶς πωλεῖς τὰ ὑπάρχοντα, τὰ πολλὰ καὶ περισσὰ καὶ ἀποκλείοντά σοι τοὺς οὐρανοὺς, ἀντικαταλλασσόμενος αὐτῶν τὰ σῶσαι δυνάμενα. Ἐκεῖνα ἐχέτωσαν οἱ σαρκινοὶ πτωχοὶ καὶ τούτων δεόμενοι, σὺ δὲ τὸν πνευματικὸν πλοῦτον ἀντιλαβὼν ἔχοις ἂν ἤδη θησαυρὸν ἐν οὐρανοῖς.

Cap. 20. Ταῦτα μὴ συνιεὶς κατὰ τρόπον ὁ πολυχρήματος καὶ ἔννομος ἄνθρωπος, μηδὲ ὅπως ὁ αὐτὸς καὶ πτωχὸς δύναται εἶναι καὶ πλούσιος καὶ ἔχειν τε χρήματα καὶ μὴ ἔχειν καὶ χρῆσθαι τῷ κόσμῳ καὶ μὴ χρῆσθαι, ἀπῆλθε στυγνὸς καὶ κατηφὴς, λιπὼν τὴν τάξιν τῆς ζωῆς, ἧς ἐπιθυμεῖν μόνον ἀλλ' οὐχὶ καὶ τυχεῖν ἠδύνατο, τὸ δύσκολον ποιήσας ἀδύνατον αὐτὸς ἑαυτῷ. Δύσκολον γὰρ ἦν μὴ περιάγεσθαι μηδὲ καταστρέφεσθαι τὴν ψυχὴν ἀπὸ τῶν προσόντων ἁβρῶν τῷ προδήλῳ πλούτῳ καὶ ἀνθηρῶν γοητευμάτων,

affectione, seu ad obedientiam erga deum et puritatem, seu ad legis transgressionem et malitiae collectionem inclinet.

Cap. 19. Vero igitur et bono sensu dives est qui virtutibus abundat et quavis fortuna sancte et fideliter uti valet; falso autem sensu dives qui rebus carnalibus dives est, vitamque in exterioribus possessionibus posuit, quae praetereunt et intereunt, nunc hujus nunc illius sunt et in fine plane nullius. Rursus eadem ratione est et verus pauper, et spurius alius et falso nomine pauper existit; ille, qui spiritualibus rebus pauper est, quae ipsius sunt, hic qui saecularibus rebus pauper est, quae ipsius non sunt. Illi vero, qui saecularibus rebus pauper est, et passionibus abundat, qui spiritualibus rebus non pauper est, et divinis dives: abdica te (ait), alienis opibus, quas in animo habes, ut purus corde fias et deum conspicias, quod aliis verbis est: *intrare in regnum coelorum.* Quomodo vero illis te abdicabis? *Vendendo.* Quid igitur? Ita ut pecuniam sumas pro praediis, i. e. divitias divitiis commutes, bona scilicet immobilia mobilibus? Nequaquam. Sed ita, ut loco earum possessionum, quae prius inerant animo, quem salvum reddere cupis, alias divitias ingeras a Deo factas et vitae aeternae inservientes, animi scilicet affectus legi divinae consentaneos; pro quibus tibi concedetur merces et honor, perpetua salus et aeterna immortalitas. Sic recte vendis quae possides; quae multivaria sunt et superflua et coelum tibi occludunt, commutando acquirens quae salutem afferre possunt. Illa habeant qui carnali sensu pauperes sunt iisque indigent; tu vero spiritualibus divitiis eorum loco potitus jamjam thesaurum in coelis habebis.

Cap. 20. Haec per metaphoram dicta non intelligens ille locuples et legalis homo neque quomodo possit idem et pauper esse et dives, et habere pecunias et non habere, et uti saeculo et non uti, abiit tristis et animo dejectus, deserto vitae ordine, quam cupere solummodo non item attingere valuit, quum, quod arduum erat, impossibile sibi reddiderat. Difficile enim erat non turbari animam et circumagi deliciis quae opulentiae adhaerent externae et floridis praestigiis, sed in his quoque

οὐκ ἀδύνατον δὲ καὶ ἐν τούτῳ λαβέσθαι σωτηρίας, εἴ τις ἑαυτὸν ἀπὸ τοῦ αἰσθητοῦ πλούτου ἐπὶ τὸν νοητὸν καὶ θεοδίδακτον μεταγάγοι καὶ μάθοι τοῖς ἀδιαφόροις χρῆσθαι καλῶς καὶ ἰδίως καὶ ὡς ἂν εἰς ζωὴν αἰώνιον ὁρμῷτο. Καὶ οἱ μαθηταὶ δὲ τὸ πρῶτον μὲν καὶ αὐτοὶ περιδεεῖς καὶ καταπληγεῖς γεγόνασιν ἀκούσαντες. Τί δήποτε; ἆρά γε, ὅτι χρήματα καὶ αὐτοὶ ἐκέκτηντο πολλά; ἀλλὰ καὶ αὐτὰ ταῦτα τὰ δικτύδια καὶ ἄγκιστρα καὶ τὰ ὑπηρετικὰ σκαφίδια ἀφῆκαν πάλαι, ἅπερ ἦν αὐτοῖς μόνα. Τί οὖν φοβηθέντες λέγουσι· „τίς δύναται σωθῆναι“; καλῶς ἤκουσαν καὶ ὡς μαθηταὶ τοῦ παραβολικῶς καὶ ἀσαφῶς λεχθέντος ὑπὸ τοῦ κυρίου καὶ ᾔσθοντο τοῦ βάθους τῶν λόγων. Ἕνεκα μὲν οὖν χρημάτων ἀκτημοσύνης εὐέλπιδες ἦσαν πρὸς σωτηρίαν, ἐπειδὴ δὲ συνῄδεσαν ἑαυτοῖς μήπω τὰ πάθη τέλεον ἀποτιθεμένοις, ἀρτιμαθεῖς γὰρ ἦσαν καὶ νεωστὶ πρὸς τοῦ σωτῆρος ἠνδρολογημένοι, περισσῶς ἐξεπλήττοντο καὶ ἀπεγίνωσκον ἑαυτοὺς οὐδέν τι ἧττον ἐκείνου τοῦ πολυχρημάτου καὶ δεινῶς τῆς κτήσεως περιεχομένου, ἥν γε προέκρινε ζωῆς αἰωνίου. Ἄξιον οὖν ἦν τοῖς μαθηταῖς φόβου παντὸς, εἰ καὶ ὁ χρήματα κεκτημένος καὶ ὁ τῶν παθῶν ἔγκυος ὢν ἐπλούτουν καὶ αὐτοὶ παραπλησίως ἀπελαθήσονται οὐρανῶν· ἀπαθ γὰρ καὶ καθαρῶν ψυχῶν ἐστὶν ἡ σωτηρία.

Cap. 21. Ὁ δὲ κύριος ἀποκρίνεται· „διότι τὸ ἐν ἀνθρώποις ἀδύνατον δυνατὸν θεῷ“. Πάλιν καὶ τοῦτο μεγάλης σοφίας μεστόν ἐστιν, ὅτι καθ᾽ αὑτὸν μὲν ἀσκῶν καὶ διαπονούμενος ἀπάθειαν ἄνθρωπος οὐδὲν ἀνύει, ἐὰν δὲ γένηται δῆλος ὑπερεπιθυμῶν τούτου καὶ διεσπουδακὼς τῇ προσθήκῃ τῆς τοῦ θεοῦ δυνάμεως περιγίνεται. Βουλομέναις μὲν γὰρ ὁ θεὸς ταῖς ψυχαῖς συνεπιπνεῖ, εἰ δὲ ἀποσταῖεν τῆς προθυμίας καὶ τὸ δοθὲν ἐκ θεοῦ πνεῦμα συνεστάλη. Τὸ μὲν γὰρ ἄκοντας σώζειν ἐστὶ βιαζομένου, τὸ δὲ αἱρουμένους χαριζομένου. Οὐδὲ τῶν καθευδόντων καὶ βλακευόντων ἐστὶν ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ, ἀλλ᾽ „οἱ βιασταὶ ἁρπάζουσιν αὐτὴν“, αὕτη γὰρ μόνον βία καλὴ θεὸν βιάσασθαι καὶ παρὰ θεοῦ ζωὴν ἁρπάσαι· ὁ δὲ γνοὺς τοὺς βεβαίως μᾶλλον δὲ βιαίως ἀντεχομένους συνεχώρησεν, εἶξεν, χαίρει γὰρ ὁ θεὸς τὰ τοι-

fieri potest, ut salutem nanciscaris, modo quis ab iis opibus, quae in sensus cadunt, ad eas transferri patiatur, quae mente percipiuntur et deo docente cognoscuntur, discatque uti illis, quae promiscui usus sunt, bene et decenter, et tamquam qui ad vitam aeternam eniti sibi proposuerit. Quin et ipsi discipuli initio timore perculsi et attoniti erant, quum audirent. Cur nimirum? An forsitan, quia et ipsi multas nacti erant divitias? Verum ea ipsa quoque, retia et hamos et piscatorias scaphas, diu reliquerant, quae sola eorum erant. Quid igitur timentes dicunt: *quis potest salvus fieri?* Praeclare intellexerant, et ut discipulos decebat, quae per parabolam et obscurius a domino dicta erant et verborum altiorem sensum perceperant. Quoad pecuniarum abdicationem de salute bene sperabant; sed quia sibi conscii erant, se nondum perfecte passionibus abrenuntiasse, nam nuper demum disciplina imbui et recenter Salvatori nomen dare coeperant, supra modum perterrebantur et de se ipsi desperabant non minus quam locuples ille et maximopere divitiis addictus, quas aeternae adeo vitae praeposuit. Magno igitur terrore dignum discipulis esse videbatur, quod et qui divitias possidet et qui affectibus gravidus est uterque in divitum censu habendi, et ipsi proinde regni coelorum jacturam facturi essent. Animarum enim a passionibus immunium et purarum salus est.

Cap. 21. Dominus vero respondet: *quod impossibile penes homines possibile deo.* Et hoc rursus magnae sapientiae plenum est: quando enim per se suis viribus homo laborat et mentis tranquillitatem sectatur nihil perficit; simulac vero cognoscitur ardens ejus in his desiderium et studium divinae virtutis accessione votorum fit compos. Volentibus enim deus animabus per spiritum auxilium fert; sin vero a coepta animi alacritate remiserint datus etiam a deo spiritus retrahitur. Invitis enim salutem conferre cogentis est, volentibus autem liberaliter donantis. Neque dormientium et inertium regnum coelorum est, sed *violenti illud arripiunt.* Haec enim violen- Matth. 11, 12.
tia sola proba, qua deo vis infertur et a deo vita arripitur. Ille vero, cognitis qui strenue, imo violenter rei incumbunt,

αὔτα ἡττώμενος. Τοιγάρ τοι τούτων ἀκούσας ὁ μακάριος Πέτρος ὁ ἐκλεκτὸς, ὁ ἐξαίρετος, ὁ πρῶτος τῶν μαθητῶν, ὑπὲρ οὗ μόνου καὶ ἑαυτοῦ τὸν φόρον ὁ σωτὴρ ἐκτελεῖ, ταχέως ἥρπασε καὶ συνέβαλε τὸν λόγον. Καὶ τί φησιν; „ἴδε ἡμεῖς ἀφήκαμεν πάντα καὶ ἠκολουθήσαμέν σοι“. Τὰ δὲ πάντα εἰ μὲν τὰ κτήματα τὰ ἑαυτοῦ λέγει, τέσσαρας ὀβολοὺς ἴσως τοῦ λόγου καταλιπὼν, μεγαλύνεται καὶ τούτων ἀνταξίαν ἀποφαίνων ἂν λάθοι τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν. Εἰ δὲ, ἅπερ ἄχρι νῦν ἐλέγομεν, τὰ παλαιὰ νοητὰ κτήματα καὶ ψυχικὰ νοσήματα ἀποῤῥίψαντες ἕπονται κατ' ἴχνος τῷ διδασκάλῳ, τοῦτ' ἀνάπτοιτο ἤδη τοῖς ἐν οὐρανοῖς ἐγγραφησομένοις. Οὕτω γὰρ ἀκολουθεῖν ὄντως τῷ σωτῆρι ἀναμαρτησίαν καὶ τελειότητα τὴν ἐκείνου μετερχόμενον καὶ πρὸς ἐκείνην ὥσπερ κάτοπτρον κοσμοῦντα καὶ ῥυθμίζοντα τὴν ψυχὴν καὶ πάντα διὰ πάντων ὁμοίως διατεθέντα.

Cap. 22. „Ἀποκριθεὶς δὲ ὁ Ἰησοῦς· ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὃς ἂν ἀφῇ τὰ ἴδια, καὶ γονεῖς καὶ ἀδελφοὺς καὶ χρήματα, ἕνεκεν ἐμοῦ καὶ ἕνεκεν τοῦ εὐαγγελίου, ἀπολήψεται ἑκατονταπλασίονα“. Ἀλλὰ μηδὲ τοῦθ' ἡμᾶς ἐπιταρασσέτω μηδὲ τὸ ἔτι τούτου σκληρότερον ἀλλαχοῦ ταῖς φωναῖς ἐξενηνεγμένον· „ὃς οὐ μισεῖ πατέρα καὶ μητέρα καὶ παῖδας προσέτι δὲ καὶ τὴν ψυχὴν ἑαυτοῦ, ἐμὸς μαθητὴς εἶναι οὐ δύναται“. Οὐ γὰρ εἰσηγεῖται μῖσος καὶ διάλυσιν ἀπὸ τῶν φιλτάτων ὁ τῆς εἰρήνης θεὸς, ὅ γε καὶ τοὺς ἐχθροὺς ἀγαπᾶν παραινῶν. Εἰ δὲ τοὺς ἐχθροὺς ἀγαπητέον, ἀνάλογον ἀπ' ἐκείνων ἀνιόντι καὶ τοὺς ἐγγυτάτω γένους, ἢ εἰ μισητέον τοὺς πρὸς αἵματος, πολὺ μᾶλλον τοὺς ἐχθροὺς ἀποβάλλεσθαι κατιὼν ὁ λόγος διδάσκει. Ὥστε ἀλλήλους ἀναιροῦντες ἐλέγχοιντ' ἂν οἱ λόγοι; ἀλλ' οὐδ' ἀναιροῦσιν, οὐδ' ἐγγύς· ἀπὸ γὰρ τῆς αὐτῆς γνώμης καὶ διαθέσεως καὶ ἐπὶ τῷ αὐτῷ ὅρῳ πατέρα μισοίη τις ἂν ἐχθρὸν ἀγαπῶν, ὁ μήτε ἐχθρὸν ἀμυνόμενος μήτε πατέρα Χριστοῦ πλέον αἰδούμενος. Ἐν ἐκείνῳ μὲν γὰρ τῷ λόγῳ μῖσος ἐκκόπτει καὶ κακοποιίαν, ἐν τούτῳ δὲ τὴν πρὸς τὰ σύντροφα δυσωπίαν, εἰ βλάπτοι πρὸς σωτηρίαν. Εἰ γοῦν ἄθεος εἴη τινὶ πατὴρ ἢ υἱὸς ἢ ἀδελφὸς, καὶ κώλυμα τῆς πίστεως γένοιτο καὶ ἐμπόδιον τῆς ἄνω ζωῆς, τούτῳ μὴ συμφε-

concedere et cedere solet; amat enim deus in his se superari. Itaque cum haec audisset beatus Petrus, electus ille et eximius, princeps apostolorum, pro quo solo et seipso dominus Mtth. 17, 24 sqq.
tributum pendit, confestim arripuit (regnum) et computationem fecit. Et quid dixit? *Ecce nos reliquimus omnia et te* Matth. 19, 27.
secuti sumus. Haec omnia si de opibus suis intelligit, cum quatuor fortasse illos proverbii obolos reliquerat, justo nimium gloriatur, et si dignum horum pretium regnum coelorum pronuntiat, temere facit. Si vero, quae hactenus egimus, spiritualibus veteris hominis possessionibus et animalibus aegritudinibus abjectis vestigia magistri aliquis sequitur, hoc jam propius accederet ad illa quae in coelo sunt adscribenda. Hoc enim est vere salvatorem sequi, ut ad illius a peccatis immunitatem et perfectionem pervenire studeas, et ad hanc, velut speculum, animam exornes ac componas et in omnibus omnino illius similem te exhibeas.

CAP. 22. Respondens autem Jesus: *Amen vobis dico, qui* Marc. 10, 29.
deseruerit propria, et parentes et fratres et opes, propter me et propter evangelium, centuplum recuperabit. Sed neque hoc vos terreat, neque quod hoc durius aliubi verbis expressum est: *qui non odit patrem et matrem et liberos, praeterea et ani-* Luc. 14, 26.
mam suam, non potest esse discipulus meus. Non enim ad odium impellit et divortium a carissimis deus pacis, qui et inimicos diligere praecipit. Quodsi inimici diligendi sunt, congruenter ab eis ascendenti et qui genere sunt conjunctissimi; aut si odio habendi sunt consanguinei, multo magis verbum ab his descendens inimicos docet esse rejiciendos. Itaque invicem harum sententiarum altera alteram tollere deprehenderentur? Sed nec se tollunt invicem, nec videntur quidem. Ex eadem quippe animi sententia et dispositione et eadem lege patrem aliquis oderit et inimicum dilexerit, qui nec inimicum ulciscitur nec patrem plus Christo veretur. Nam illo quidem dicto odium excludit et mali faciendi cupiditatem, hoc vero reverentiam erga consanguineos, si saluti utraque officeret. Si ergo infidelis cuipiam pater aut frater aut filius extiterit, a quibus fides impediretur et

ρέσθω μηδὲ ὁμονοείτω, ἀλλὰ τὴν σαρκικὴν οἰκειότητα διὰ τὴν πνευματικὴν ἔχθραν διαλυσάτω.

Cap. 23. *Νόμισον εἶναι τὸ πρᾶγμα διαδικασίαν. Ὁ μὲν πατήρ σοι δοκείτω παρεστὼς λέγειν· ἐγὼ ἔσπειρα καὶ ἔθρεψα, ἀκολούθει μοὶ καὶ συναδίκει καὶ μὴ πείθου τῷ Χριστοῦ νόμῳ, καὶ ὅσα ἂν εἴποι βλάσφημος ἄνθρωπος καὶ νεκρὸς τῇ φύσει. Ἑτέρωθεν δὲ ἄκουε τοῦ σωτῆρος· ἐγώ σε ἀνεγέννησα κακῶς ὑπὸ κόσμου πρὸς θάνατον γεγεννημένον, ἠλευθέρωσα, ἰασάμην, ἐλυτρωσάμην· ἐγώ σοι δείξω θεοῦ πατρὸς ἀγαθοῦ πρόσωπον· μὴ κάλει σεαυτῷ πατέρα ἐπὶ γῆς· οἱ νεκροὶ τοὺς νεκροὺς θαπτέτωσαν, σὺ δέ μοι ἀκολούθει. Ἀνάξω γάρ σε εἰς ἀπόλαυσιν ἀῤῥήτων καὶ ἀλέκτων ἀγαθῶν, „ἃ μὴ ὀφθαλμὸς εἶδε μήτε οὖς ἤκουσε μήτε ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπων ἀνέβη", „εἰς ἃ ἐπιθυμοῦσιν ἄγγελοι παρακῦψαι καὶ ἰδεῖν ἅπερ ἡτοίμασεν ὁ θεὸς τοῖς ἁγίοις ἀγαθὰ καὶ τοῖς φιλοῦσιν αὐτὸν τέκνοις". Ἐγώ σου τροφεὺς ἄρτον ἐμαυτὸν διδούς, οὗ γευσάμενος οὐδεὶς ἔτι πεῖραν θανάτου λαμβάνει, καὶ πόμα καθ' ἡμέραν ἐνδιδοὺς ἀθανασίας· ἐγὼ διδάσκαλος ὑπερουρανίων παιδευμάτων ὑπέρ σου πρὸς τὸν θάνατον διηγωνισάμην καὶ τὸν σὸν ἐξέτισα θάνατον, ὃν ὤφειλες ἐπὶ τοῖς προημαρτημένοις καὶ τῇ πρὸς θεὸν ἀπιστίᾳ. Τούτων τῶν λόγων ἑκατέρωθεν διακούσας ὑπὲρ σεαυτοῦ δίκασον καὶ τὴν ψῆφον ἔνεγκε τῇ σεαυτοῦ σωτηρίᾳ. Κἂν ἀδελφὸς ὅμοια λέγῃ κἂν τέκνον κἂν γυνὴ κἂν ὅστις οὖν, πρὸ πάντων ἐν σοὶ Χριστὸς ὁ νικῶν ἔστω, ὑπέρ σου γὰρ ἀγωνίζεται.*

Cap. 24. *Δύνασαι καὶ τῶν χρημάτων ἐπίπροσθεν εἶναι. Φράσον, καὶ οὐκ ἀπάγει με Χριστὸς τῆς κτήσεως, ὁ κύριος οὐ φθονεῖ. Ἀλλ' ὁρᾷς σεαυτὸν ἡττώμενον ὑπ' αὐτῶν καὶ ἀνατρεπόμενον. Ἄφες, ῥῖψον, μίσησον, ἀπόταξαι, φύγε. „Κἂν ὁ δέξιός σου ὀφθαλμὸς σκανδαλίζῃ σε", ταχέως „ἔκκοψον αὐτόν", αἱρετώτερον ἑτεροφθάλμῳ βασιλεία θεοῦ ἢ ὁλοκλήρῳ τὸ πῦρ. Κἂν χεὶρ κἂν ποῦς κἂν ἡ ψυχή, μίσησον αὐτήν. Ἂν γὰρ ἐνταῦθα ἀπόληται ὑπὲρ Χριστοῦ,* ...... [ἐκεὶ σωθήσεται] [longior ut videtur lacuna in textu].

Cap. 25. *Ταύτης δὲ ὁμοίως ἔχεται τῆς γνώμης καὶ τὸ ἑπόμενον· „νῦν ἐν τῷ καιρῷ τούτῳ ἀγροὺς καὶ χρήματα καὶ*

vita coelestis constringeretur, cum his ne consentiat nec concordiam habeat, sed spiritalis inimicitiae causa carnalem consuetudinem solvat.

CAP. 23. Rem finge litis esse contestationem. Hac quidem videatur pater adstans dicere: „Ego te seminavi et nu„trivi, sequere me et mecum transgredere, nec Christi legi „obtempera", et quidquid hujus generis homo blasphemus et naturâ mortuus dixerit. Illac vero audi salvatorem: „Ego te „regeneravi a mundo ad mortem generatum, liberavi, sanavi, „redemi. Ego tibi monstrabo dei patris boni faciem. Noli „patrem tibi vocare in hac terra. *Mortui sepeliant mortuos,* Matth. 8, 22. „*tu vero me sequere.* Eveham enim te ad requiem bonorum „quae pronuntiari et edici nequeunt, *quae oculus non vidit nec* 1 Cor. 2, 9. „*auris audivit, nec in hominum cor ascenderunt; in quae angeli* 1 Petr. I, 12. „*intueri desiderant, et videre, quae Deus bona praeparavit* „*sanctis et sui amantibus liberis.*" Ego nutricius tuus, cum me ipsum panem praebeo, quem qui gustaverit mortis experientiam non faciet, et potum immortalitalis quotidie infundo. Ego supercoelestium disciplinarum magister pro te ad mortem usque dimicavi et tuam mortem expiavi, cujus reus eras peccatis ante actis et infidelitate erga deum. His utrimque sermonibus auditis jam pro te ipso judica, et quae saluti profutura existimas elige. Quodsi frater haec dixerit vel filius vel uxor vel quisquis alius, ante omnia in te Christus victoriam reportet, pro te enim pugnat.

CAP. 24. Potes et pecuniis prior esse. Dicito: non arcet Christus me a possessionibus; dominus non invidet. At vides te ab illis superari et abripi. Dimittito, projicito, odio habeto, abrennutiato, fugito! *Et si dexter tuus oculus te scandalizat,* Matth. 5, 29. quam primum *eruito eum!* Satius est, unoculum regno dei potiri, quam integrum in ignem projici. Et si manus, et si pes, et si anima, odio habeto ipsam. Quodsi enim hic Christi causa pereunt . . . . . . (*illic tamen salva erunt*).

CAP. 25. Eundem sensum habent et quae sequuntur: *nunc, in hoc tempore agros, pecuniam et fratres habere cum* Marc. 10, 30.

οἰκίας καὶ ἀδελφοὺς ἔχειν μετὰ διωγμῶν", οὔτε γὰρ ἀχρημάτους οὔτε ἀνεστίους οὔτε ἀναδέλφους ἐπὶ τὴν ζωὴν καλεῖ, ἐπεὶ καὶ πλουσίους κέκληκεν, ἀλλ' ὃν τρόπον προειρήκαμεν, καὶ ἀδελφοὺς κατ' αὐτόν, ὥσπερ Πέτρον μετ' Ἀνδρέου καὶ Ἰάκωβον μετὰ Ἰωάννου τοὺς Ζεβεδαίου παῖδας, ἀλλ' ὁμονοοῦντας ἀλλήλοις τε καὶ Χριστῷ. Τὸ δὲ μετὰ διωγμῶν ταῦτα ἕκαστα ἔχειν ἀποδοκιμάζει. Διωγμὸς δὲ ὁ μέν τις ἔξωθεν περιγίνεται, τῶν ἀνθρώπων ἢ δι' ἔχθραν ἢ διὰ φθόνον ἢ διὰ φιλοκερδίαν ἢ κατ' ἐνέργειαν διαβολικὴν τοὺς πιστοὺς ἐλαυνόντων, ὁ δὲ χαλεπώτατος ἔνδοθέν ἐστι διωγμός, ἐξ αὐτῆς ἑκάστῳ τῆς ψυχῆς προπεμπόμενος λυμαινομένης ὑπὸ ἐπιθυμιῶν ἀθέων καὶ ἡδονῶν ποικίλων καὶ φαύλων ἐλπίδων καὶ φθαρτῶν ὀνειροπολημάτων, ὅταν ἀεὶ τῶν πλειόνων ὀρεγομένη καὶ λυσσῶσα ὑπὸ ἀγρίων ἐρώτων καὶ φλεγομένη καθάπερ κέντροις ἢ μύωψι τοῖς προκειμένοις αὐτῇ πάθεσιν, ἐξαιμάσσηται πρὸς σπουδὰς μανιώδεις καὶ ζωῆς ἀπόγνωσιν καὶ θεοῦ καταφρόνησιν. Οὗτος ὁ διωγμὸς βαρύτερος καὶ χαλεπώτερος ἔνδοθεν ὁρμώμενος, ἀεὶ συνών, ὃν οὐδὲ ἐκφυγεῖν ὁ διωκόμενος δύναται, τὸν γὰρ ἐχθρὸν ἐν ἑαυτῷ περιάγει πανταχοῦ. Οὕτω καὶ πύρωσις ἡ μὲν ἔξωθεν προσπίπτουσα δοκιμασίαν κατεργάζεται, ἡ δὲ ἔνδοθεν θάνατον διαπράττεται· καὶ πόλεμος ὁ μὲν ἐπακτὸς ῥᾳδίως καταλύεται, ὁ δὲ ἐν τῇ ψυχῇ μέχρι θανάτου παραμετρεῖται. Μετὰ διωγμοῦ τοιούτου πλοῦτον ἐὰν ἔχῃς τὸν αἰσθητόν, κἂν ἀδελφοὺς τοὺς πρὸς αἵματος καὶ τὰ ἄλλα ἐνέχυρα, κατάλιπε τὴν τούτων παγκτησίαν τὴν ἐπὶ κακῷ, εἰρήνην σεαυτῷ παράσχες, ἐλευθερώθητι διωγμοῦ μακροῦ, ἀποστράφηθι πρὸς τὸ εὐαγγέλιον ἀπ' ἐκείνων, ἑλοῦ τὸν σωτῆρα πρὸ πάντων, τὸν τῆς σῆς συνήγορον καὶ παράκλητον ψυχῆς, τὸν τῆς ἀπείρου πρύτανιν ζωῆς. „Τὰ γὰρ βλεπόμενα πρόσκαιρα, τὰ δὲ μὴ βλεπόμενα αἰώνια" καὶ ἐν μὲν τῷ παρόντι χρόνῳ ὠκύμορα καὶ ἀβέβαια, ἐν τῷ ἐρχομένῳ δὲ ζωή ἐστιν αἰώνιος.

Cap. 26. „Ἔσονται οἱ πρῶτοι ἔσχατοι καὶ οἱ ἔσχατοι πρῶτοι". Τοῦτο πολύχουν μέν ἐστι κατὰ τὴν ὑπόνοιαν καὶ τὸν σαφισμόν, οὐ μὴν ἔν γε τῷ παρόντι τὴν ζήτησιν ἀπαιτεῖ, οὐ γὰρ μόνον ῥέπει πρὸς τοὺς πολυκτήμονας, ἀλλ' ἁπλῶς πρὸς ἅπαντας ἀνθρώπους τοὺς πίστει καθάπαξ ἑαυτοὺς ἐπιδιδόντας. Ὥστε

persecutionibus. Neque enim vocat ad vitam qui pecunia, nec qui lare et fratribus carent, cum divites etiam vocavit, sed eadem lege, quam supra statuimus, et fratres eadem, veluti Petrum cum Andrea et Jacobum cum Joanne, Zebedaei filios, verum inter se et cum Christo consentientes. Illud vero cum persecutionibus haec singula habere non probat. Persecutio vero alia extrinsecus accidit, hominibus fideles vel inimicitiae vel invidiae vel lucri causa vel diabolica suggestione persequentibus; sed alia gravissima persecutio intrinsecus est, ex ipsa cuivis anima exoriens, quae impiis desideriis et variis voluptatibus et improbis exspectationibus et inanibus somniis depravata est, quando plura semper habendi cupiditate exagitata, et ferinis desideriis ad rabiem adacta, et objectis libidinibus velut stimulis et aculeis exacerbata incenditur, quasi admotis calcaribus, ad furiosa studia, ad desperationem salutis et dei contemtionem. Haec tentatio gravior est et acerbior, intrinsecus scaturiens, semper praesens, quam qui tentatur effugere nequit; in se enim ipse quoquo versus hostem circumfert. Similiter etiam flagrantia extrinsecus accidens probationem operatur, intrinsecus vero mortem affert; et bellum forinsecus illatum facile compescitur, quod vero in anima est, ad mortem usque idem extenditur. Cum tali igitur tentatione si sensuales habes divitias, si fratres et ejusmodi reliqua pignora, relinque harum rerum possessionem, quae cum malo conjuncta est, pacem tibi compara, longa persecutione te ipse libera, converte te ad evangelium ab illis, elige prae omnibus salvatorem, animae tuae patronum ac solatium, aeternae vitae brabeuten. Quae enim conspiciuntur ad tempus durant, quae autem non conspiciuntur in omnem aeternitatem. Et in praesenti quidem tempore caduca (2 Cor. 4, 18.) sunt et infirma, in futuro autem aeterna est vita.

CAP. 26. *Erunt primi ultimi et ultimi primi.* Est hic locus (Marc. 10, 31.) si sensum reconditiorem et interpretationem spectas, multivariae explicationis; nunc vero in praesenti indagationem non requirit. Non enim ad solos divites spectat, sed simpliciter ad omnes homines, qui fidei semel nomen dant. Itaque

τοῦτο μὲν ἀνακείσθω τὰ νῦν, τὸ δέ γε προκείμενον ἡμῖν, οἶμαι μηδέν τι ἐνδεέστερον τῆς ἐπαγγελίας δεδεῖχθαι, ὅτι τοὺς πλουσίους οὐδένα τρόπον ὁ σωτὴρ κατ᾽ αὐτόν γε τὸν πλοῦτον καὶ τὴν περιβολὴν τῆς κτήσεως ἀποκέκλεικεν. Οὐδ᾽ αὐτοῖς ἀποτετάφρευκε τὴν σωτηρίαν, εἴ γε δύναιντο καὶ βούλοιντο ὑποκύπτειν τοῦ θεοῦ ταῖς ἐντολαῖς καὶ τῶν προσκαίρων προτιμῷεν τὴν ἑαυτῶν ζωὴν καὶ βλέποιεν πρὸς τὸν κύριον ἀτενεῖ τῷ βλέμματι, καθάπερ εἰς ἀγαθοῦ κυβερνήτου νεῦμα δεδορκότες, τί βούλεται, τί προστάσσει, τί σημαίνει, τί δίδωσι τοῖς αὐτοῦ ναύταις τὸ σύνθημα, ποῦ καὶ πόθεν τὸν ὅρμον ἐπαγγέλλεται. Τί γὰρ ἀδικεῖ τις, εἰ προσέχων τὴν γνώμην καὶ φειδόμενος πρὸ τῆς πίστεως βίον ἱκανὸν συνελέξατο; ἢ καὶ τὸ τούτου μᾶλλον ἀνέγκλητον, εἰ εὐθὺς ὑπὸ τοῦ θεοῦ τὴν ψυχὴν νέμοντος εἰς οἶκον τοιούτων ἀνθρώπων εἰσῳκίσθη καὶ γένος ἀμφιλαφές, τοῖς χρήμασιν ἰσχῦον καὶ τῷ πλούτῳ κρατοῦν; εἰ γὰρ διὰ τὴν ἀκούσιον ἐν πλούτῳ γένεσιν ἀπελήλαται ζωῆς, ἀδικεῖται μᾶλλον ὑπὸ τοῦ γειναμένου θεοῦ, προσκαίρου μὲν ἡδυπαθείας κατηξιωμένος, ἀϊδίου δὲ ζωῆς ἀπεστερημένος. Τί δὲ ὅλως πλοῦτον ἐχρῆν ἐκ γῆς ἀνατεῖλαί ποτε, εἰ χορηγὸς καὶ πρόξενός ἐστι θανάτου; ἀλλ᾽ εἰ δύναταί τις ἐνδοτέρῳ τῶν ὑπαρχόντων κάμπτειν τῆς ἐξουσίας καὶ μέτρια φρονεῖν καὶ σωφρονεῖν καὶ θεὸν μόνον ζητεῖν καὶ θεὸν ἀναπνεῖν καὶ θεῷ συμπολιτεύεσθαι, πτωχὸς οὗτος παρέστηκε ταῖς ἐντολαῖς, ἐλεύθερος, ἀήττητος, ἄνοσος, ἄτρωτος ὑπὸ χρημάτων. Εἰ δὲ μή, „θᾶττον κάμηλος διὰ βελόνης εἰσελεύσεται ἢ ὁ τοιοῦτος πλούσιος ἐπὶ τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ παρελεύσεται“. Σημαινέτω μὲν οὖν τι καὶ ὑψηλότερον ἡ κάμηλος διὰ στενῆς ὁδοῦ καὶ τεθλιμμένης φθάνουσα τὸν πλούσιον, ὅπερ ἐν τῇ ἀρχῶν καὶ θεολογίας ἐξηγήσει μυστήριον τοῦ σωτῆρος ὑπάρχει μαθεῖν.

Cap. 27. Οὐ μὴν ἀλλὰ τό γε φαινόμενον πρῶτον καὶ δι᾽ ὃ λέλεκται τῆς παραβολῆς παρεχέσθω. Διδασκέτω τοὺς εὐποροῦντας, ὡς οὐκ ἀμελητέον τῆς ἑαυτῶν σωτηρίας ὡς ἤδη προκατεγνωσμένοις, οὐδὲ καταποντιστέον αὖ πάλιν τὸν πλοῦτον οὔτε καταδικαστέον ὡς τῆς ζωῆς ἐπίβουλον καὶ πολέμιον, ἀλλὰ μαθητέον, τίνα τρόπον καὶ πῶς πλούτῳ χρηστέον καὶ τὴν ζωὴν κτητέον. Ἐπειδὴ γὰρ οὔτε ἐκ παντὸς ἀπόλλυταί τις, ὅτι πλουτεῖ, δεδιώς, οὔτε ἐκ

hoc nunc in medio relinquamus. Quod autem nobis propositum est, id ita demonstratum esse opinor, ut promissioni satisfecerimus: nullo scilicet modo salvatorem divites ipsius opulentiae et abundantiae causa a possessione excludere, nec salutem iis intercludere modo possint et velint dei legibus se subjicere, et rebus interituris vitam suam praeferant, et dominum fixis oculis intueantur, tamquam boni gubernatoris nutum expectantes, quid velit, quid jubeat, quid indicet, quam suis nautis det tesseram, ubi et unde portum pronuntiet. Quid enim injusti aliquis facit, qui antequam fidei nomen dederit, intensis animi viribus parsimoniae ope sufficientem victum acquisivit? Aut, quod magis etiam a culpa remotum est, si statim a deo, qui animas distribuit, in talium hominum domum immissus est, et in familiam florentem, opibus valentem et divitiis potentem? Si enim propterea, quod invitus in divitiis natus est, vita excluderetur, injuriam potius pateretur a deo creatore, caduca quidem prosperitate donatus, aeterna vero vita spoliatus. Quorsum omnino opus erat opes e terra pullulare, si mortis sunt auctrices atque promotrices. Sed si quis potest, evitatis divitiarum abundantiae ambagibus, prope ad ipsam metam currum flectere, et modesta sapere, et sobrius esse et deum solum quaerere, deum anhelare, cum deo vitam agere; hic tamquam pauper ad mandata dei accedit, liber, invictus, sanus, invulneratus a divitiis. Sin minus, *facilius camelus per acus foramen penetrabit, quam ejusmodi* Marc. 10, 25.
dives in regnum coelorum perveniet. Potest etiam reconditiorem et altiorem sensum habere camelus per arctam et angustam viam divitem antevertens, quod salvatoris mysterium e libro nostro *de principiorum et theologiae expositione* discere licet.

Cap. 27. Nos his ommissis sensum statim obvium et finem quo tendit parabola exponamus. Doceat locupletes, non negligendam esse ipsis salutis curam, quasi jam ad perniciem praedestinati essent; nec vero rursus opes pelago mergendas vel condemnandas, quasi vitae insidias et bellum pararent; sed discendum, qua ratione et quo modo illis utendum sit, ut vita potiamur. Quandoquidem enim omnino non in perniciem

παντὸς σώζεται θαῤῥῶν καὶ πιστεύων ὡς σωθήσεται, φέρε σκεπτέον ἥντινα τὴν ἐλπίδα αὐτοῖς ὁ σωτὴρ ὑπογράφει καὶ πῶς ἂν τὸ μὲν ἀνέλπιστον ἐχέγγυον γένοιτο, τὸ δὲ ἐλπισθὲν εἰς κτῆσιν ἀφίκοιτο. Φησὶν οὖν ὁ διδάσκαλος τίς ἡ μεγίστη τῶν ἐντολῶν ἠρωτημένος· „ἀγαπήσεις τὸν κύριον τὸν θεόν σου ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς σοὺ καὶ ἐξ ὅλης τῆς δυνάμεώς σου“, ταύτης μείζω μηδεμίαν ἐντολὴν εἶναι· καὶ μάλα εἰκότως. Καὶ γὰρ καὶ περὶ τοῦ πρώτου καὶ περὶ τοῦ μεγίστου παρήγγελται, αὐτοῦ τοῦ θεοῦ πατρὸς ἡμῶν, δι' οὗ καὶ γέγονε καὶ ἔστι τὰ πάντα καὶ εἰς ὃν τὰ σωζόμενα πάλιν ἐπανέρχεται. Ὑπὸ τούτου τοίνυν προαγαπηθέντας καὶ τοῦ γενέσθαι τυχόντας οὐχ ὅσιον ἄλλο τι πρεσβύτερον ἄγειν καὶ τιμιώτερον, ἐκτίνοντας μόνην τὴν χάριν ταύτην μικρὰν ἐπὶ μεγίστοις, ἄλλο δὲ μηδ' ὁτιοῦν ἔχοντας ἀνενδεεῖ καὶ τελείῳ θεῷ πρὸς ἀμοιβὴν ἐπινοῆσαι, αὐτῷ δὲ τῷ ἀγαπᾶν τὸν πατέρα εἰς οἰκείαν ἰσχὺν καὶ δύναμιν ἀφθαρσίας κομιζομένους. Ὅσον γὰρ ἀγαπᾷ τις τὸν θεὸν, τοσούτῳ καὶ πλέον ἐνδοτέρῳ τοῦ θεοῦ παραδύεται.

Cap. 28. *Δευτέραν δὲ τάξει καὶ οὐδέν τι μικροτέραν ταύτης εἶναι λέγει τὸ „ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σοὺ ὡς σεαυτόν“· οὐκοῦν τὸν θεὸν ὑπὲρ σεαυτόν. Πυνθανομένου δὲ τοῦ προσδιαλεγομένου, τίς ἐστί μου πλησίον“; οὐ τὸν αὐτὸν τρόπον Ἰουδαίοις προωρίσατο τὸν πρὸς αἵματος οὐδὲ τὸν πολίτην οὐδὲ τὸν προσήλυτον οὐδὲ τὸν ὁμοίως περιτετμημένον οὐδὲ τὸν ἑνὶ καὶ ταυτῷ νόμῳ χρώμενον, ἀλλὰ ἄνωθεν καταβαίνοντα ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ ἄγει τῷ λόγῳ τινὰ εἰς Ἱεριχὼ καὶ τοῦτον δείκνυσιν ὑπὸ λῃστῶν συγκεκεντημένον, ἐῤῥιμμένον ἡμιθνῆτα ἐπὶ τῆς ὁδοῦ, ὑπὸ ἱερέως παροδευόμενον, ὑπὸ Λευίτου παρορώμενον, ὑπὸ δὲ τοῦ Σαμαρίτου τοῦ ἐξωνειδισμένου καὶ ἀφωρισμένου κατελεούμενον. Ὃς οὐχὶ κατὰ τύχην ὡς ἐκεῖνοι παρῆλθον, ἀλλ' ἧκεν ἐσκευασμένος ὧν ὁ κινδυνεύων ἐδεῖτο, οἶνον, ἔλαιον, ἐπιδέσμους, κτῆνος, μισθὸν τῷ πανδοχεῖ, τὸν μὲν ἤδη διδόμενον, τὸν δὲ προσυπισχνούμενον. „Τίς“, ἔφη, „τούτων γέγονε πλησίον τῷ τὰ δεινὰ παθόντι“; τοῦ δὲ ἀποκριναμένου· „ὁ τὸν ἔλεον πρὸς αὐτὸν*

quis datur propter divitias, etiamsi timeat, nec omnino salutem adipiscitur, quod salvum se fore credit et confidit, age consideremus, quam et qualem spem salvator iis oppignoret, et quomodo, quod extra spem positum videtur, pignore confirmetur, et quod speratur in possessionem veniat. Dicit igitur magister interrogatus, quod maximum sit inter mandata: *diliges dominum deum tuum ex tota anima tua et ex* Luc. 10, 25 sqq. *totis viribus tuis.* Hocce majus nullum mandatum esse; et jure meritoque. Nam et de primo et de maximo latum est, de ipso scilicet deo, patre nostro, per quem facta sunt et existunt omnia, et in quem rursus, quaecumque salva fiunt, revertuntur. Qui igitur ab hoc ante dilecti sunt et existentiam adepti, eos nefas est aliud quidquam antiquius et praestantius habere; cum hanc duntaxat exiguam gratiam pro maximis beneficiis referamus, et nihil aliud habeamus, quod excogitari possit, ut deo nullius rei indigenti et perfecto in compensationem retribuatur; et cum insuper hoc ipso erga patrem amore ad propriam incorruptionis vim et dignitatem evehamur. Quanto enim quis ardentius deum diligit, tanto intimius quasi in ipsum deum penetrat.

CAP. 28. Alterum autem ordine, nec quicquam priore minus ait esse mandatum: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Deum ergo supra te ipsum. Percontante autem eo cum quo colloquebatur: *et quis est proximus meus?* non eodem modo quo Judaei definivit consanguineum, civem, proselytum nec similiter circumcisum, nec una eademque lege usum; sed hominem in sermone suo inducit ab Hierosolymis Hierichuntem descendentem, et hunc depingit a latronibus confossum, projectum semivivum in via, a sacerdote neglectum, a Levita despectum, a Samaritano vero, contemto illo ac segregato, misericordia exceptum, qui non, velut illi transierant, casu venit, sed illis instructus quae versanti illi in periculo necessaria erant, scilicet oleo, alligaturis, jumento, mercede hospiti et illico soluta et postea promissa. *Quis horum,* ait, *proximus fuit illi, qui tam dira passus erat.* Cumque ille respondisset: *qui misericordiam illi fecit; et tu,* inquit, *pro-*

ἐπιδειξάμενος· καὶ σὺ τοίνυν πορευθεὶς οὕτω ποίει“ ὡς τῆς ἀγάπης βλαστανούσης εὐποιίαν.

Cap. 29. Ἐν ἀμφοτέραις μὲν οὖν ταῖς ἐντολαῖς ἀγάπην εἰσηγεῖται, τάξει δ' αὐτὴν διῄρηκε καὶ ὅπου μὲν τὰ πρωτεῖα τῆς ἀγάπης ἀνάπτει τῷ θεῷ, ὅπου δὲ τὰ δευτερεῖα νέμει τῷ πλησίον. Τίς δ' ἂν ἄλλος εἴη πλὴν αὐτὸς ὁ σωτήρ; ἢ τίς μᾶλλον ἡμᾶς ἐλεήσας ἐκείνου τοὺς ὑπὸ τῶν κοσμοκρατόρων τοῦ σκότους ὀλίγου τεθανατωμένους τοῖς πολλοῖς τραύμασι, φόβοις, ἐπιθυμίαις, ὀργαῖς, λύπαις, ἀπάταις, ἡδοναῖς; Τούτων δὲ τῶν τραυμάτων μόνος ἰατρὸς Ἰησοῦς, ἐκκόπτων ἄρδην τὰ πάθη πρόῤῥιζα, οὐχ ὥσπερ ὁ νόμος ψιλὰ τὰ ἀποτελέσματα, τοὺς καρποὺς τῶν πονηρῶν φυτῶν, ἀλλὰ τὴν ἀξίνην τὴν ἑαυτοῦ πρὸς τὰς ῥίζας τῆς κακίας προσαγαγών. Οὗτος ὁ τὸν οἶνον, τὸ αἷμα τῆς ἀμπέλου τῆς Δαβίδ, ἐκχέας ἡμῶν ἐπὶ τὰς τετρωμένας ψυχάς, ὁ τὸν ἐκ σπλάγχνων πατρὸς ἔλεον προσενεγκὼν καὶ ἐπιδαψιλευόμενος, οὗτος ὁ τοὺς τῆς ὑγείας καὶ σωτηρίας δεσμοὺς ἀλύτους ἐπιδείξας, ἀγάπην, πίστιν, ἐλπίδα, οὗτος ὁ διακονεῖν ἀγγέλους καὶ ἀρχὰς καὶ ἐξουσίας ἡμῖν ἐπιτάξας ἐπὶ μεγάλῳ μισθῷ, διότι καὶ αὐτοὶ ἐλευθερωθήσονται ἀπὸ τῆς ματαιότητος τοῦ κόσμου παρὰ τὴν ἀποκάλυψιν τῆς δόξης τῶν υἱῶν τοῦ θεοῦ. Τοῦτον οὖν ἀγαπᾶν ἴσα χρὴ τῷ θεῷ. Ἀγαπᾷ δὲ Χριστὸν Ἰησοῦν ὁ τὸ θέλημα αὐτοῦ ποιῶν καὶ φυλάσσων αὐτοῦ τὰς ἐντολάς. „Οὐ γὰρ πᾶς ὁ λέγων μοὶ κύριε κύριε εἰσελεύσεται εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, ἀλλ' ὁ ποιῶν τὸ θέλημα τοῦ πατρός μου“. Καὶ „τί με λέγετε κύριε κύριε, καὶ οὐ ποιεῖτε ἃ λέγω“; καὶ „ὑμεῖς μακάριοι οἱ ὁρῶντες καὶ ἀκούοντες, ἃ μήτε δίκαιοι μήτε προφῆται“, ἐὰν ποιῆτε ἃ λέγω.

Cap. 30. Πρῶτος μὲν οὖν οὗτός ἐστιν ὁ Χριστὸν ἀγαπῶν, δεύτερος δὲ ὁ τοὺς εἰς ἐκεῖνον πεπιστευκότας τιμῶν καὶ περιέπων. Ὃ γὰρ ἄν τις εἰς μαθητὴν ἐργάσηται, τοῦτο εἰς ἑαυτὸν ὁ κύριος ἐκδέχεται καὶ πᾶν ἑαυτοῦ ποιεῖται. „Δεῦτε οἱ εὐλογημένοι τοῦ πατρός μου, κληρονομήσατε τὴν ἡτοιμασμένην ὑμῖν βασιλείαν ἀπὸ καταβολῆς τοῦ κόσμου. Ἐπείνασα γὰρ καὶ ἐδώκατέ μοι φαγεῖν, ἐδίψησα καὶ ἐδώκατέ μοι πιεῖν, καὶ ξένος ἤμην καὶ συνηγάγετέ με, γυμνὸς ἤμην καὶ ἐνεδύσατέ με, ἠσθένησα καὶ ἐπεσκέψασθέ με, ἐν

ficiscere, et similiter age, tamquam caritate beneficentiam generante.

CAP. 29. In utroque igitur mandato caritatem tractat, ordine tamen ipsam diversam facit, et illic quidem primas partes amoris deo confert, hic vero secundas proximo tribuit. Quis vero hic alius esse potest, nisi ipse salvator? aut quis illo majorem nobis misericordiam testatus est, a principibus mundanarum tenebrarum paene per multa vulnera interemtis, per timores, per cupiditates, per iras, per moerores, per fraudes, per voluptates? Horum vero vulnerum solus medicus est Jesus, qui radicitus passiones prorsus exscindit, non legis instar solos effectus, pravarum plantarum fructus, sed ipsis radicibus malitiae securim suam admovens. Hic est, qui vinum, Davidicae vitis sanguinem, super animabus nostris sauciis effudit, qui e patris visceribus misericordiam attulit atque largiter distribuit; hic est qui sanitatis et salutis alligaturas, amorem, fidem et spem, indissolubiles effecit; hic est, qui angelos et principatus et potestates ad ministerium nobis praestandum adegit, magna mercede, quia et ipsi liberabuntur a mundi vanitate, quando revelabitur gloria filiorum dei. Hunc igitur aeque diligere oportet ac deum; diligit autem Christum, qui facit voluntatem ejus et mandata ejus servat. *Non enim* Matth. 7, 21.
quicumque mihi dicit domine domine intrabit in regnum coelo- Luc. 6, 46.
rum, sed qui facit voluntatem patris mei; et: *quid me dicitis* Matth. 13, 16 sq.
domine domine, et non facitis quae dico? et: *Vos beati, qui* Luc. 10, 23 sq.
videtis et auditis quae neque justi neque prophetae viderunt, si feceritis ea, quae dico.

CAP. 30. Primus igitur hic est, qui Christum diligit, secundus, qui honorat et prosequitur eos, qui in illum credunt. Quod enim discipulo quis praestiterit, id sibi factum dominus accipit et totum sibi vindicat. *Venite benedicti patris mei,* Matth. 25, 34 sqq.
potimini regno inde a creatione mundi vobis parato. Esurivi enim, et cibum mihi porrexistis; sitivi, et potum mihi ministrastis; peregrinus fui et me hospitio excepistis; nudus fui et vestibus me exstruxistis; aegrotus fui et visitastis me, in carcere fui et venistis ad me. Tunc respondebunt ei justi dicentes: domine

φυλακῇ ἤμην καὶ ἤλθετε πρός με. Τότε ἀποκριθήσονται αὐτῷ οἱ δίκαιοι, λέγοντες· κύριε, πότε σε εἴδομεν πεινῶντα καὶ ἐθρέψαμεν; ἢ διψῶντα καὶ ἐποτίσαμεν; πότε δὲ εἴδομέν σε ξένον καὶ συνηγάγομεν; ἢ γυμνὸν καὶ περιεβάλομεν; ἢ πότε σε εἴδομεν ἀσθενοῦντα καὶ ἐπεσκεψάμεθα; ἢ ἐν φυλακῇ καὶ ἤλθομεν πρός σε; ἀποκριθεὶς ὁ βασιλεὺς ἐρεῖ αὐτοῖς· ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐφ᾽ ὅσον ἐποιήσατε ἑνὶ τούτων τῶν ἀδελφῶν μοὺ τῶν ἐλαχίστων, ἐμοὶ ἐποιήσατε". Πάλιν ἐκ τῶν ἐναντίων τοὺς ταῦτα μὴ παρασχόντας. Καὶ ἀλλαχοῦ· „ὁ ὑμᾶς δεχόμενος ἐμὲ δέχεται, ὁ ὑμᾶς μὴ δεχόμενος ἐμὲ ἀθετεῖ".

Cap. 31. Τούτους καὶ τέκνα καὶ παιδία καὶ νήπια καὶ φίλους ὀνομάζει, καὶ μικροὺς ἐνθάδε ὡς πρὸς τὸ μέλλον ἄνω μέγεθος αὐτῶν, „μὴ καταφρονήσητε" λέγων „ἑνὸς τῶν μικρῶν τούτων, τούτων γὰρ οἱ ἄγγελοι διὰ παντὸς βλέπουσι τὸ πρόσωπον τοῦ πατρός μου ἐν οὐρανοῖς"· καὶ ἑτέρωθι· „μὴ φοβεῖσθε τὸ μικρὸν ποίμνιον, ὑμῖν γὰρ ηὐδόκησεν ὁ πατὴρ παραδοῦναι τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν". Κατὰ τὰ αὐτὰ καὶ τοῦ μεγίστου ἐν γεννητοῖς γυναικῶν Ἰωάννου τὸν ἐλάχιστον ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν, τουτέστι τὸν ἑαυτοῦ μαθητήν, εἶναι μείζω λέγει. Καὶ πάλιν· „ὁ δεχόμενος δίκαιον ἢ προφήτην εἰς ὄνομα δικαίου ἢ προφήτου τὸν ἐκείνων μισθὸν λήψεται, ὁ δὲ μαθητὴν ποτίσας εἰς ὄνομα μαθητοῦ ποτήριον ψυχροῦ ὕδατος, τὸν μισθὸν οὐκ ἀπολέσει". Οὐκοῦν οὗτος μόνος ὁ μισθὸς οὐκ ἀπολλύμενός ἐστι. Καὶ αὖθις· „ποιήσατε ὑμῖν φίλους ἐκ τοῦ μαμμωνᾶ τῆς ἀδικίας, ἵνα ὅταν ἐκλίπητε, δέξωνται ὑμᾶς εἰς τὰς αἰωνίους σκηνάς". Φύσει μὲν ἅπασαν κτῆσιν, ἣν αὐτός τις ἐφ᾽ ἑαυτοῦ κέκτηται, ὡς ἰδίαν οὖσαν ἀποφαίνων, ἐκ δὲ ταύτης τῆς ἀδικίας ἐνὸν καὶ πρᾶγμα δίκαιον ἐργάσασθαι καὶ σωτήριον, ἀναπαῦσαί τινα τῶν ἐχόντων αἰώνιον σκηνὴν παρὰ τῷ πατρί. Ὅρα πρῶτον μέν, ὡς οὐκ ἀπαιτεῖσθαί σε κεκέλευκεν οὐδ᾽ ἐνοχλεῖσθαι περιμένειν, ἀλλ᾽ αὐτὸν ζητεῖν τοὺς εὖ πεισομένους ἀξ[illegible] τε ὄντας τοῦ σωτῆρος μαθητάς. Καλὸς μὲν οὖν καὶ ὁ τοῦ αποστόλου λόγος· „ἱλαρὸν γὰρ δότην ἀγαπᾷ ὁ θεὸς", χαίροντα τῷ διδόναι καὶ μὴ φειδόμενον, ὡς σπείροντα, ἵνα μὴ οὕτω καὶ θερίσῃ, δίχα γογ-

quando te vidimus esurientem et satiavimus te? vel sitientem, et potum tibi praebuimus? vel quando te vidimus peregrinantem et hospitio excepimus? vel nudum et vestivimus? vel quando te vidimus aegrotantem, et visitavimus? vel in carcere, et ad te venimus? Et respondens rex dicet illis: amen vobis dico, quodcumque fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Rursus e contrario illos (alloquetur), qui haec non praestite-
runt. Et alio loco: *qui vos recipit, me recipit, et qui vos non* Matth. 10, 40.
recipit, me aspernatur. Luc. 10, 16.

Cap. 31. Hos vocat et filios et liberos et infantes et amicos et parvulos in hac terra, respiciens ad futuram in coelis
eorum magnitudinem, *nolite*, inquiens, *contemnere unum ex* Matth. 18, 10.
his parvulis, eorum enim angeli semper vident faciem patris
mei in coelis; et alio loco: *Nolite timere, grex pusille, vobis* Luc. 12, 32.
enim regnum coelorum dare beneplacitum est patris mei. Hac
eadem ratione etiam Joanne, inter natos mulierum maximo, Matth. 11, 11.
minimum in regno coelorum, i. e. suum discipulum, majorem
esse dicit; et rursus: *Qui recipit justum aut prophetam in* Matth. 10, 41.
nomine justi aut prophetae, illorum mercedem nanciscetur; qui vero discipulum in nomine discipuli calice aquae frigidae recrea-
verit, mercedem non perdet, et alibi: *facite vobis amicos de* Luc. 16, 9.
mammona iniquitatis, ut cum defeceritis recipiant vos in aeterna tabernacula, — ita declarans, naturae jure omnem possessionem, quam quis sibi pro se ipse comparaverit, propriam quidem esse, sed hac ipsa ex iniquitate licitum esse opus justum et salutare praestare, ut nempe eorum aliquem reficias ac sustentes, qui aeternum apud patrem tabernaculum nacti sunt. Considera primum, Christum non te jussisse, ut expectes donec a te exigant et importuni tibi fiant, sed ut tu ipse quaeras et scruteris tales, qui bene sint obedituri et digni salv[illegible] discipuli existant. Praeclarus igitur apostoli
sermo: *hilarem enim datorem deus diligit*, i. e. talem, qui ipso 2 Cor. 9, 7.
dando delectatur, qui non parcus est in seminando, ne ita et metat, sine murmuratione, sine cunctatione, sine moestitia, quae

γυσμοῦ καὶ διακρίσεως καὶ λύπης, καὶ κοινωνοῦντα, ὅπερ ἐστὶν εὐεργεσία καθαρά. Κρείττων δ' ἐστὶ τούτου ὁ τῷ κυρίῳ λελεγμένος ἐν ἄλλῳ χωρίῳ, „παντὶ τῷ αἰτοῦντί σε δίδου". Θεοῦ γὰρ ὄντως ἡ τοιαύτη φιλοδωρεά· οὑτοσὶ δὲ ὁ λόγος ὑπὲρ ἅπασάν ἐστι θεότητα μηδ' αἰτεῖσθαι περιμένειν, ἀλλ' αὐτὸς ἀναζητεῖν, ὅστις ἄξιος εὖ παθεῖν.

Cap. 32. Ἔπειτα τηλικοῦτον μισθὸν ὁρίσαι τῆς κοινωνίας αἰώνιον σκηνήν· ὢ καλῆς ἐμπορίας, ὢ θείας ἀγορᾶς. Ὠνεῖται χρημάτων τις ἀφθαρσίαν καὶ δοὺς τὰ διολλύμενα τοῦ κόσμου μονὴν τούτων αἰώνιον ἐν οὐρανοῖς ἀντιλαμβάνει. Πλεῦσον ἐπὶ ταύτην, ἂν σωφρονῇς, τὴν πανήγυριν, ὦ πλούσιε, κἂν δέῃ, περίελθε τὴν ὅλην, μὴ φείσῃ κινδύνων καὶ πόνων, ἵν' ἐνταῦθα βασιλείαν οὐράνιον ἀγοράσῃς. Τί σε λίθοι διαφανεῖς καὶ σμαραγδοὶ τοσοῦτον εὐφραίνουσι καὶ οἰκεῖα τροφὴ πυρὸς ἢ χρόνου παίγνιον ἢ σεισμοῦ πάρεργον ἢ ὕβρισμα τυράννου; ἐπιθύμησον ἐν οὐρανοῖς οἰκῆσαι καὶ βασιλεῦσαι μετὰ θεοῦ. Ταύτην σοὶ τὴν βασιλείαν ἄνθρωπος δώσει θεὸν ἀπομιμούμενος, ἐνταῦθα μικρὰ λαβὼν ἐκεῖ δι' ὅλων αἰώνων σύνοικόν σε ποιήσεται· ἱκέτευσον ἵνα λάβῃς. Σπεῦσον, ἀγωνίασον, φοβήθητι μή σε ἀτιμάσῃ, οὐ γὰρ κεκέλευσται λαβεῖν, ἀλλά σε παρασχεῖν. Οὐ μὴν οὐδ' εἶπεν ὁ κύριος· δὸς ἢ παράσχες ἢ εὐεργέτησον ἢ βοήθησον· „φίλον δὲ ποίησαι", ὁ δὲ φίλος οὐκ ἐκ μιᾶς δόσεως, ἀλλὰ συνουσίας μακρᾶς. Οὐδὲ γὰρ ἡ πίστις οὔτε ἡ ἀγάπη οὔτε ἡ καρτερία μιᾶς ἡμέρας, ἀλλ' „ὁ ὑπομείνας εἰς τέλος, οὗτος σωθήσεται".

Cap. 33. Πῶς οὖν ὁ ἄνθρωπος ταῦτα δίδωσι; δώσω γὰρ οὐ μόνον τοῖς φίλοις, ἀλλὰ καὶ τοῖς φίλοις τῶν φίλων. Καὶ τίς οὗτός ἐστιν ὁ φίλος τοῦ θεοῦ; σὺ μὲν μὴ κρῖνε τίς ἄξιος ἢ τίς ἀνάξιος, ἐνδέχεται γάρ σε διαμαρτεῖν περὶ τὴν δόξαν. Ὡς ἐν ἀμφιβόλῳ δὲ τῆς ἀγνοίας, ἄμεινον καὶ τοὺς ἀναξίους εὖ ποιεῖν διὰ τοὺς ἀξίους ἢ φυλασσομένους τοὺς ἧσσον ἀγαθοὺς μηδὲ τοῖς σπουδαίοις περιπεσεῖν. Ἐκ μὲν γὰρ τοῦ φείδεσθαι καὶ προσποιεῖσθαι δοκιμάζειν τοὺς εὐλόγως ἢ μὴ τευξομένους ἐνδέχεταί σε καὶ θεοφιλῶν ἀμελῆσαι τιμῶν· οὗ τὸ ἐπιτίμιον κόλασις ἔμπυρος αἰώνιος. Ἐκ δὲ τοῦ προσίεσθαι πᾶσιν ἑξῆς τοῖς χρῄζουσιν ἀνάγκη πάντως εὑρεῖν τινὰ καὶ τῶν σῶσαι παρὰ θεῷ δυναμένων. „Μὴ κρῖνε" τοίνυν, „ἵνα μὴ κριθῇς, ᾧ μέτρῳ μετρεῖς, τούτῳ καὶ ἀντιμε-

est beneficentia pura; sed praeclarius est, quod ipse salvator alio loco dicit: omni roganti te dato. Dei enim vere ejusmodi est in dando liberalitas. Sed illud praeceptum ipsa deitate majus est, ut ne expectes donec rogeris, sed ipse inquiras quis beneficio sit dignus.

CAP. 32. Deinde tantam liberalitatis mercedem statuere, aeternum tabernaculum! O pulcram negotiationem, o divinam mercaturam! Emit quis opum incorruptionem, et renuntians saeculi rebus quae intereunt aeternam in coelis possessionem commutando acquirit! Ad has, o dives, nundinas, si sapis, cursum navigii dirige; si opus est, totam terram circumvehere! Noli parcere periculis ac laboribus, ut hic coeleste regnum tibi compares. Quid te lapilli pellucidi, quid smaragdi delectant, quid res familiaris, ignis pabulum, seu temporis ludibrium, seu facilis terrae motus praeda, seu tyranni rapina? In coelis ut habites stude, et ut regnes cum deo. Hanc tibi dominationem homo deum imitatus conciliabit; hic paucis potitus illic per omnia saecula contubernalem te efficiet; supplica ut illuc pervenias. Festina, enitere, time ne ille te aspernetur; non enim jussus est ille ut accipiat, sed tu ut reddas. Quin ne hoc quidem dixit dominus: dato, praebeto, benefacito, adjuvato, sed: *amicum tibi comparato.* Amicus autem non una largitione acquiritur sed longa familiaritate. Nam neque fides aut caritas aut constantia unius diei, sed: *qui perseveravit usque ad finem ille salvabitur.*

CAP. 33. Quomodo igitur homo haec conciliat? Dabo enim non solum amicis, sed et amicorum amicis. Ecquisnam vero hic est dei amicus? Tu quidem fuge judicare quis dignus sit aut indignus; fieri enim potest, ut opinione tua in errorem incidas. Ita vero cum ignorantia in incerto versatur, melius erit et indignis benefacere dignorum gratia, quam caventem minus bonos praeterlabi et bene meritos. Inde enim quod cunctaris et praetendis examinare, qui jure necne accepturi sint, facile fieri potest, ut debitos amicis dei honores negligas, quod punitur aeterno supplicio ignis. Quodsi vero omnes qui indigeant deinceps admittis, necesse est, ut in tales quoque incidas, qui penes deum salutem tibi conciliare queant. *Noli*

τηρηθήσεταί σοι. Μέτρον καλὸν πεπιεσμένον καὶ σεσαλευμένον, ὑπερεκχυνόμενον ἀποδοθήσεταί σοι“. Πᾶσιν ἄνοιξον τὰ σπλάγχνα τοῖς τοῦ θεοῦ μαθηταῖς ἀπογεγραμμένοις, μὴ πρὸς σῶμα ἀπιδὼν ὑπερόπτως, μὴ πρὸς ἡλικίαν ἀμελῶς διατεθείς· μηδ' εἴ τις ἀκτήμων ἢ δυσείμων ἢ δυσειδὴς ἢ ἀσθενὴς φαίνεται πρὸς τοῦτο τῇ ψυχῇ δυσχεράνῃς καὶ ἀποστραφῇς. Σχῆμα τοῦτ' ἔστιν ἔξωθεν ἡμῖν περιβεβλημένον τῆς εἰς κόσμον παρόδου πρόφασις, ἵνα εἰς τὸ κοινὸν τοῦτο παιδευτήριον εἰσελθεῖν δυνηθῶμεν· ἀλλ' ἔνδον ὁ κρυπτὸς ἐνοικεῖ πατὴρ καὶ ὁ τούτου παῖς ὁ ὑπὲρ ἡμῶν ἀποθανὼν καὶ μεθ' ἡμῶν ἀναστάς.

CAP. 34. Τοῦτο τὸ σχῆμα βλεπόμενον ἐξαπατᾷ τὸν θάνατον καὶ τὸν διάβολον, ὁ γὰρ ἐντὸς πλοῦτος, τὸ κάλλος, αὐτοῖς ἀθέατός ἐστι. Καὶ μαίνονται περὶ τὸ σαρκίον, οὗ καταφρονοῦσιν ὡς ἀσθενοῦς, τῶν ἔνδον ὄντες τυφλοὶ κτημάτων, οὐκ ἐπιστάμενοι πηλίκον τινὰ *„θησαυρὸν ἐν ὀστρακίνῳ σκεύει“* βαστάζομεν, δυνάμει θεοῦ πατρὸς καὶ αἵματι θεοῦ παιδὸς καὶ δρόσῳ πνεύματος ἁγίου περιτετειχισμένον. Ἀλλὰ σύ γε μὴ ἐξαπατηθῇς ὁ γεγευμένος ἀληθείας καὶ κατηξιωμένος τῆς μεγάλης λυτρώσεως, ἀλλὰ τὸν ἐναντίον τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις σεαυτῷ κατάλεξον στρατὸν ἄοπλον, ἀπόλεμον, ἀναίμακτον, ἀόργητον, ἀμίαντον, γέροντας θεοσεβεῖς, ὀρφανοὺς θεοφιλεῖς, χήρας πρᾳότητι ὡπλισμένας, ἄνδρας ἀγάπῃ κεκοσμημένους. Τοιούτους κτῆσαι τῷ σῷ πλούτῳ καὶ τῷ σώματι καὶ τῇ ψυχῇ δορυφόρους, ὧν στρατηγεῖ θεὸς, δι' οὓς καὶ ναῦς βαπτιζομένη κουφίζεται μόναις ἁγίων εὐχαῖς κυβερνωμένη, καὶ νόσος ἀκμάζουσα δαμάζεται χειρῶν ἐπιβολαῖς διωκομένη, καὶ προσβολὴ λῃστῶν ἀφοπλίζεται εὐχαῖς εὐσεβέσι σκυλευομένη, καὶ δαιμόνων βία θραύεται προστάγμασι συντόνοις ἐλεγχομένη.

CAP. 35. Ἐν ἔργοις οὗτοι πάντες οἱ στρατιῶται καὶ φύλακες βέβαιοι, οὐδεὶς ἀργὸς, οὐδεὶς ἀχρεῖος. Ὁ μὲν ἐξαιτήσασθαί σε δύναται παρὰ θεοῦ, ὁ δὲ παραμυθήσασθαι κάμνοντα, ὁ δὲ δακρῦσαι καὶ στενάξαι συμπαθῶς ὑπέρ σου πρὸς τὸν κύριον τῶν ὅλων, ὁ δὲ διδάξαι τι τῶν πρὸς τὴν σωτηρίαν χρησίμων, ὁ δὲ νουθετῆσαι μετὰ παῤῥησίας, ὁ δὲ συμβουλεῦσαι μετ' εὐνοίας, πάντες δὲ φιλεῖν ἀληθῶς, ἀδόλως, ἀφόβως, ἀνυποκρίτως, ἀκολακεύτως, ἀπλάστως. Ὦ γλυκεῖα θεραπεία φιλούντων, ὦ μακάριοι διακονίαι θαῤῥούν-

itaque *judicare, ut ne judiceris; qua mensura mensus fueris* Matth. 7, 1.
mensuram rursus patieris; mensura bona, conferta et coagitata Luc. 6, 38.
et superfluens reddetur tibi. Cunctis corda aperi, qui dei discipulis adscripti sunt; noli fastidiose corpus respicere nec pro conditione negligenter tractare, neque, si quis egenus, pannosus, deformis vel debilis appareat, iccirco animo iniquo ferre aut aversari. Hic enim habitus extrinsecus nobis impositus nostri in mundum transitus occasio est, ut in communem hanc scholam ingredi possemus; sed intus inhabitat pater absconditus et ejus filius pro nobis mortuus et nobiscum expergefactus.

CAP. 34. Hic habitus visibilis mortem decipit et diabolum; interior enim opulentia, ipsa pulcritudo, ab iis non conspicitur. Iccirco de corpusculo furiunt, quod ut imbecille contemnunt, interiorum divitiarum caecitate laborantes, quippe
qui non intelligunt, *quantum thesaurum in testaceo vase* gesti- 2 Cor. 4, 7.
mus, virtute dei patris et sanguine dei filii et rore spiritus sancti circumseptum ac munitum. Tu vero ne patiaris te decipi, qui veritatem degustavisti et magna redemtione dignus habitus es; sed delige tibi exercitum reliquis hominibus oppositum, inermem, imbellum, incruentum, sine ira et macula, senes pios, orbos dei amantes, viduas mansuetudine armatas, viros caritate ornatos. Tales compara divitiis tuis et corpori et animae satellites, quorum deus dux est, per quos et navis demersa undis elevatur solis sanctorum precibus gubernata, et morbus acerbus edomatur manuum impositionibus fugatus, et latronum impetus repellitur piis precibus dearmatus, et daemonum vis frangitur conjunctis obsecrationibus subacta.

CAP. 35. In operibus hi omnes milites ac custodes strenui; nemo otiosus, nemo inutilis. Alius enim a deo precibus te potest expugnare, alius laborantem consolari, alius, tamquam miseriae socius, lacrymas et gemitus pro te fundere ad universi dominum, alius docere aliquid quod ad salutem est utile, alius ingenue admonere, alius benevole consulere, omnes denique diligere vere, sine dolo, sine timore, sine simulatione, sine adulatione, sine fictione. O dulce amicorum obsequium! o

των, ὦ πίστις εἰλικρινὴς θεὸν μόνον δεδιότων, ὦ λόγων ἀλήθεια παρὰ τοῖς ψεύσασθαι μὴ δυναμένοις, ὦ κάλλος ἔργων παρὰ τοῖς θεῷ διακονεῖν πεπεισμένοις, πείθειν θεὸν, ἀρέσκειν θεῷ, οὐ σαρκὸς τῆς σῆς ἅπτεσθαι, λαλεῖν, ἀλλὰ τῷ βασιλεῖ τῶν αἰώνων ἐν σοὶ κατοικοῦντι.

Cap. 36. *Πάντες οὖν οἱ πιστοὶ καλοὶ καὶ θεοπρεπεῖς καὶ τῆς προσηγορίας ἄξιοι, ἣν ὥσπερ διάδημα περίκεινται. Οὐ μὴν ἀλλ' εἰσὶν ἤδη τινὲς καὶ τῶν ἐκλεκτῶν ἐκλεκτότεροι, καὶ τοσούτῳ μᾶλλον ἧττον ἐπίσημοι, τρόπον τινὰ ἐκ τοῦ κλύδωνος τοῦ κόσμου νεωλκοῦντες ἑαυτοὺς καὶ ἐπανάγοντες ἐπ' ἀσφαλὲς, οὐ βουλόμενοι δοκεῖν ἅγιοι, κἂν εἴπῃ τις αἰσχυνόμενοι, ἐν βάθει γνώμης ἀποκρύπτοντες τὰ ἀνεκλάλητα μυστήρια, καὶ τὴν αὐτῶν εὐγένειαν ὑπερηφανοῦντες ἐν κόσμῳ βλέπεσθαι, οὓς ὁ λόγος „φῶς τοῦ κόσμου“ καὶ „ἅλας τῆς γῆς“ καλεῖ. Τοῦτ' ἔστι τὸ σπέρμα, εἰκὼν καὶ ὁμοίωσις θεοῦ καὶ τέκνον αὐτοῦ γνήσιον καὶ κληρονόμον, ὥσπερ ἐπί τινα ξενιτείαν ἐνταῦθα πεμπόμενον ὑπὸ μεγάλης οἰκονομίας καὶ ἀναλογίας τοῦ πατρός· δι' οὗ καὶ τὰ φανερὰ καὶ τὰ ἀφανῆ τοῦ κόσμου δεδημιούργηται, τὰ μὲν εἰς δουλείαν, τὰ δὲ εἰς ἄσκησιν, τὰ δὲ εἰς μάθησιν αὐτῷ, καὶ πάντα μέχρις ἂν ἐνταῦθα τὸ σπέρμα μένῃ συνέχεται, καὶ συναχθέντος αὐτοῦ ταῦτα τάχιστα λυθήσεται.*

Cap. 37. *Τί γὰρ ἔτι δεῖ; θεῶ τὰ τῆς ἀγάπης μυστήρια, καὶ τότε ἐποπτεύσεις τὸν κόλπον τοῦ πατρὸς, ὃν ὁ μονογενὴς υἱὸς θεὸς μόνος ἐξηγήσατο. Ἔστι δὲ καὶ αὐτὸς ὁ θεὸς ἀγάπη καὶ δι' ἀγάπην ἡμῖν ἐθηράθη, καὶ τὸ μὲν ἄρρητον αὐτοῦ πατὴρ, τὸ δὲ εἰς ἡμῖν συμπαθὲς γέγονε μήτηρ. Ἀγαπήσας ὁ πατὴρ ἐθηλύνθη καὶ τούτου μέγα σημεῖον ὃν αὐτὸς ἐγέννησεν ἐξ αὐτοῦ· καὶ ὁ τεχθεὶς ἐξ ἀγάπης καρπὸς ἀγάπη. Διὰ τοῦτο καὶ αὐτὸς κατῆλθε, διὰ τοῦτο ἄνθρωπον ἐνέδυ, διὰ τοῦτο τὰ ἀνθρώπων ἑκὼν ἔπαθεν, ἵνα πρὸς τὴν ἡμετέραν ἀσθένειαν οὓς ἠγάπησε μετρηθεὶς, ἡμᾶς πρὸς τὴν ἑαυτοῦ δύναμιν ἀντιμετρήσῃ. Καὶ μέλλων σπένδεσθαι καὶ λύτρον ἑαυτὸν ἐπιδιδοὺς καινὴν ἡμῖν διαθήκην καταλιμπάνει; ἀγάπην ὑμῖν δίδωμι τὴν ἐμήν. Τίς δέ ἐστιν αὕτη καὶ πόση; ὑπὲρ*

beata cordatorum hominum servitia! o sinceram fidem eorum, qui solum deum timent! o verborum veritatem apud eos, qui mentiri non possunt! o pulcritudinem operum apud eos, qui deo servire sibi proposuerunt, deum sibi propitium reddere, deo placere, carnem tuam non contrectare, loqui, sed tamquam regi saeculorum in te habitanti!

Cap. 36. Omnes itaque pariter fideles probi sunt et divinis moribus instituti et ea digni nuncupatione, qua velut diademate redimiti sunt. Nihilominus nunc jam sunt nonnulli electis etiam electiores, eoque magis minus conspicui, qui qualicumque ratione ex mundi procellis se navimque in aridum subduxerunt et in tutum receperunt, qui sancti videri nolunt, ac si quis nuncupaverit erubescunt, qui imo pectore ineffabilia mysteria recondita habent, suamque nobilitatem oculis in mundo objici magno animo contemnunt; quos Verbum *lumen mundi* et *sal terrae* vocat. Hoc est illud *semen*, Matth. 5, 13 sq.
imago et similitudo dei, filius genuinus et haereditati destinātus, Matth. 13, 38.
velut in exilium quoddam huc missus per magnum patris con- Rom. 8, 17.
silium congruamque dispositionem; per quem et condita sunt Gen.
quaecumque in mundo sunt visibilia et invisibilia, haec ut 1, 26.
illi ministrent, haec ut illum exerceant, haec ut illum excolant; per quem et omnia continentur, quamdiu illud semen in hac terra mansurum est, quo in horreis condito cito collapsura.

Cap. 37. Quid enim amplius opus est? Intuere amoris mysteria, et tunc inspicies in ipsum patris sinum, quem solus nobis revelavit unigenitus filius deus. Est autem et ipse deus amor, et propter amorem a nobis captivari se passus est. Et quod ad arcanam ipsius naturam attinet, pater est; cum vero misericordiam in nos suam manifestavit, in matrem abiit. Amando pater foemineam induit naturam; cujus rei insigne est testimonium ille, quem ex se ipse genuit; ille etiam ex amore prognatus fructus amor est. Propterea et ipse descendit; propterea hominem induit; propterea ultro humanam sortem passus est, ut ad nostram, quos amavit, imbecillitatem se accommodans, ad suam vicissim virtutem nos accommo-

ἡμῶν ἑκάστου καθῆκε τὴν ψυχὴν τὴν ἀνταξίαν τῶν ὅλων, ταύτην ἡμᾶς ὑπὲρ ἀλλήλων ἀνταπαιτεῖ. Εἰ δὲ τὰς ψυχὰς ὀφείλομεν τοῖς ἀδελφοῖς, καὶ τοιαύτην τὴν συνθήκην πρὸς τὸν σωτῆρα ἀνθωμολογησάμεθα, ἔτι τὰ τοῦ κόσμου, τὰ πτωχὰ καὶ ἀλλότρια καὶ παραῤῥέοντα, καθείρξομεν ταμιευόμενοι; ἀλλήλων ἀποκλείσομεν, ἃ μετὰ μικρὸν ἕξει τὸ πῦρ; Θείως γε καὶ ἐπιπόνως ὁ Ἰωάννης· „ὁ μὴ φιλῶν", φησί, „τὸν ἀδελφὸν ἀνθρωποκτόνος ἐστὶ", σπέρμα τοῦ Καΐν, θρέμμα τοῦ διαβόλου, θεοῦ σπλάγχνον οὐκ ἔχει, ἐλπίδα κρειττόνων οὐκ ἔχει, ἄσπορός ἐστιν, ἄγονός ἐστιν, οὐκ ἔστι κλῆμα τῆς ἀεὶ ζώσης ὑπερουρανίας ἀμπέλου, ἐκκόπτεται, τὸ πῦρ ἄθρουν ἀναμένει.

Cap. 38. Σὺ δὲ μάθε τὴν καθ' ὑπερβολὴν ὁδὸν, ἣν δείκνυσι Παῦλος ἐπὶ σωτηρίαν· „ἡ ἀγάπη τὰ ἑαυτῆς οὐ ζητεῖ", ἀλλ' ἐπὶ τὸν ἀδελφὸν ἐκκέχυται· περὶ τοῦτον ἐπτόηται, περὶ τοῦτον σωφρόνως μαίνεται. „Ἀγάπη καλύπτει πλῆθος ἁμαρτιῶν, ἡ τελεία ἀγάπη ἐκβάλλει τὸν φόβον, οὐ περπερεύεται, οὐ φυσιοῦται, οὐκ ἐπιχαίρει τῇ ἀδικίᾳ, συγχαίρει δὲ τῇ ἀληθείᾳ, πάντα στέγει, πάντα πιστεύει, πάντα ἐλπίζει, πάντα ὑπομένει. Ἡ ἀγάπη οὐδέποτε ἐκπίπτει, προφητεῖαι καταργοῦνται, γλῶσσαι παύονται, ἰάσεις ἐπὶ γῆς καταλείπονται, μένει δὲ τὰ τρία ταῦτα, πίστις, ἐλπὶς, ἀγάπη, μείζων δὲ ἐν τούτοις ἡ ἀγάπη". Καὶ δικαίως, πίστις μὲν γὰρ ἀπέρχεται, ὅταν αὐτοψίᾳ πεισθῶμεν ἰδόντες θεὸν, καὶ ἐλπὶς ἀφανίζεται τῶν ἐλπισθέντων, ἀγάπη δὲ εἰς πλήρωμα συνέρχεται καὶ μᾶλλον αὔξεται τῶν τελείων παραδοθέντων. Ἐὰν ταύτην ἐμβάληταί τις τῇ ψυχῇ, δύναται, κἂν ἐν ἁμαρτήμασιν ᾖ γεγεννημένος, κἂν πολλὰ τῶν κεκωλυμένων εἰργασμένος, αὐξήσας τὴν ἀγάπην καὶ μετάνοιαν καθαρὰν λαβὼν ἀναμαχέσασθαι τὰ ἐπταισμένα. Μήτε γὰρ τοῦτο εἰς ἀπόγνωσίν σοι καὶ ἀπόνοιαν καταλελείφθω, εἰ καὶ τὸν πλούσιον μάθοις ὅστις ἐστὶν ὁ χώραν ἐν οὐρανοῖς οὐκ ἔχων, τίνα τρόπον τοῖς οὖσι

daret. Et cum in eo esset ut se ipse immolaret et pretium redemtionis daret, novum nobis testamentum relinquit: *meum vobis do amorem.* Qualis vero hic amor est et quantus? pro unoquoque nostrum animam profudit, universum mundum pretio exaequantem, eandem ut alter pro altero ponamus a nobis vicissim postulat. Quodsi vero animas fratribus debemus, et talem cum salvatore vicissim pactionem fecimus, adhucne res saeculares, futiles illas et alienas et fugitivas, administratione nostra cumulabimus? alter ab altero praecludemus, quae mox ignis devorabit? Divine plane et graviter Joannes: *qui non diligit fratrem*, inquit, *homicida est*, semen Cain, alumnus diaboli, dei misericordiam non habet, spem meliorum non habet, sterilis est, infructuosus est, non est palmes supercoelestis illius immortalis vitis, exscinditur, ignis vehemens eum manet.

Joh. 13, 34.

1. Joh. 3, 15.

Cap. 38. Tu vero viam omnibus excellentiorem discito, quam monstrat Paulus ad salutem: *caritas non quaerit quae ipsius sunt*, sed super fratrem effunditur, de illo anxie curat, ejus casta animi affectione insanit. *Caritas multitudinem operit peccatorum; perfecta caritas pellit timorem; non temere agit, non jactat se, non gaudet injuria sed gaudet veritate, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Caritas numquam excidit, prophetiae evacuantur, linguae cessant, curationes morborum in terra desinunt; sed manent haec tria, fides, spes et caritas, major vero inter haec est caritas.* Et jure meritoque; fides enim transit, quando oculorum testimonio de dei existentia convicti erimus, et spes evanescit, quando quae speramus adsunt; caritas vero nobiscum ad consummationem pervenit et augetur magis, quando perfecta manifestantur. Illam si quis animo susceperit, quamvis in peccatis natus sit, quamvis multa illicita perpetraverit, si caritatem alit et puram poenitentiam agit, clades suas iterato certamine eluere potest. Nam ne hoc quidem, unde desperes et animum abjicias, tibi relinquitor, etiamsi divitem noveris quis ille sit, qui locum in coelis non habet, et quomodo rebus suis usus aliquis quod

1 Cor. 12, 31.
ib. 13, 5.
1 Petr. 4, 8.
1. Joh. 4, 18.
1 Cor. 13, 4 sqq.

χρώμενος ἄν τις τό τε ἀπόρευτον τοῦ πλούτου καὶ χαλεπὸν εἰς ζωὴν διαφύγοι καὶ δύναιτο τῶν αἰωνίων ἀγαθῶν ἐπαύρασθαι.

Cap. 39. Εἰ δὲ τετυχηκὼς ἢ δι' ἄγνοιαν ἢ περίστασιν ἀκούσιον μετὰ τὴν σφραγῖδα καὶ τὴν λύτρωσιν περιπετῇ τις ἐν ἁμαρτήμασιν ἢ παραπτώμασιν, ὡς ὑπανηνέχθαι τέλεον· οὗτος κατεψήφισται παντάπασιν ὑπὸ τοῦ θεοῦ. Παντὶ γὰρ τῷ μετ' ἀληθείας ἐξ ὅλης τῆς καρδίας ἐπιστρέψαντι πρὸς τὸν θεὸν ἀνέῳγασιν αἱ θύραι καὶ δέχεται τρισάσμενος πατὴρ υἱὸν ἀληθῶς μετανοοῦντα· ἡ δὲ ἀληθινὴ μετάνοια τὸ μηκέτι τοῖς αὐτοῖς ἔνοχον εἶναι, ἀλλὰ ἄρδην ἐκριζῶσαι τῆς ψυχῆς ἐφ' οἷς ἑαυτοῦ κατέγνω θάνατον ἁμαρτήμασι. Τούτων γὰρ ἀναιρεθέντων αὖθις εἰς σὲ θεὸς εἰσοικισθήσεται. Μεγάλην γάρ φησι καὶ ἀνυπέρβλητον εἶναι χαρὰν καὶ ἑορτὴν ἐν οὐρανοῖς τῷ πατρὶ καὶ τοῖς ἀγγέλοις ἑνὸς ἁμαρτωλοῦ ἐπιστρέψαντος καὶ μετανοήσαντος. Διὸ καὶ κέκραγεν· „ἔλεον θέλω καὶ οὐ θυσίαν· οὐ βούλομαι τὸν θάνατον τοῦ ἁμαρτωλοῦ, ἀλλὰ τὴν μετάνοιαν· κἂν ὦσιν αἱ ἁμαρτίαι ὑμῶν ὡς φοινικοῦν ἔριον, ὡς χιόνα λευκανῶ, κἂν μελάντερον τοῦ σκότους, ὡς ἔριον λευκὸν ἐκνίψας ποιήσω“. Θεῷ γὰρ μόνῳ δυνατὸν ἄφεσιν ἁμαρτιῶν παρασχέσθαι καὶ μὴ λογίσασθαι παραπτώματα, ὅπου γε καὶ ἡμῖν παρακελεύεται τῆς ἡμέρας ἑκάστης ὁ κύριος ἀφιέναι τοῖς ἀδελφοῖς μετανοοῦσιν. Εἰ δὲ ἡμεῖς πονηροὶ ὄντες ἴσμεν ἀγαθὰ δόματα διδόναι, πόσῳ μᾶλλον ὁ πατὴρ τῶν οἰκτιρμῶν, ὁ ἀγαθὸς πατὴρ πάσης παρακλήσεως, ὁ πολυεύσπλαγχνος καὶ πολυέλεος πέφυκε μακροθυμεῖν, τοὺς ἐπιστρέψαντας περιμένειν; ἐπιστρέψαι δέ ἐστιν ὄντως ἀπὸ τῶν ἁμαρτημάτων τὸ παύσασθαι καὶ μηκέτι βλέπειν εἰς τὰ ὀπίσω.

Cap. 40. Τῶν μὲν οὖν προγεγενημένων θεὸς δίδωσιν ἄφεσιν, τῶν δὲ ἐπιόντων αὐτὸς ἕκαστος ἑαυτῷ. Καὶ τοῦτ' ἔστι μεταγνῶναι τὸ καταγνῶναι τῶν παρῳχημένων καὶ αἰτήσασθαι τούτων ἀμνηστίαν παρὰ πατρός, ὃς μόνος τῶν ἁπάντων οἷός τέ ἐστιν ἄπρακτα ποιῆσαι τὰ πεπραγμένα, ἐλέῳ τῷ παρ' αὐτοῦ καὶ δρόσῳ πνεύματος ἀπαλείψας τὰ προημαρτημένα. „Ἐφ' οἷς γὰρ ἂν εὕρω ὑμᾶς“, φησίν, „ἐπὶ τούτοις καὶ κρινῶ·“ καὶ παρ' ἕκαστα βοᾷ τὸ τέλος πάντων. Ὥστε καὶ τῷ τὰ μέγιστα εὖ πεποιη-

arduum in divitiis est et vitae noxium possit effugere et aeternis bonis potiri.

CAP. 39. Quodsi vero quis iis potitus per ignorantiam aut casus involuntarios post acceptum signaculum et post salvationem, circumvolitet in peccatis et transgressionibus, ita ut prorsus abripi se patiatur, ille a deo penitus est rejectus et damnatus. Cuicumque enim vere et toto corde ad deum se convertenti portae patent, et suscipit lubentissime pater filium vere poenitentem; vera autem poenitentia est in eadem non rursus delabi, sed ex animo radicitus evellere quibus te mortis reum peccatis cognoveris. His enim sublatis rursus in te deus tamquam domum suam ingredietur. Ingentem enim et Luc. 15, 7.
incomparabilem laetitiam et solemnitatem dicit esse in coelis patri et angelis de uno peccatore converso et poenitentiam agente. Iccirco etiam clamavit: *misericordiam volo et non* Matth. 9, 13.
sacrificium. Nolo mortem peccatoris sed poenitentiam. *Si fue-* Ezech. 18, 23.
rint peccata vestra lanae instar purpureae, quasi nivem deal- Jes. 1, 18.
babo, et si fuerint fuligine nigriora, lanae instar abluendo purgabo. Soli enim deo competit peccatorum veniam concedere et delicta non imputare. Quandoquidem nobis etiam deus praecipit, ut poenitentibus fratribus quotidie peccata dimittamus. *Quodsi vero nos, qui mali sumus, bona munera dare* Luc. 11, 13.
novimus, quando magis pater misericordiae, bonus ille cujuscumque consolationis pater, benignitatis omnimodae plenus, et gratia abundans natura ad longanimitatem propensus est, qua eos qui convertuntur expectat. Converti autem vere a peccatis est peccandi finem facere nec amplius ad ea quae sunt a tergo respicere.

CAP. 40. Praeteritorum igitur quidem veniam deus concedit, eorum quae postea patrantur sibi quisque ipse. Scilicet hoc ipsum dicitur poenitere: transacta damnare eorumque obliviscentiam flagitare a deo, qui unus omnium facta infecta reddere valet misericordia quae est penes ipsum et rore spiritus abstergens quae antea sunt peccata. *In quibus enim*, dicit, *vos invenero in eis judicabo;* et prae singulis decisionem efficiet finis omnium; ita, ut qui res splendidissimas

κότι τὸν βίον, ἐπὶ δὲ τοῦ τέλους ἐξοκείλαντι πρὸς κακίαν, ἀνόνητοι πάντες οἱ προσθὲν πόνοι, ἐπὶ τῆς καταστροφῆς τοῦ δράματος ἐξάθλῳ γενομένῳ· τῷ δὲ χεῖρον καὶ ἐπισεσυρμένως βιώσαντι πρότερον ἔστιν ὕστερον μετανοήσαντι πολλοῦ χρόνου πολιτείαν πονηρὰν ἐκνικῆσαι τῷ μετὰ τὴν μετάνοιαν χρόνῳ. Ἀκριβείας δὲ δεῖ πολλῆς, ὥσπερ τοῖς μακρᾷ νόσῳ πεπονηκόσι σώμασι διαίτης χρεία καὶ προσοχῆς πλείονος. Ὁ κλέπτης ἄφεσιν βούλει λαβεῖν; μηκέτι κλέπτε· ὁ μοιχεύσας μηκέτι πυρούσθω· ὁ πορνεύσας λοιπὸν ἁγνευέτω· ὁ ἁρπάσας ἀποδίδου καὶ προσαποδίδου· ὁ ψευδομάρτυς ἀλήθειαν ἄσκησον· ὁ ἐπίορκος μηκέτι ὄμνυε, καὶ τὰ ἄλλα πάθη σύντεμε, ὀργὴν, ἐπιθυμίαν, λύπην, φόβον, ἵνα εὑρεθῇς ἐπὶ τῆς ἐξόδου πρὸς τὸν ἀντίδικον ἐνταῦθα διαλελύσθαι φθάνων. Ἔστι μὲν οὖν ἀδύνατον ἴσως, ἀθρόως ἀποκόψαι πάθη σύντροφα, ἀλλὰ μετὰ θεοῦ δυνάμεως καὶ ἀνθρωπείας ἱκεσίας καὶ ἀδελφῶν βοηθείας καὶ εἰλικρινοῦς μετανοίας καὶ συνεχοῦς μελέτης κατορθοῦνται.

Cap. 41. *Διὸ δεῖ πάντως σε τὸν σοβαρὸν καὶ δυνατὸν καὶ πλούσιον ἐπιστήσασθαι ἑαυτῷ τινὰ ἄνθρωπον θεοῦ καθάπερ ἀλείπτην καὶ κυβερνήτην. Αἰδοῦ κἂν ἕνα, φοβοῦ κἂν ἕνα, μελέτησον ἀκούειν κἂν ἑνὸς παῤῥησιαζομένου καὶ στύφοντος ἅμα καὶ θεραπεύοντος. Οὐδὲ γὰρ τοῖς ὀφθαλμοῖς συμφέρει τὸν ἀεὶ χρόνον ἀκολάστοις μένειν, ἀλλὰ καὶ δακρῦσαι καὶ δηχθῆναί ποτε ὑπὲρ τῆς ὑγιείας τῆς πλείονος. Οὕτω καὶ ψυχῇ διηνεκοῦς ἡδονῆς οὐδὲν ὀλεθριώτερον, ἀποτυφλοῦται γὰρ ἀπὸ τῆς τήξεως, ἐὰν ἀκίνητος τῷ παῤῥησιαζομένῳ διαμείνῃ λόγῳ. Τοῦτον καὶ ὀργισθέντα φοβήθητι, καὶ στενάξαντα λυπήθητι καὶ ὀργὴν παύοντα αἰδέσθητι, καὶ κόλασιν παραιτουμένῳ φθάσον. Οὗτος ὑπέρ σου πολλὰς νύκτας ἀγρυπνησάτω, πρεσβεύων ὑπέρ σου πρὸς θεὸν, καὶ λιτανείαις συνήθεσι μαγεύων τὸν πατέρα, οὐ γὰρ ἀντέχει τοῖς τέκνοις αὐτοῦ τά σπλάγχνα δεομένοις. Δεήσεται δὲ καθαρῶς ὑπό σου προτιμώμενος ὡς ἄγγελος τοῦ θεοῦ, καὶ μηδὲν ὑπό σου λυπούμενος, ἀλλ' ὑπέρ σου. Τοῦτό ἐστι μετάνοια ἀνυπόκριτος. „Θεὸς οὐ μυκτηρίζεται“ οὐδὲ προσέχει κενοῖς ῥήμασι· μόνος γὰρ ἀνακρίνει μυελοὺς καὶ*

bene peregerit per totam vitam in fine autem ad malitiam deflexerit, omnes ante actae vitae labores perdiderit, quia in ipso certaminis exitu pugnare desierit; ei autem, qui antea male dissoluteque vixerit, si postmodum poenitentiam egerit, longi temporis perversitatem ipso post resipiscentiam tempore obliterandi occasio praebeatur. Sed multa solertia opus est, quemadmodum corporibus longa aegritudine debilitatis major et moderatio et cautio sunt necessariae. Vis, o fur, veniam consequi? Desine furari!' Adulter fuisti, non amplius Veneri indulgeto; fornicator fuisti, postmodum caste vivito; raptor fuisti, reddito et plus rapto reddito; testis falsus fuisti, veritati inservito; pejurus fuisti, desinito jurare, atque reliquas etiam libidines exue, iram, cupiditatem, tristitiam, timorem, ut in fine inveniaris cum adversario tuo hic jam ratione expedita reconciliatus, antequam tempus elaberetur. Non potest quidem fortasse fieri, ut inolitas libidines confestim praecidas, sed dei virtute et humanis precibus et fratrum auxilio genuina poenitentia et assidua meditatione opitulantibus in ordinem rediguntur.

Cap. 41. Quapropter necessarium omnino est, ut, si opulentus et potens et dives sis, praeficias tibi tamquam custodem aliquem dei hominem, qui te ad certamen instruat inque eo gubernet. Unum saltem habeas quem verearis, unum quem timeas, unum quem audire libere admonentem, acriter instigantem, leniter consolantem sit tibi cordi. Non enim conducit oculis impunitate frui, sed et lacrimari aliquando et dolore affici, ut perfectior valetudo evadat. Sic et animae assidua voluptate nil perniciosius, occaecatur enim ita, ut liquefieri dedignetur, si immota manet libero admonitoris sermone. Hunc tu si irascitur reverere, si gemit luge, si iram sedare studet venerare, si poenam deprecatur anteverte. Hic pro te multas noctes insomnes ducat, fundens pro te preces ad deum, ac solemnibus deprecationibus patrem deleniat. Non enim cor suum praecludit filiis suis orantibus. Precabitur autem pure, si honoratur a te tamquam dei angelus, nec per te contristatur sed propter te. Haec est poenitentia non ficta. *Deus ir-* Gal. 6, 7.

νεφροὺς καρδίας καὶ τῶν ἐν πυρὶ κατακούει καὶ τῶν ἐν κοιλίᾳ κήτους ἱκετευόντων ἐξακούει καὶ πᾶσιν ἐγγύς ἐστι τοῖς πιστεύουσι καὶ πόῤῥω τοῖς ἀθέοις, ἂν μὴ μετανοήσωσιν.

Cap. 42. *Ἵνα δὲ ἔτι θαῤῥῇς, οὕτω μετανοήσας ἀληθῶς, ὅτι σοὶ μένει σωτηρίας ἐλπὶς ἀξιόχρεως, ἄκουσον μῦθον, οὐ μῦθον, ἀλλὰ ὄντα λόγον περὶ Ἰωάννου τοῦ ἀποστόλου παραδεδομένον καὶ μνήμῃ πεφυλαγμένον. Ἐπειδὴ γὰρ τοῦ τυράννου τελευτήσαντος ἀπὸ τῆς Πάτμου τῆς νήσου μετῆλθεν ἐπὶ τὴν Ἔφεσον, ἀπῄει παρακαλούμενος καὶ ἐπὶ τὰ πλησιόχωρα τῶν ἐθνῶν, ὅπου μὲν ἐπισκόπους καταστήσων, ὅπου δὲ ὅλας ἐκκλησίας ἁρμόσων, ὅπου δὲ κλῆρον, ἕνα τέ τινα κληρώσων τῶν ὑπὸ τοῦ πνεύματος σημαινομένων. Ἐλθὼν οὖν καὶ ἐπί τινα τῶν οὐ μακρὰν πόλεων, ἧς καὶ τοὔνομα λέγουσιν ἔνιοι, καὶ τὰ ἄλλα ἀναπαύσας τοὺς ἀδελφούς, ἐπὶ πᾶσι τῷ καθεστῶτι προσβλέψας ἐπισκόπῳ, νεανίσκον ἱκανὸν τῷ σώματι καὶ τὴν ὄψιν ἀστεῖον καὶ θερμὸν τὴν ψυχὴν ἰδών, „τοῦτον", ἔφη, „σοὶ παρατίθεμαι μετὰ πάσης σπουδῆς, ἐπὶ τῆς ἐκκλησίας καὶ τοῦ Χριστοῦ μάρτυρος. Τοῦ δὲ δεχομένου καὶ πάνθ' ὑπισχνουμένου καὶ πάλιν τὰ αὐτὰ διετείλατο καὶ διεμαρτύρατο. Καὶ ὁ μὲν ἐπὶ τὴν Ἔφεσον, ὁ δὲ πρεσβύτερος ἀναλαβὼν οἴκαδε τὸν παραδοθέντα νεανίσκον ἔτρεφε, συνεῖχεν, ἔθαλπε, τὸ τελευταῖον ἐφώτισε καὶ μετὰ τοῦτο ὑφῆκε τῆς πλείονος ἐπιμελείας καὶ παραφυλακῆς, ὡς τὸ τέλεον αὐτῷ φυλακτήριον ἐπιστήσας τὴν σφραγῖδα τοῦ κυρίου. Τῷ δὲ ἀνέσεως πρὸ ὥρας λαβομένῳ προσφθείρονταί τινες ἥλικες ἀργοί, ἐθάδες κακῶν καὶ πρῶτον μὲν δι' ἑστιάσεων πολλῶν πολυτελῶν αὐτὸν ὑπάγονται, εἶτά που καὶ νύκτωρ ἐπὶ λωποδυσίαν ἐξιόντες συνεπάγονται, εἶτά τι καὶ μεῖζον συμπράττειν ἠξίουν. Ὁ δὲ κατ' ὀλίγον προσειθίζετο καὶ διὰ μέγεθος φύσεως ἐκστὰς ὥσπερ ἄστομος καὶ εὔρωστος ἵππος ὀρθῆς ὁδοῦ καὶ τὸν χαλινὸν ἐνδακὼν μειζόνως κατὰ τῶν βαράθρων ἐφέρετο, ἀπογνοὺς δὲ τελέως τὴν ἐν θεῷ σωτηρίαν οὐδὲν ἔτι μικρὸν διενοεῖτο, ἀλλὰ μέγα τι πράξας, ἐπειδήπερ ἅπαξ ἀπόλωλεν, ἴσα τοῖς ἄλλοις παθεῖν ἠξίου. Αὐτοὺς δὲ τούτους ἀναλαβὼν καὶ λῃστήριον συγκροτήσας, ἕτοιμος λῄσταρχος ἦν βιαιότατος, μιαιφονώτατος, χαλεπώτατος. Χρόνος ἐν μέσῳ, καί τινος ἐπιπεσούσης χρείας ἀνακαλοῦσι τὸν Ἰωάννην. Ὁ δὲ ἐπειδὴ τὰ ἄλλα ὧν χάριν ἧκε* [κατεστήσατο·] *„ἄγε δή", ἔφη, „ὦ*

rideri se non patitur, nec inanibus verbis aures praebet. Solus enim perscrutatur medullas et renes cordis; audit perfecte in flammis et exaudit in ventre ceti precantes, et omnibus prope est fidelibus et procul ab infidelibus, nisi resipiscant.

Cap. 42. Ut autem magis confidas sic vere tibi poenitenti amplam salutis spem manere, audi fabulam, non fabulam sed veram de Joanne apostolo narrationem, traditam nobis ac memoria custoditam. Cum enim post tyranni (Domitiani) obitum a Patmo insula Ephesum rediisset, vicinas quoque gentilium regiones rogatus visitabat, ut illic episcopos constitueret, illic integras ecclesias ordinaret, illic clerum, et unum aliquem eorum, quos spiritus designaret, clero praeficeret. Cum itaque ad urbem quandam haud procul dissitam, cujus et nomen nonnulli referunt (Smyrnam) venisset, et de reliquis fratres consolatus esset, his peractis episcopum ecclesiae praefectum (Polycarpum?) intuitus, conspecto juvene corporis robore et vultus elegantia et ingenii fervore excellente: *hunc*, inquit, *tibi omni opera commendo coram ecclesia et Christo testibus.* Illo vero accipiente et cuncta pollicente, eadem rursus imposuit et testatus est. Et ille quidem Ephesum; presbyter vero adolescentem sibi concreditum domo excipiens educavit, custodivit, fovit, denique baptizavit. Posthac de solerti cura et custodia dimisit, ut extremo septum munimento, signaculo scilicet domini. Illi vero praematura libertate potito aequales quidam in perniciem se adjungunt desides et flagitiis assuefacti. Ac primum quidem multis opiparis conviviis illum alliciunt, dein noctu ad latrocinium exeuntes secum trahunt; denique majorum scelerum consortio dignum efficiunt. At ille sensim assuescebat et ingenii ardore velut equus duri oris et roboris conscius a recta via desiliens et fraenum mordens, acrius in praeceps ferebatur. Denique prorsus abjecta salutis divinae spe nil parvi amplius meditabatur, sed magno aliquo facinore perfunctus, quod semel exitio obnoxius sit, parem reliquis sortem pati ultro voluit. Illis igitur ipsis assumtis latronumque cohorte congregata ipse dux latronum erat ad omnia

ἐπίσκοπε, τὴν παραθήκην [ἀπόδος ἡμῖν, ἣν] *ἐγώ τε καὶ ὁ σωτὴρ σοι παρακ*[ατατεθέμεθα ἐπὶ τῆς ἐκκλησίας ἧς] *προκαθέζῃ μάρτ*[υρος`. Ὁ δὲ τὸ μὲν πρῶτον ἐξεπλάγη χρήματα] *οἰόμενος ἅπ*[ερ οὐκ ἐλάβει συκοφαντεῖσθαι καὶ οὔτε πιστεύειν εἶχεν οὔτε ἀπιστεῖν Ἰωάννῃ. Ὡς δὲ, „τὸν νεανίσκον", εἶπεν, „ἀπαιτῶ καὶ τὴν ψυχὴν τοῦ ἀδελφοῦ", στενάξας κάτωθεν ὁ πρεσβύτης καί τι καὶ ἐπιδακρύσας· „ἐκεῖνος", ἔφη, „τέθνηκε"; „Πῶς καὶ τίνα θάνατον; θεῷ τέθνηκεν", εἶπεν· ἀπέβη γὰρ πονηρὸς καὶ ἐξώλης καὶ τὸ κεφάλαιον λῃστὴς καὶ νῦν ἀντὶ τῆς ἐκκλησίας τὸ ὄρος κατείληφε μεθ' ὁμοίου στρατιωτικοῦ". Καταῤῥηξάμενος οὖν τὴν ἐσθῆτα ὁ ἀπόστολος καὶ μετὰ μεγάλης οἰμωγῆς πληξάμενος τὴν κεφαλήν· „καλόν γε", ἔφη, „φύλακα τῆς τἀδελφοῦ ψυχῆς κατέλιπον, ἀλλ' ἵππος ἤδη μοὶ παρέστω καὶ ἡγεμὼν γινέσθω μοί τις τῆς ὁδοῦ". Ἤλαυνεν ὥσπερ εἶχεν αὐτόθεν ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας. Ἐλθὼν δὲ εἰς τὸ χωρίον ὑπὸ τῆς προφυλακῆς τῶν λῃστῶν ἁλίσκεται μήτε φεύγων μήτε παραιτούμενος, ἀλλὰ βοῶν· ἐπὶ τοῦτ' ἐλήλυθα, ἐπὶ τὸν ἄρχοντα ὑμῶν ἀναγάγετέ με`. Ὃς τέως ὥσπερ ὥπλιστο ἀνέμενεν, ὡς δὲ προσιόντα ἐγνώρισε τὸν Ἰωάννην, εἰς φυγὴν αἰδεσθεὶς ἐτράπετο. Ὁ δὲ ἐδίωκεν ἀνὰ κράτος, ἐπιλαθόμενος τῆς ἡλικίας τῆς ἑαυτοῦ, κεκραγώς· „τί με φεύγεις, τέκνον, τὸν σαὐτοῦ πατέρα, τὸν γυμνὸν, τὸν γέροντα; ἐλέησόν με, τέκνον, μὴ φοβοῦ, ἔχεις ἔτι ζωῆς ἐλπίδα· ἐγὼ Χριστῷ δώσω λόγον ὑπέρ σου· ἂν δέῃ, τὸν σὸν θάνατον ἑκὼν ὑπομενῶ· ὡς ὁ κύριος τὸν ὑπὲρ ἡμῶν, ὑπέρ σου τὴν ψυχὴν ἀντιδώσω τὴν ἐμήν· στῆθι, πίστευσον, Χριστός με ἀπέστειλεν". Ὁ δὲ ἀκούσας πρῶτον μὲν ἔστη κάτω βλέπων, εἶτα ἔῤῥιψε τὰ ὅπλα, εἶτα τρέμων ἔκλαε πικρῶς, προσελθόντα δὲ τὸν γέροντα περιέλαβεν ἀπο]*λογούμενος ταῖς οἰμωγαῖς ὡς ἐδύνατο, καὶ τοῖς δάκρυσι βαπτιζόμενος* [ἐκ] *δευτέρου, μόνην ἀποκρύπτων τὴν δεξιάν. Ὁ δὲ ἐγγυώμενος ἐπομνύων* [ὡς ἄφεσιν] *αὐτῷ παρὰ τοῦ σωτῆρος εὕρηται δεόμενος, γο*[νυπετῶν, αὐτὴν τὴν δεξιὰν ὡς] *ὑπὸ τῆς μετανοίας κεκα*[θαρμένην καταφιλῶν ἐπὶ τὴν ἐκκλησίαν] *ἐπανήγαγε. Καὶ δαψ*[ιλέσι μὲν εὐχαῖς ἐξαιτούμενος, συνεχέσι δὲ νηστείαις συν]*αγωνιζόμενος*, [ποικίλαις δὲ σειρῆσι λόγων κατεπᾴδων αὐτοῦ τὴν γνώμην,] *οὐ* [πρότερον ἀπῆλθεν, ὥς φασι, πρὶν αὐτὸν

paratus, violentia, atrocitate, sanguinolentia omnes superans. Aliquanto post tempore recenti necessitate urgente, Joannem iterum accersunt. Qui omnibus, ob quae venerat, compositis: *agedum*, inquit, *episcope*, *redde nobis depositum*, *quod ego pariter et Christus tibi tradidimus*, *ecclesia cui praees teste.* Episcopus primo quidem attonitus erat, cum opinaretur se de pecunia, quam non acceperat, calumniose accusatum esse, nec fateri poterat, quae non habuit, nec Joanni diffidere audebat. Cum vero: *juvenem*, ait, *repeto et fratris animam*, alto senex ducto suspirio: *ille*, ait, *mortuus est. Et quomodo? Deo*, inquit, *mortuus est. Malus quippe evasit et perditus et quod maximum est latro. Et nunc non ecclesiam sed montem obtinet cum sodalibus ipsi similibus.* Apostolus igitur vestem scindens et cum ingenti gemitu caput feriens: *bonum*, inquit, *animae fraternae custodem reliqui; sed jam mihi praesto sit equus et aliquis itineris ductor.* Statim ab ecclesia, ita ut erat, equo conscenso properavit. Cumque ad regionem venisset, ab excubiis latronum capitur, nec fugiens, nec deprecatus, sed clamitans: *ob hoc ipsum veni, ad ducem vestrum me adducite!* Is vero, ut erat armatus, expectabat, sed ubi appropinquantem agnovit Joannem, prae pudore in fugam se conjecit. At Joannes concito cursu, aetatis oblitus, eum persequebatur, clamitans: *quid me fugis, fili, patrem tuum, inermem, senem? Miserere mei, fili, noli timere; habes adhuc vitae spem. Ego pro te Christo rationem reddam, si opus fuerit tuam ipse libens mortem sustinebo; quemadmodum dominus pro nobis, ita pro te animam meam vicariam dabo. Sta modo et crede, Christus me misit.* His ille auditis primum quidem oculis in terram dejectis substitit, tunc arma projecit, tunc cum tremore flere coepit acerbe. Accedentem vero senem complexu tenuit, gemitibus quam potuit enixe veniam postulans et lacrymis altera vice baptizatus, solam dextram occultans. Ille autem spondens et obsecrans, fore ut veniam penes salvatorem nancisceretur, orans et in genua procumbens, ipsam ejus dextram, velut poenitentia expiatam, deosculans ad ecclesiam eum reduxit. Et crebris orationibus deum deprecans, continuisque

ἀποκατέστησε τῇ ἐκκλησίᾳ, διδοὺς μέγα παράδειγμα μετανοίας ἀληθινῆς καὶ μέγα γνώρισμα παλιγγενεσίας, τροπαῖον ἀναστάσεως βλεπομένης, [ὅταν ἐν τῇ συντελείᾳ τοῦ αἰῶνος, οἱ ἄγγελοι τοὺς ἀληθῶς μετανοοῦντας δέξωνται εἰς ἐπουρανίους σκηνὰς] *φαιδρῶς γεγηθότες, ὑμνοῦντες, ἀνοιγνύντες τοὺς οὐρανούς, πρὸ δὲ πάντων αὐτὸς ὁ σωτὴρ προαπαντᾷ δεξιούμενος, φῶς ὀρέγων ἄσκιον, ἄπαυστον, ὁδηγῶν εἰς τοὺς κόλπους τοῦ πατρός, εἰς τὴν αἰώνιον ζωήν, εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν. Πιστευέτω ταῦτά τις καὶ θεοῦ μαθηταῖς, καὶ ἐγγυητῇ θεῷ, προφητείαις, εὐαγγελίοις, λόγοις ἀποστολικοῖς. Τούτοις συζῶν καὶ τὰ ὦτα ὑπέχων, καὶ τὰ ἔργα ἀσκῶν, ἐπ' αὐτῆς τῆς ἐξόδου τὸ τέλος καὶ τὴν ἐπίδειξιν τῶν δογμάτων ὄψεται. Ὁ γὰρ ἐνταῦθα τὸν ἄγγελον τῆς μετανοίας προσιέμενος οὐ μετανοήσει τότε ἡνίκα ἂν καταλίπῃ τὸ σῶμα, οὐδὲ καταισχυνθήσεται, τὸν σωτῆρα προσιόντα μετὰ τῆς αὐτοῦ δόξης καὶ στρατείας ἰδών, οὐ δέδιε τὸ πῦρ. Εἰ δέ τις αἱρεῖται μένειν καὶ ἐξαμαρτάνειν ἑκάστοτε ἐπὶ ταῖς ἡδοναῖς καὶ τὴν ἐνταῦθα τρυφὴν τῆς αἰωνίου ζωῆς προτιμᾷ καὶ διδόντος τοῦ σωτῆρος ἄφεσιν ἀποστρέφεται, μήτε τὸν θεὸν ἔτι μήτε τὸν πλοῦτον μήτε τὸ προπεσεῖν αἰτιάσθω, τὴν δὲ ἑαυτοῦ ψυχὴν ἑκουσίως ἀπολουμένην. Τῷ δὲ ἐπιβλέποντι τὴν σωτηρίαν καὶ ποθοῦντι καὶ μετὰ ἀναιδείας καὶ βίας αἰτοῦντι παρέξει τὴν ἀληθινὴν κάθαρσιν καὶ τὴν ἄτρεπτον ζωὴν ὁ πατὴρ ὁ ἀγαθὸς ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, ᾧ διὰ τοῦ παιδὸς Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ κυρίου ζώντων καὶ νεκρῶν, καὶ διὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος εἴη δόξα, τιμή, κράτος, αἰώνιος μεγαλειότης καὶ νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς γενεὰς γενεῶν καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.*

jejuniis cum juvene colluctans, variisque sermonum illecebris animum ejus demulcens non prius, ut narratur, destitit, quam ecclesiae restituisset; magno verae poenitentiae exemplo exhibito, eximioque regenerationis documento, resurrectionis tropaeo conspicuae futurae, (quando in consummatione saeculi angeli vere poenitentes in supercoelestia habitacula suscipient), laete jubilantes, laudantes, aperientes coelum, prae cunctis vero ipse salvator obviam fit excipiens, lucem praebens umbrae et interitus nesciam; viam ipse ducens in sinum patris, in vitam aeternam, in regnum coelorum. Haec quisque credat et dei discipulis et ipsi deo sponsori per prophetias, per evangelia, per praedicationem apostolicam facto. Qui in his vivit, aurem praebet et opera exercet, in ipso vitae exitu finalem doctrinarum probationem videbit. Qui enim hic poenitentiae angelum admittit, non tum demum poenitentiam aget, cum corpus reliquerit, nec confundetur, quando salvatorem in majestate stipatum exercitu suo venientem videbit, nec ignem metuet. Si quis autem manere et peccare in voluptatibus continuo praeoptat, et praesentis vitae illecebras aeternae praefert, si a salvatore veniam concedente se avertit, hic neque deum jam neque divitias neque priores transgressiones accuset, sed se, quod sponte animam suam in perniciem praecipitat. Ei vero, qui salutem intuetur et desiderat, qui enixe et impudenter orat, veram concedet purgationem et immutabilem vitam bonus qui est in coelis pater, cui per filium Jesum Christum, vivorum et mortuorum dominum, et per spiritum sanctum sit gloria, honos, potestas, aeterna majestas et nunc et semper et in generationes generationum et in saecula saeculorum! Amen.

ANNOTATIONES.

Cap. I. *περιάπτουσι — τῇ κρίσει τοῦ θεοῦ.* Editio princeps habet: *περιάπτουσι τὸ . . . . . . τὸ τέρας* (pro quo recte Combefisius substituit *γέρας*) *ἀνθρώποις ἐνας . . . . βίῳ κυλινδουμένοις . . . . τὸ κεφάλαιον ὑποκείμενον τῇ κρίσει τοῦ θεοῦ.* Conjectura hucusque recepta ita quae desunt explevit: *περιάπτουσι τὸ* [θεοπρεπέστα] *το*[ν] *γέρας ἀνθρώποις ἐνα*[γεῖ καὶ βορβορώδει] *βίῳ κυλινδουμένοις* [τοῦτου ἕνεκα] *τὸ κεφάλαιον ὑποκειμένοις τῇ κρίσει τοῦ θεοῦ.* Sed ita temere eliditur *το ς* in *ἐνας . . . .* et *ὑποκείμενον* mutatur in *ὑποκειμένοις.*

θεραπεύειν κολακείᾳ τοὺς πλουτοῦντας· ed. pr.: *θεραπεύειν . . . . . τοὺς πλουτοῦντας,* conj. rec. *θεραπεύειν* [ἀνελευθέρως] *τοὺς πλουτοῦντας.*

ἐποχεῖν κακὸν ἐπὶ κακῷ· ed. pr.: . . . . . *ἐπὶ κακῷ* — Conj. rec. *προσεπαινεῖν ἐπὶ κακῷ.*

τὸ συναίρεσθαι αὐτοῖς καὶ τὴν σωτηρίαν· ed. pr. *τὸ συναίρεσθαι . . . . . τὴν σωτηρίαν;* conj. rec. *τὸ συναίρεσθαι* [λόγοις καὶ] *τ. σωτ.*

τοῦτο μὲν — τοῦτο δὲ scil. *τὸ συναίρεσθαι καὶ τὸ κατεργάζεσθαι.* Temere edd. post. *τοῦτο δὲ* supplent *λέγω,* et novam periodum ordiuntur.

Cap. III. *Τὴν καινην ἀπόγνωσιν* sic ed. pr. bene; male mutaverunt reliqui in *κενὴν.* *Καινή* dicitur desperatio, quia non genuina est cum fide ipsa veniens, sed serius ex erronea verbi divini interpretatione oborta.

εἴ τί ποτ᾽ αὖ μάθωσιν· ed. pr. *εἴτ᾽ ὑπὸ ταυμάτωσιν,* quod sensum non fundit. Al. conjecerunt *εἴτ᾽ ἐπιθαυμάσαι,* vel *ἐπιτιμῆσαι,* al. *ὑπομνημονεῦσαι,* al. *εἰς ὑποθημοσύνην,* in admoni-

5*

tionem. Alii conjunxerunt: *εἶθ' ὁπόταν μάθωσιν — τότε καὶ προςδεικνῦναι.* Nostra conjectura literarum vestigia premit, et bonum sensum fundit. *αὖ* dicit, quia desperatio non genuina est, sed *καινή*, recens concepta, itaque ad priorem fiduciam resipiscere debent.

ἐπαίροιντο τῆς ἐλπίδος· ed. pr. *ἐπαίραιντο*; al. conjiciunt *ἀπαύροιντο*, potiri, temere. *τῆς ἐλπ.* conjunge cum sqq. *ἐπαίρεσθαι* significat surgere, se accingere.

ὑποσημήνῃ τοῦ δρόμου. Nihil deest: *ὑποσημήνῃ* scil. *ὁ ἀθλοθέτης*, gen. *τοῦ δρόμου* pendet a substant. *σημεῖον* quod latet in *ὑποσημαίνειν*, signum dederit cursus et exitus. In sqq. *ἐντεῦθεν* pertinet ad *δρόμον*.

Cap. IV. Locus ex evangeliis citatus proxime ad Marci verba accedit, sed et ab his multis locis miro modo differt, ita ut videatur non exscriptus, sed memoriter citatus esse.

Cap. VI. *περὶ κεφαλαίου τῶν διδασκομένων δογμάτων*, ed. pr. habet *περὶ κεφαλαίου οὐ τῶν διδ. δογμ.*, quod artificiosius explicare studuit Caryophilus de argumento, quod tractatores dogmatum non attingebant. Recte omissum a Combefisio reliquisque, errore ultimae litterae *τοῦ κεφαλαίου* sunt repetitae.

τὸ ἐνδόσιμον scil. *μέλος* est carmen, quo initium spectaculi fiebat.

Cap. VII. *ἐξομοίασις* est *ἅπαξ λεγόμενον*, sed legibus linguae graecae convenienter formatum; ideoque temere mutatur ab editoribus in *ἐξομοίωσις*, quod sane est usitatius.

Cap. VIII. *οὐκ ἴσα τὰ διὰ δούλου·* ed. pr. habet *οὐκ εἰς τὰ διὰ δούλου*, sed recte jam in margine *ἴσα* conjicitur.

Cap. X. *τὸ ἓν τὸ μέντοι ἀγαθόν.* Ed. pr. habet: *τὸ ἕν, τὸ μέν, τὸ ἀγαθόν.* Ipse hujus ed. interpres Caryophilus vertit: unum, *quod manet*, quod bonum est, tamquam legeretur *τὸ μένον.* Sed cum de opere sermo est, hoc *μένον* vix ferri potest. Alii conjecerunt *τὸ ἓν τὸ μόνον ἀγαθόν.* Nostra lectio ad literas textus proxime accedit.

ἓν τοῦτο πραθῆναι τοῖς ὅλοις· πραθῆναι, vendi sane offendit, nec sensum praebet, nisi vertas: unum, illud (scil.

πάντα τὰ ὑπάρχοντα) vendi, omnino non valuit. Nam emendi vel acquirendi notio non potest inesse huic verbo, quapropter alii conjecturis medelam afferre studuerunt: *πράττειν, διαπράττειν, περατῶσαι, ἀποταγῆναι τοῖς ὅλοις* etc. Propius ad literas acceditur, si *περᾶναι* perficere vel *πειραθῆναι*, periculum facere conjicimus. Fortasse legendum: *ἓν τοῦτο πραχθῆναι* unum illud fieri — non valuit.

ἣν ἐπόθει· recte sic editores pro lectione ed. pr.: *ἣν ποθεῖς*, quae vitiosa est.

Cap. XI. *ζωὴν ἔχοντες αἰωνίαν* et *νεκρᾶς σοφίας εἵνεκεν*, sic ed. pr. nec est, cur mutemus, quamvis *αἰωνίαν* et *εἵνεκεν* formae sint minus usitatae.

Cap. XII. *λυμανούμενα*· ed. pr. vitiose *λυμενούμενα*.

καὶ γὰρ αὖ κἀκεῖνα, ed. pr. *καὶ γὰρ αὖ κἀκεῖνα*, ex vitio typographi; *ἂν* vix conjici potest.

Cap. XIII. *διορύσσουσι*· sic recte ab omnibus corrigitur lectio ed. pr. *διαρίσσουσι*, quod verbum omnino non occurrit.

τὴν δε δικαίαν κρίσιν· sic recte ed. pr.; quod temere reliqui mutant vel in *χρῆσιν*, vel in *κτῆσιν*.

Cap. XIV. *ἀπουσίας*· sic recte ed. pr. *ἀπουσία* = *τὸ ὑστερεῖν τῆς τέχνης*. Nec est cur conjiciamus *ἀμουσίας, ἀπειρίας, ἀμαθίας, ἀπαιδευσίας* vel similia.

καθυπερετεῖν· sic recte omnes pro *καθ' ὑπερετεῖν*, quod habet ed. pr.

ἀφ' ὧν ἂν ἕληται· ed. pr. *ἕλκται* ex typographi vitio.

Cap. XV. *πότερον ταῦτα παραιτεῖται*· in ed. pr. vitio typographi legitur *πρότερον*.

τὸ αὐτῆς ἐνεργεῖ· scil. id efficit, quod efficere solet opulentia. Posset etiam legi *τὸ αὐτῆς ἐνεργεῖ*, propriam habet efficaciam, etiam deficiente materia.

Cap. XVI. *μὴ δυνάμενος*· in ed. pr. errore typographico legitur *δανάμενος*.

Cap. XVII. *θηράτροις*· ed. pr. vitio typogr. *θυράτροις*.

Cap. XVIII. *ἐπὶ τῇ τῆς ψυχῆς ἀρετῇ*· in ed. pr. vitiose *τῆς τῇ*.

ὧν ἄν τις ὑπὸ πλούτου διαφθείρεται· in ed. pr. legitur:

ὧν ἄν τις ὑπὸ τούτου διαφθείρει, quod sensum non habet; nec video, quomodo simplicius huic loco mederi possimus. al. *ὧν ἄν τις ὑπόντων διαφθαρείη*.

Cap. XIX. *ὁ κατὰ πνεῦμα οὐ πτωχός*· sic recte ed. pr. Reliqui falso omittunt *οὐ*. Nam nostro *ὁ κατὰ πνεῦμα πτωχός* vere pauper est, ideoque nec *κατὰ θεὸν πλούσιος*.

ἀπόστηθι τῶν ὑπαρχόντων, non est cur cum editoribus addamus *φησι*, quod ed. pr. non habet; subaudiendum est, ut saepe.

χορηγόν· ed. pr. mendose *χωριγόν*.

ἀνθ' ὧν· ed. pr. mendose *ἀνθ' ὧχ*.

Cap. XX. *ἀπελαθήσονται οὐρανῶν*· ed. pr. mendose *οὐρανῶς*.

Cap. XXI. *κοσμοῦντα*· in ed. pr. mendose *κοσμῶντα*.

Cap. XXV. *ἐπεὶ καὶ πλουσίους κέκληκεν, ἀλλ' ὃν τρόπον προειρήκαμεν· καὶ ἀδελφοὺς κατ' αὐτόν*. Non est quod mutemus, sed sensus planus: etiam divites vocavit, sed ea lege qua praediximus, scil. ut divitias suas in hac terra habeant cum persecutione; eadem lege etiam fratres, scil. ut in hac terra ex fraternitate quoque persecutiones et tentationes oriantur. *κατ' αὐτὸν* scil. *τρόπον ὃν προειρήκαμεν*.

ἀποδοκιμάζει i. e. iniquius judicat. Nondum enim perfecta possessio est in hac terra, quae non libera est a tentationibus, sed tamen, quamvis tentationibus maculatam, possessionem ipsam non vetat. Insolita est, sed ingeniosa loci in Marci evangelio interpretatio, nec est cur cum Combefisio textui *μὴ* inseras.

Cap. XXVI. *ὑπὸ τοῦ θεοῦ τὴν ψυχὴν νέμοντος*· non est, cur ex his verbis concludamus, Clementem Origenis de praeexistentia animarum errorem profiteri: potest ita loqui, qui animas a deo creari et in corpora immitti post partum censet, qui Creatianismi est assecla.

εἰ δύναταί τις ἐνδοτέρῳ τῶν (in pr. ed. per errorem legitur *τὸν*) *ὑπαρχόντων κάμπτειν τῆς ἐξουσίας*· hic locus multum vexavit editores, et ad conjecturas faciendas provocavit. Sed non est cur mutemus, quamvis sensus paulo diffi-

cilior. *κάμπτειν* scil. *ἵππους* vel *ἅρμα* est: flexo vehiculo metam in stadio circumvehi: *ἐνδοτέρῳ τῶν ὑπαρχόντων τῆς ἐξουσίας* arctiore circulo, ita ut divitiarum ambages vitet. Den Kreis um das Ziel nahe am Ziel selbst ziehen, so dass er den Reichthum ausserhalb seiner Bahn liegen lässt, diese das Innerste der Laufbahn selbst einhält.

De libro *ἀρχῶν καὶ θεολογίας ἐξήγησις* dicta videntur, quae leguntur Clem. Alex. Strom. III, 3. p. 516. 520. ed. Potter.

Cap. XXVII. *ἀφθαρσίας κομιζομένους·* sine omni causa lectionem pr. ed. *ἀφθαρσίας* omnes editores mutant in *ἀφθαρσίαν*.

Cap. XXVIII. *προσυπισχνούμενον·* in pr. ed. errore typographi legitur *προσοπισχνούμενον*.

οἷον ἔλαιον· editores pro *οἷον* non male conjiciunt *οἶνον*, quod tamen non est cur in textum recipiamus, cum *οἷον* egregium sensum fundat.

Cap. XXIX. *ὀργαῖς·* in ed. pr. ex errore typogr. *ὀργαῖ*.

ὁ τὸν ἐκ σπλάγχνων πατρὸς ἔλεον προσενεγκών. In prima ed. legitur *ὁ τὸν ἐκ σπλάγχνων πρὸς ἔλεον*, quod sensum non fundit. Non male conjiciunt editores: *τὸ ἐκ σπλάγχνων πατρὸς ἔλαιον*, id esset spiritum sanctum. Sed cum hic explicat singula in parabola obvia, melius hac leviori utimur emendatione, qua *τὸ ἔλαιον* per *ὁ ἔλεος* explicatur. Fortasse scripsit: *ὁ τὸ ἔλαιον τὸν ἐκ σπλάγχνων πατρὸς ἔλεον.*

φυλάσσων· in pr. ed. mendose *φυλάσσον*.

Cap. XXXI. *ηὐδόκησεν·* in pr. ed. errore legitur *ηὐδόκης*.

ἐφ' ἑαυτοῦ κέκτηται· in pr. ed. errore typographi legitur *ἐφ' τοῦ*.

ὡς ἰδίαν οὖσαν ἀποφαίνων· editores conjiciunt *οὐκ ἰδίαν*, sed non est cur mutes. Si conjectura opus esset, pro *ὡς ἰδίαν ἀδικίαν* conjicerem.

ἵνα μὴ οὕτω καὶ θηρίσῃ· editt. *μὴ* falso elidunt.

εὐεργεσία καθαρά· ed. pr. habet *καθά* errore typogr.

Cap. XXXII. *οἰκεῖα·* in ed. pr. *οἰκεία* = *οἰκία*, videtur scribendum *οἰκεῖα* res familiaris.

ἄνθρωπος δώσει· hanc phrasin sic intelligo: homo tibi dabit i. e. tibi continget, si homo deum imitatus fueris, tua humanitas deum imitata tibi conciliabit. Τῷ δώσει respondet in sqq. τὸ λάβῃς, quare non est, cur cum omnibus editoribus in λάβῃ mutemus, quamvis et hoc egregium sensum fundit.

σπεῦσον· in pr. ed. vitiose legitur σωεῦσον.

Cap. XXXIII. ἀμελῆσαι τιμῶν, i. e. eos honores negligere, quos aliis tribuas, qui deo placent. Sensus ita bene se habet, nec tamen nego, arridere mihi conjecturam Potteri τινῶν. Nolui tamen in textum recipere.

Cap. XXXV. ἐν ἔργοις a pr. ed. et reliquis cum antecedente capite conjungitur; videtur potius hujus initio ponendum.

Cap. XXXVI. καὶ τοσούτῳ μᾶλλον ἧττον ἐπίσημοι, τρόπον τινὰ ἐκ τοῦ κλύδωνος· in ed. pr. legitur: πρότόν τινα. Hanc totam phrasin non intellexerunt editores, et variis modis conjecturis mederi student. Nonnulli ἧττον prorsus in interpretatione negligunt, et vertunt: eoque magis conspicui. Sed sensus est: eoque magis minus conspicui, i. e. hac ipsa re, quod sunt ἐκλεκτότεροι, minus conspicui, ἧττον ἐπίσημοι = ἀσημότεροι, τοσούτῳ μᾶλλον ἀσημότεροι, quo magis sunt electiores eo minus conspicui. Alii conjecturantur; non male: τοσούτῳ μᾶλλον ᾗ ἧττον ἐπίσημοι, eoque magis electi, quo minus conspicui. Bene, sed non opus est. πρότόν τινα haud dubie correctione eget; alii scribunt: πρὸς τὸν λιμένα, al. πρὸς ὅρμον τινὰ, ad sensum non male, sed a scriptione ed. pr., quae lacunam non indicat, quam maxime alienum. Nos facili mutatione literarum τρόπον τινα.

Cap. XXXVII. τὶ γὰρ ἔτι δεῖ; θεῷ τὰ τῆς ἀγάπης μυστήρια, καὶ τότε· ed. pr. τὶ γὰρ ἔτι δεῖ θεῷ τὰ τ. α. μ.· καὶ τότε, quod aptum sensum non fundit, nisi et verba inde a καὶ τότε usque ad ἐξηγήσατο interrogationem esse statuas et vertas, post τὶ γὰρ signo interrogationis posito: quid enim? num deo amplius sunt necessaria caritatis mysteria, et tunc demum (ubi omnia dissoluta erunt) in patris sinum intueberis, quem solus filius deus nobis revelavit? Sed et haec artificio-

siora. Propterea Segaarii conjecturam probo, *θεῶ* scribentis = *θεάον*, intuere.

ἐθηράθη· hac voce editores offenduntur, et conjiciunt *ἐθελύνθη* ex sqq. vel *ἀνεκράθη*. Facilius foret *ἐθεάθη*, visibilis nobis factus est; sed nec hoc necessarium. *θηρᾶν* apud Graecos usurpatur de amantium dolis et laboribus, quibus amatae captantur. Ita per amorem (suum) deus a nobis retibus amoris captivari se sivit, aus Liebe ging er ins Liebesnetz. Est descriptio crassior, sed loci ingenio bene conveniens.

τὸ δε εἷς ἡμῖν συμπαθὲς· in ed. pr. legitur *τὸ δὲ εἰς ἡμῖν συμπαθὲς*, quod sensum non fundit. Plerique *εἰς* simpliciter ommittunt, sed bene se habet, si *εἷς* scribitur, emittens vero, ex se projiciens.

ἐνέδυ· in ed. pr. mendose *ἐνέδη*.

καθῆκε τὴν ψυχὴν· eleganter demisit animam scil. in mortem, nec est cur mutetur in *κατέθηκε*.

ἀνθωμολογησάμεθα· in ed. pr. mendose *ἀνθωμολογησόμεθα*.

ἐπιπόνως ferri potest, si vertimus: graviter, ponderose. Alii improbant et conjiciunt *ἐπιφανῶς*, vel *εὐτόνως*; si conjiciendum est, malim *ἐπιπνόως*, quod magis ad literas accedit, i. e. revelatione digne.

Cap. XXXVIII. *τὴν καθ' ὑπερβολὴν ὁδὸν*· in ed. pr. vitio *τὴν ὑπερβολὴν ὁδὸν*.

Μήτε γὰρ τοῦτο εἰς ἀπόγνωσιν — παντάπασιν ὑπὸ τοῦ θεοῦ. cap. 39. Hic locus vexatissimus est et difficillimus. In ed. pr. ita verba se habent: *μήτε γὰρ τοῦτο εἰς ἀπόγνωσίν σοι καὶ ἀπόνοιαν καταλελείφθω, εἰ καὶ τὸν πλούσιον μάθοις ὅστις ἐστὶν, ὁ χώραν ἐν οὐρανοῖς οὐκ ἔχων, καί τινα τρόπον τοῖς οὖσι χρώμενος*. cap. 39. *Ἄν τις τό τε ἐπίῤῥει τὸν τοῦ πλούτου, καὶ χαλεπὸν εἰς ζωὴν διαφύγοι, καὶ δύναιτο τῶν αἰωνίων ἀγαθῶν ἐπαύρασθαι, εἴη δὲ τετυχηκὼς· ἢ δι' ἄγνοιαν, ἢ περίστασιν ἀκούσιον, μετὰ τὴν σφραγίδα καὶ τὴν λύτρωσιν περιπετήσισιν ἁμαρτήμασιν, ἢ παραπτώμασιν ὡς ὑπανηνέχθαι τέλεον, οὗτος κατεψήφισται παντάπασιν ὑπὸ τοῦ θεοῦ*. In his quae notavimus nullum omnino sensum fundunt; sed totius loci structura

et conjunctura nonnisi conjecturis restitui potest. Nos periculum fecimus, verba ἄν τις — ἐπαύρασθαι antecedenti periodo junximus; ἐπίῤῥει τὸν mutavimus in ἀπόρευτον (al. ἐπίῤῥητον quod reprehensionem meretur, sed vereor ut Graeci ita hanc vocem usurpaverint; al. ἀπόῤῥητον, alii aliter). Pro εἴη δὲ τετυχηκὼς, εἰ δὲ substituimus, novam inde periodum ordientes; pro περιπετήσωσιν conjecimus περιπετῇ τις ἐν.

Cap. XXXIX. φοινικοῦν ἔριον· in pr. ed. vitiose ἔοιον. ἄφεσιν ἁμαρτιῶν· in pr. ed. mendose ἄψεσιν. πατὴρ τῶν οἰκτιρμῶν· in pr. ed. vitiose οἰκτειρμῶν.

Cap. XL. εὕρω ὑμᾶς· in ed. pr. vitiose ἡμᾶς. Videtur hic locus ex apocrypho quodam libro vel ex traditione sumtus. ἵνα εὑρεθῇς· in ed. pr. vitiose ἵνα εὑρετῆς.

Cap. XLII. Hoc caput in editione principe valde mutilatum est; major scilicet lacuna est inter verba ὧν χάριν ἧκεν — φαιδρῶς γεγηθότες etc. Hujus totius loci nonnisi haec fragmenta reperiuntur: ὧν χάριν ἧκεν ..... ἄγε δὴ, ἔφη, ὦ ἐπίσκοπε τὴν παραθήκην ..... ἔγωγε καὶ ὁ σωτήρ σοι παρακ ... . προκαθέζῃ μάρτ .... οἰόμενος ἄτ ..... λογούμενος ταῖς οἱ μωγαῖς (sic) ὡς ἐδύνατο, καὶ τοῖς δάκρυσι βαπτίζων ..... δευτέρην μόνην ἀποκρύπτων τὴν δέξιαν. ὁ δὲ ἐπομνύων .... αὐτῷ παρὰ τοῦ σωτῆρος εὕρηται δεόμενος. γο .... ὑπὸ τῆς μετανοίας κεκα .... ἐπανήγαγε. καὶ δακ .... ἀγωνιζόμενος ..... οὐ ..... φαιδρῶς γεγηθότες etc.

Possumus tamen hanc lacunam fere totam explere ex Eusebio, qui hist. eccl. libr. III. c. 23. historiolam de juvene latrone a Joanne ad virtutem redacto ex nostro exscripsit. Quae inde hausimus, literis minusculis exprimenda curavimus. In fine tamen lacunae inter verba τροπαῖον ἀναστάσεως βλεπομένης — φαιδρῶς γεγηθότες desunt nonnulla prorsus, quae Felli conjecturam secuti restituimus, ita tamen ut hanc conjecturam, itidem literis minusculis expressam, uncis incluserimus. Ceterum subjecta est haec narratiuncula operum Dionysii Areopagitae editioni Florent. 1515. 8. et commemorata apud Syncellum, Nicephorum, Chrysostomum, Anastasium Sinaitam, Antiochum. Hic eam Irenaeo tribuit. Fortasse ex

Irenaeo Clemens desumserat (cf. Fabricius Cod. apocr. N. T. I. p. 536).

ἄκουσον· ed. pr. vitiose *ἄκουσουν*.

ἐπὶ τὴν Ἔφεσον, Eus. *εἰς τ. Ε.*

ὅπου δὲ κλῆρον, ἕνα τέ τινα· Eus. *ὅπου δὲ κλήρῳ ἕνα γέ τινα.*

σημαινομένων· ed. pr. vitiose *συμαινομένων*.

τὰ ἄλλα ἀναπαύσας· Eus. *τἄλλα.*

παρατίθεμαι· Eus. *παρακατατίθημαι.*

ὑπισχνουμένου· ed. pr. vitiose *ὑπισχνομένου*.

διετείλατο καὶ διεμαρτύρατο, καὶ· Eus. *διελέγετο καὶ διεμαρτύρετο, εἶτα.*

ὁ μὲν ἐπὶ τὴν Ἔφεσον· Eus. *ὁ μὲν ἀπῇρεν ἐ. τ. Ε.*

ὡς τὸ τέλεον· Eus. *ὡς τὸ τέλειον.*

ἥλικες, ἀργοὶ, ἐθάδες· Eus. *ἥλικες, ἀργοὶ καὶ ἀπεῤῥωγότες, ἐθάδες.*

ἑστιάσεων πολλῶν πολυτελῶν· Eus. *ἑστ. πολυτελῶν.*

ὑπάγονται· Eus. *ἐπάγονται.*

εἶτά που καὶ νύκτωρ ἐπὶ λωποδυσίαν ἐξιόντες συνεπάγονται Eus. non habet.

ἐκστὰς ὥςπερ ἄστομος· *ἐκστὰς* deest in ed. pr. ex Eus. addendum.

ἅπαξ ἀπόλωλεν· Eus. *ἅπαξ ἀπολώλει.*

αὐτοὺς δὲ τούτους· Eus. *α. δὴ τ.*

ἐπειδὴ τὰ ἄλλα· Eus. *ἐπεὶ τὰ ἄλλα.*

τὴν παραθήκην· Eus. *τὴν παρακαταθήκην.*

ἐγώγε καὶ ὁ σωτήρ· Eus. *ἐγώ τε καὶ ὁ Χριστός.*

ὁ δὲ ἐγγυώμενος ἐπομνύων· ed. p. non habet; *εγγυώμενος*, Eus. *ἐγγυώμενος ἐπομνύμενος.*

εὕρηται δεόμενος· Eus. *ηὕρηται δ.*

ἀνοιγνύντες· ed. pr. vitiose *ἀνοιγνοῦντες*.

διδόντος τοῦ σωτῆρος· ed. pr. errore typographi *διδόντες τ. σ.*

LIPSIAE, IMPRESSERUNT GIESECKE ET DEVRIENT.

ERRATA.

p. 3 l. ult. ventilatum lege: *ventilatam.*
„ 25 „ 6 ab ult. hoc lege: *hac.*
„ 29 „ 12 ab ult. utiusque lege: *utriusque.*

Im 2. Fascikel dieser *Bibliotheca Patrum selectissima*, dem Buche Tertullian's *de resurrectione carnis*, hat sich trotz sorgfältiger Correctur ein unbegreiflicher Fehler eingeschlichen:
Seite 20, Z. 4 von unten ist statt der sinnlosen Buchstaben

ults fuerit; nisirobuisset

zu lesen:

ultro praesumi debuisset.

BIBLIOTHECA

PATRUM ECCLESIASTICORUM

SELECTISSIMA.

AD OPTIMARUM EDITIONUM FIDEM RECUDI

CURAVIT

DR. GUIL. BRUNO LINDNER.

FASC. IV.

LIPSIAE,
DÖRFFLING & FRANKE.
MDCCCLXI.

QUINTI SEPTIMII FLORENTIS TERTULLIANI

DE ANIMA

LIBER.

TEXTUM DENUO RECENSUIT

Dr. GUIL. BRUNO LINDNER.

LIPSIAE,

DÖRFFLING & FRANKE.

MDCCCLXI.

PROOEMIUM.

Librum Tertulliani *de anima* ideo excudendum elegimus, quia auctoris acumen ingenii non minus quam literarum philosophicarum et historicarum egregiam notitiam splendidissime testatur. Ex eo cognoscere licet, quam penitus in philosophorum placitis Tertullianus versatus fuerit, et quanta solertia et festivitate eorum dogmata refutare calleat, quoties a Christiana veritate et ratione aberrant. Est inter scriptoris nostri libros et jucundissimus et utilissimus.

Tertullianeorum scriptorum textus et per se intellectu est difficillimus, propter nimias dictionis praegnantias et salebras, et librariorum lapsibus et emendationibus corruptissimus. Non mirum, quod in eo restituendo longa virorum doctissimorum series lucubravit. Inde, ut fieri solet, nimium indulserunt corrigendi et conjecturis medendi pruritui, et saepe ibi etiam emendationes suas adsperserunt, ubi correctura non opus est. Nos eam regulam strenue secuti sumus, ut nonnisi iis locis, quibus evitari non potuit, conjecturas admitteremus, et ubicumque sensus e librorum lectione elici potuit, eam reponeremus. Id, si recentiores editores comparabis, innumeris fere locis factum esse

invenies. Sensum, ubi difficultas id poscere videbatur, in notis breviter explicuimus. Multis etiam locis novas conjecturas, ubi opus erat, deprehendes.

Sic accipe, benevole lector, hunc libellum, quem non sine labore et sudore, sed cum summa voluptate exaravimus. Liceat nobis sperare fore, ut oleum et operam non prorsus perdiderimus.

Guil. Bruno Lindner.

1. De solo censu[1] animae congressus Hermogeni, quatenus et istum ex materiae potius suggestu quam ex dei flatu constitisse praesumpsit, nunc ad reliquas conversus quaestiones plurimum videbor cum philosophis dimicaturus. Etiam in carcere Socratis de animae statu velitatum est, nescio iam hoc primum, an opportuno in tempore magistri, etsi nihil de loco interest. Quid enim liquido saperet anima tunc Socratis, iam sacro navigio regresso, iam cicutis damnationis exhaustis,[2] iam morte praesente utique consternata ad aliquem motum secundum naturam, aut externata,[3] si non secundum naturam? Quamvis enim placida atque tranquilla, quam nec coniugis fletus statim viduae nec liberorum conspectus exinde pupillorum lege pietatis inflexerat, vel in hoc tamen mota, ne moveretur, ipsa constantia concussa est adversus inconstantiae concussionem.[4] Quid autem aliud saperet vir quilibet iniuria damnatus praeter iniuriae solamen? nedum philosophus gloriae animal, cui nec consolanda est iniuria, sed potius insultanda? Denique post sententiam obviae coniugi et muliebriter inclamanti: iniuste damnatus es Socrates! iam et de gratulatione responderat: volebas autem iuste?

---

1) *census* = origo, natura. v. Tert. 2) *cicutis damnationis exhaustis:* mane Socrati nuntiatum erat, sub vespere cicutas ipsi bibendas fore; ita iam ante ipsas cicutas damnationis cruciatus exhauserat. 3) *externata* = alienata, extra se posita. v. m. 1. 4) Sensus est: Socratis studium animi quietem servandi ipsum commotionem animi effecit, quia solidum constantiae fundamentum, fidem Christianam, nondum novit. Sic arte et industria animi tranquillitatem retinuit, aequanimitas consulta, non sponte fluens fuit.

Quo nihil mirandum, si et in carcere inviscatas[5] Anyti et Meliti[6] palmas gestiens infringere, ipsa morte coram immortalitatem vindicat animae necessaria praesumptione ad iniuriae frustrationem. Adeo omnis illa tunc sapientia Socratis de industria venerat consultae aequanimitatis, non de fiducia compertae veritatis. Cui enim veritas comperta sine deo? cui deus cognitus sine Christo? cui Christus exploratus sine spiritu sancto? cui spiritus sanctus accommodatus sine fidei sacramento? Sane Socrates facilius diverso spiritu agebatur; siquidem aiunt daemonium illi a puero adhaesisse, pessimum revera paedagogum, etsi post deos et cum deis daemonia deputantur penes poetas et philosophos. Nondum enim Christianae potestatis documenta processerant, quae vim istam perniciosissimam nec unquam bonam, atquin omnis erroris artificem, omnis veritatis avocatricem, sola traducit. Quodsi idcirco sapientissimus Socrates secundum Pythii quoque daemonis suffragium, scilicet negotium navantis socio suo,[7] quanto dignior constantiae Christianae atque sapientiae adsertio, cuius afflatui tota vis daemonum cedit? Haec sapientia de schola coeli, deos quidem seculi negare liberior, quae nullum Aesculapio gallinaceum reddi iubens praevaricetur, nec nova inferens daemonia, sed vetera depellens, nec adolescentiam vitians, sed omni bono pudoris informans, ideoque non unius urbis, sed universi orbis iniquam sententiam sustinens pro nomine veritatis tanto scilicet perosioris quanto plenioris, ut et mortem non de poculo per habitum incunditatis absorbeat, sed de patibulo et vivicomburio per omne ingenium crudelitatis exhauriat. Interea in isto tenebrosiore carcere seculi inter suos Cebetas et suos Phaedonas, si quid de anima examinandum est, ad dei regulas diriget. Cedo nullum alium potiorem animae demonstratorem, quam auctorem.[8] A deo

---

5) *inviscatas* i. e. visco = malis artibus, aucupis instar, paratas. v. m. l. 6) *Anyti et Meliti*, fuerunt accusatores Socratis. 7) *socio suo* scil. daemonio Socratis. 8) Locus satis depravatus. In optimis libris leguntur verba: *Certe nullum alium potiorem animae demonstratorem, quam auctorem*. Haec sensum non fundunt. Alii aliis conjecturis medentur; nos uno vocabulo paululum mutato sensum restituimus. Posses etiam conjicere pro *certe*: *crede*.

discas quod a deo habeas, aut nec ab alio, si nec a deo. Quis enim revelabit, quod deus texit? unde sciscitandum est? unde et ignorare tutissimum est; praestat per deum nescire, quia non revelaverit, quam per hominem scire, quia ipse praesumpserit.

2. Plane non negabimus aliquando philosophos iuxta nostra sensisse; testimonium est veritatis eventus ipsius. Nonnunquam et in procella confusis vestigiis coeli et freti aliqui portus offenditur prospero errore, nonnunquam et in tenebris aditus quidam et exitus deprehenduntur caeca felicitate; sed et natura pleraque suggeruntur quasi de publico sensu, quo animam deus dotare dignatus est. Hunc nacta philosophia ad gloriam propriae artis inflavit prae studio (non mirum si istud ita dixerim) eloquii quidvis struere atque destruere eruditi magisque dicendo persuadentis quam docendo. Formas rebus imponit, eas nunc peraequat nunc privat,[1] de certis incerta praeiudicat, provocat ad exempla, quasi comparanda sint omnia, omnia praescribit,[2] proprietatibus etiam inter similia diversis, nihil divinae licentiae servat, leges naturae opiniones suas facit; ferrem, si naturalis ipsa, ut compos naturae de conditionis consortio probaretur. Visa est quidem sibi et ex sacris, quas putant, literis hausisse, quia plerosque auctores etiam deos existimavit antiquitas, nedum divos, ut Mercurium Aegyptium, cui praecipue Plato adsuevit, ut Silenum Phrygem, cui a pastoribus perducto ingentes aures suas Midas tradidit,[3] ut Hermotimum, cui Clazomenii mortuo templum contulerunt, ut Orpheum, ut Musaeum, ut Pherecydem Pythagorae magistrum. Quid autem, si philosophi etiam illa incursaverunt, quae penes nos apocryphorum confessione damnantur, certos nihil recipiendum quod non conspiret germanae et ipso iam aevo pronatae propheticae paraturae,[4] quando et pseudoprophetarum meminerimus et multo prius apostatarum spirituum, qui huiusmodi quoque ingeniorum calliditate omnem faciem se-

1) *privat* = singulis proprias tribuit. v. Tert. 2) *praescribit* = definitionibus circumscribit. 3) Sensus: qui Midae magister fuit. 4) *paratura* = apparatus, instrumentum. v. Tert.

culi instruxerint? Postremo si etiam ad ipsos prophetas adisse credibile est indagatorem quemque sapientiae ex negotio curiositatis, tamen plus diversitatis invenias inter philosophos quam societatis, cum et in ipsa societate diversitas eorum deprehendatur. Siquidem vera quaeque et consonantia prophetis aut aliunde commendant aut aliorsum subornant cum maxima iniuria veritatis, quam efficiunt aut adiuvari falsis aut patrocinari. Hoc itaque commiserit nos et philosophos in ista praesertim materia, quod interdum communes sententias propriis argumentationibus vestiant, contrariis alicubi regulae nostrae, interdum sententias proprias communibus argumentationibus muniant, consentaneis alicubi regulae illorum, ut prope exclusa sit veritas a philosophia per veneficia in illam sua, et ideo utroque titulo societatis adversario veritatis urgemur et communes sententias ab argumentationibus philosophorum liberare et communes argumentationes a sententiis eorum separare, revocando quaestiones ad dei literas, exceptis plane quae sine laqueo alicuius praeiudicii ad simplex testimonium licebit adsumere, quia et ex aemulis nonnunquam testimonium necessarium, si non aemulis prosit. Nec ignoro, quanta sit silva materiae istius apud philosophos pro numero etiam ipsorum commentatorum, quot varietates sententiarum, quot palaestrae opinionum, quot propagines quaestionum, quot implicationes expeditionum. Sed et medicinam inspexi, sororem, ut aiunt, philosophiae, sibi quoque hoc negotium vindicantem, ut ad quam magis animae ratio pertinere videatur per corporis curam. Unde et plurimum sorori refragatur, quod animam quasi coram in domicilio suo tractando magis norit. Sed viderit utriusque praestantiae ambitio. Habuit et philosophia libertatem ingenii et medicina necessitatem artificii ad extendendos de anima retractatus; late quaeruntur incerta, latius disputantur praesumpta. Quanta difficultas probandi, tanta operositas suadendi, ut merito Heraclitus ille tenebrosus vastiores caligines animadvertens apud examinatores animae taedio quaestionum pronuntiarit, terminos animae nequaquam invenisse omnem viam ingrediendo. Christiano autem paucis ad scien-

tiam huius rei opus est; nam et certa semper in paucis, et amplius illi quaerere non licet, quam quod inveniri licet; infinitas enim quaestiones apostolus prohibet. Porro non amplius 1.Tim.1,4. inveniri licet, quam quod a deo discitur; quod autem a deo discitur, totum est.

3. Atque utinam nullas haereses oportuisset existere, ut probabiles quique emicarent; nihil omnino cum philosophis 1.Cor.11,19. super anima quoque experiremur, patriarchis, ut ita dixerim, haereticorum; siquidem et ab apostolo iam tunc philosophia Col. 2, 8. concussio veritatis providebatur; Athenis enim expertus linguatam civitatem, cum omnes illic sapientiae atque facundiae caupones degustasset, inde concepit praemonitorium illud edictum. Proinde enim et animae ratio per philosophatas doctrinas hominum miscentes aquas vino: alii immortalem negant animam, alii plusquam immortalem affirmant,[1] alii de substantia, alii de forma, alii de unaquaque dispositione disceptant; hi statum eius aliunde ducunt, hi exitum aliorsum abducunt, prout aut Platonis honor aut Zenonis vigor aut Aristotelis tenor aut Epicuri stupor aut Heracliti moeror aut Empedoclis furor persuaserunt. Deliquit, opinor, divina doctrina ex Iudaea potius quam ex Graecia oriens. Erravit et Christus piscatores citius quam sophistam ad praeconium emittens. Si qua igitur in hunc modum de nidoribus philosophiae candidum et purum aërem veritatis infuscant, ea erunt Christianis enubilanda et percutientibus argumentationes originales,[2] id est philosophicas, et opponentibus definitiones coelestes, id est dominicas; ut et illa, quibus ethnici a philosophia capiuntur, destruantur, et haec, quibus fideles ab haeresi concutiuntur, retundantur, una iam congressione decisa adversus Hermogenem, ut praefati sumus, quia animam ex dei flatu, non ex materia vindicamus, muniti et illic divinae determinationis inobscurabili regula: *et flavit*, inquit, *deus flatum vitae in faciem hominis*, *et factus est homo in animam vivam*, utique ex dei flatu. De isto Gen. 2,7.

---

1) scil. divinae substantiae, sicut Gnostici. 2) *originales* = e principiis physicis deductas.

nihil amplius revolvendum; habet suum titulum, et suum haereticum. Ceteris hinc exordium inducam.

De substantia animae et an corporalis sit.

4. Post definitionem census quaestionem status patitur. Consequens enim est, ut ex dei flatu animam professi initium ei deputaremus. Hoc Plato excludit innatam et infectam animam volens, et natam autem docemus et factam ex initii constitutione. Nec statim erravimus utrumque dicentes, quia scilicet aliud sit natum aliud factum, utpote illud animalibus competens. Differentiae autem sua habendo loca et tempora habent aliquando et passivitatis commercia. Capit itaque et facturam promiscue poni,[1] siquidem omne quod quoquo modo accipit esse generatur. Nam et factor ipse parens facti potest dici; sic et Plato utitur. Igitur quantum ad fidem nostram factae nataeve animae, depulsa est philosophi opinio auctoritate prophetiae quoque.

5. Accerserit Eubulum aliquem et Critolaum et Xenocratem, et isto in loco amicum Platonis Aristotelem. Fortassean exstruentur magis ad auferendam animae corpulentiam, si non alios e contrario inspexerint, et quidem plures, corpus animae vindicantes. Nec illos dico solos, qui eam de manifestis corporalibus effingunt, ut Hipparchus et Heraclitus ex igni, ut Hippon et Thales ex aqua, ut Empedocles et Critias ex sanguine, ut Epicurus ex atomis, si et atomi corpulentias de coitu suo cogunt, ut Critolaus et Peripatetici eius ex quinta nescio qua substantia, si et illa corpus, quia corpora includit; sed etiam Stoicos allego, qui spiritum praedicantes animam paene nobiscum, qua proxima inter se flatus et spiritus, tamen corpus animam facile persuadebunt. Denique Zeno consitum spiritum definiens animam hoc modo instruit: quo, inquit, digresso animal emoritur corpus est, consito autem spiritu digresso animal emoritur, ergo consitus spiritus corpus est; consitus autem spiritus anima est, ergo corpus est anima. Vult et Cleanthes non solum corporis lineamentis, sed et animae notis similitudinem parentibus in filios respondere, de

1) In libris legitur: *Capit itaque et facturam pro inesse poni.* Varie viri docti loco mederi student. Nos, ut legis. *Capit* = δέχεται, licet, fas est. v. Tert.

speculo scilicet morum et ingeniorum et affectuum, corporis autem similitudinem et dissimilitudinem capere et animam. Itaque corpus similitudini, vel dissimilitudini obnoxium. Item corporalium et incorporalium passiones inter se non communicare. Porro et animam compati corpori, cui laeso ictibus, vulneribus, ulceribus condolescit, et corpus animae, cui afflictae cura, angore, amore cohaerescit per detrimentum socii vigoris, cuius pudorem et pavorem rubore atque pallore testetur. Igitur anima corpus ex corporalium passionum communione. Sed et Chrysippus manum ei porrigit, constituens corporalia ab incorporalibus derelinqui omnino non posse, quia nec contingantur ab eis, (unde et Lucretius: *tangere enim et tangi nisi corpus nulla potest res,*) derelicto autem corpore ab anima affici morte. Igitur corpus anima, quae nisi corporalis corpus non derelinqueret. de Nat. Rer. I, 305.

6. Haec Platonici subtilitate potius quam veritate conturbant. Omne, inquiunt, corpus aut animale sit necesse est aut inanimale. Et siquidem inanimale est, extrinsecus movebitur, si vero animale, intrinsecus. Anima autem nec extrinsecus movebitur, ut quae non sit inanimalis, nec intrinsecus, ut quae ipsa potius moveat corpus. Itaque non videri eam corpus, quae non corporalium forma ex aliqua regione moveatur. Ad hoc nos mirabimur incongruentiam primo definitionis provocantis ad ea, quae in animam non conveniunt. Non enim potest anima animale corpus dici aut inanimale, cum ipsa sit quae aut faciat corpus animale, si adsit, aut inanimale, si absit ab illo. Itaque quod facit non potest esse ipsa, ut dicatur animale vel inanimale. Anima enim dicitur substantiae suae nomine. Quodsi non capit animale corpus dici aut inanimale quod est anima, quomodo provocabitur ad animalium et inanimalium corporum formam? Dehinc si corporis est moveri extrinsecus ab aliquo, ostendimus autem supra moveri animam et ab alio, cum vaticinatur, cum furit, utique extrinsecus, cum ab alio: merito quod movebitur extrinsecus ab alio secundum exempli propositionem corpus agnoscam. Enimvero si ab alio moveri corporis est, quanto magis movere aliud? Anima autem movet corpus, et conatus eius extrinsecus foris parent.

Ab illa est enim impingi et pedes in incessum et manus in contactum et oculos in conspectum et linguam in effatum, velut sigillario[1] motu superficiem intus agitante. Unde haec vis incorporali animae? unde vacuae rei solida propellere? Sed quomodo divisi videntur in homine sensus corporales et intellectuales? Corporalium aiunt rerum qualitates, ut terra, ut ignis, corporalibus sensibus renuntiari, ut tactui, ut visui, incorporalium vero intellectualibus conveniri, ut benignitatis, ut malignitatis. Itaque incorporalem esse animam constat, cuius qualitates non corporalibus, sed intellectualibus sensibus comprehendantur. Plane, si non huius definitionis gradum exclusero. Ecce enim incorporalia ostendo corporalibus sensibus subiici, sonum auditui, colorem conspectui, odorem odoratui, quorum exemplo etiam anima corpori accedit, ne dicas idcirco ea per corporales renuntiari sensus, quia corporalibus accedant. Igitur si constat incorporalia quoque a corporalibus comprehendi, cur non et anima, quae corporalis, ab incorporalibus renuntietur? Certe definitio exclusa sit. De insignioribus argumentationibus erit etiam illa, quod omne corpus corporalibus ali iudicant, animam vero ut incorporalem incorporalibus, sapientiae scilicet studiis. Sed nec hic gradus stabit, etiam Sorano[2] methodicae medicinae instructissimo auctore respondente animam corporalibus quoque ali, denique deficientem a cibo plerumque fulciri, Quidni? quo adempto in totum dilabitur ex corpore. Ita etiam ipse Soranus, plenissime super anima commentatus quatuor voluminibus et cum omnibus philosophorum sententiis expertus, corporalem animae substantiam vindicat, etsi illam immortalitate fraudavit. Non enim omnium est credere, quod Christianorum est. Sicut ergo Soranus ipse rebus ostendit animam corporalibus ali, proinde et philosophus exhibeat illam incorporalibus pasci. Sed nemo unquam cunctanti de exitu animae mulsam aquam de eloquio Platonis infudit aut micas de minutiloquio Aristotelis infersit.

1) *sigillario*, vox obscura; explicant alii = nervosus νευροσπαστος; alii = artificiosus, αὐτοματος 2) *Soranus* celeber de re medica scriptor, Trajani et Hadriani temporibus florens.

Quid autem facient tot ac tantae animae rupicum et barbarorum, quibus alimenta sapientiae desunt? tamen indoctae prudentia pollent, et sine academiis et porticibus Atticis et carceribus Socratis, denique ieiunantes a philosophia nihilominus vivunt. Non enim substantiae ipsi alimenta proficiunt studiorum, sed disciplinae, quia nec opimiorem animam efficiunt, sed ornatiorem. Bene autem, quod et artes Stoici corporales affirmant. Adeo sic quoque anima corporalis, si et artibus ali creditur. Sed enormis intentio philosophiae solet plerumque nec prospicere pro pedibus. Sic Thales in puteum. Solet et sententias suas non intelligendo valetudinis corruptelam suspicari. Sic Chrysippus ad elleborum. Tale aliquid opinor ei accidit, quum duo in unum corpora negavit, alienata a prospectu et recogitatu praegnantum, quae non singula quotidie corpora, sed et bina et terna in unius uteri ambitu perferunt. Invenitur etiam in iure civili Graeca quaedam quinionem enixa filiorum, semel omnium mater, unici fetus parens multiplex, unici uteri puerpera numerosa, quae tot stipata corporibus, paene dixerim populo, sextum ipsa corpus fuit. Universa conditio [3] testabitur corpora de corporibus processura iam illic esse unde procedunt. Secundum sit necesse est quod ex alio est. Nihil porro ex alio est, nisi dum gignitur, sed tunc duo sunt.

7. Quantum ad philosophos satis haec, quia quantum ad nostros ex abundanti, quibus corporalitas animae in ipso evangelio relucebit. Dolet apud inferos anima cuiusdam, et punitur in flamma, et cruciatur in lingua, et de digito animae felicioris implorat solatium roris. Imaginem existimas exitum illum pauperis laetantis et divitis moerentis? et quid illic Lazari nomen, si non in veritate res est? Sed etsi imago credenda est, testimonium erit veritatis. Si enim non haberet anima corpus, non caperet imago animae imaginem corporis, nec mentiretur de corporalibus membris scriptura, si non erant. Quid est autem illud, quod ad inferna transfertur post divortium corporis? quod detinetur illic? quod in idem iudicii reservatur? ad quod et Christus moriendo descendit? puto, ad

Luc. 16, 23 sqq.

3) *Conditio* = creatura: v. Tert.

animas patriarcharum. Sed quamobrem, si nihil anima sub terris? Nihil enim, si non corpus; incorporalitas enim ab omni genere custodiae libera est, immunis a poena et a fovela. Per quod enim punitur aut fovetur hoc erit corpus; reddam de isto plenius et opportunius. Igitur si quid tormenti sive solatii anima praecerpit in carcere seu diversorio inferum, in igni vel in sinu Abrahae, probata erit corporalitas animae. Incorporalitas enim nihil patitur, non habens per quod pati possit; aut si habet, hoc erit corpus. In quantum enim omne corporale passibile est, in tantum quod passibile est corporale est.

8. Abruptum alioquin et absurdum idcirco quid de corporalium eximere censu, quia ceteris corporalibus exemplis non adaequet, ubi proprietatum privata discrimina, per quae magnificentia auctoris ex operum eorundem diversitate signatur, ut sint tam discreta quam paria, tam amica quam et aemula. Siquidem et ipsi philosophi ex contrariis universa constare condicunt secundum amicitiam et inimicitiam Empedoclis. Sic igitur etsi corporalia incorporalibus obiacent, ipsa quoque ita inter se differunt, ut differentia species eorum ampliet, non genus mutet; ut sint corporalia sic multa in dei gloria, dum varia: sic varia, dum diversa: sic diversa, dum his alii qualitatum sensus, alii aliis, dum his alia alimenta, alia illis, dum haec invisibilia, illa visibilia, dum haec gravia, illa levia. Aiunt enim et idcirco animam incorporalem renuntiandam, quia digressa ea graviora efficiantur corpora defunctorum, cum leviora esse deberent, unius corporis pondere exempto, si anima corpus. Quid enim, inquit Soranus, si mare negent corpus, quia extra mare immobilis et gravis navis efficitur? Quanto ergo validius corpus animae, quod tanti postea ponderis corpus levissima mobilitate circumfert? Ceterum etsi invisibilis anima, et pro conditione corporis sui et proprietate substantiae et pro natura etiam eorum, quibus invisibilis, esse sortita est.[1] Solem noctuae nesciunt

1) *Ceterum — sortita est*, hic locus ab omnibus editoribus vario modo vexatus emendatione non eget. Construe: Ceterum etsi anima invisibilis — pro conditione corporis etc. — et natura eorum, quibus invisibilis — invisibilis esse nacta est.

oculis, aquilae ita sustinent, ut natorum suorum generositatem de pupillarum audacia iudicent, alioqui non educabunt, ut degenerem, quem solis radius averterit. Est ideo alteri quid invisibile, alteri non, quod non ideo incorporale sit, quia non ex aequo vis valet.[2] Sol enim corpus, siquidem ignis; sed quod aquila confiteatur, neget noctua, non tamen praeiudicans aquilae. Tantundem et animae corpus invisibile carni, si forte, spiritui vero visibile. Sic Ioannes in spiritu dei factus animas martyrum conspicit. Apoc. 2, 9.

9. Quum animae corpus adserimus propriae qualitatis et sui generis, iam haec conditio proprietatis de ceteris accidentibus corpulentiae praeiudicavit: haec adesse qua corpus ostendimus, sed et ipsa sui generis pro corporis proprietate; aut etsi non adsint, hoc esse proprietatis, non adesse corpori animae quae corporibus et ceteris adsint. Et tamen non inconstanter profitebimur sollemniora quaeque et omnimodo debita corpulentiae adesse animae quoque, ut habitum, ut terminum, ut illud trifariam distantium, longitudinem dico et latitudinem et sublimitatem, quibus metantur corpora philosophi. Quid nunc quod et effigiem animae damus? Platone nolente, quasi periclitetur de animae immortalitate. Omne enim effigiatum compositum et structile affirmat; dissolubile autem omne compositivium et structile. Sed animam immortalem: igitur indissolubilem, qua immortalem, et ineffigiatam, qua indissolubilem, ceterum composititiam et structilem, si effigiatam. Tamquam alio eam modo effigians intellectualibus formis, pulchram iustitia et disciplinis philosophiae, deformem vero contrariis artibus. Sed nos corporales quoque illi inscribimus lineas, non tantum ex fiducia corporalitatis per aestimationem, verum et ex constantia gratiae per revelationem[1]. Nam quia spiritalia charismata agnoscimus, post Ioannem quoque prophetiam meruimus et consequi. Est hodie soror apud nos revelationum

De effigie animae.

---

2) Sensus: quia alter oculorum vi pollet.

1) Sensus: Corporalem formam animae tribuimus, non ex propria tantum existimatione, sed etiam ex revelatione; quippe apud nos (Montanistas) constans est gratia et continuantur charismata.

charismata sortita, quas in ecclesia inter dominica sollemnia per ecstasin in spiritu patitur; conversatur cum angelis, aliquando etiam cum domino, et videt et audit sacramenta,[2] et quorundam corda dinoscit, et medicinas desiderantibus sumit. Iam prout scripturae leguntur aut psalmi canuntur aut allocutiones proferuntur aut petitiones delegantur, ita inde materiae visionibus subministrantur. Forte nescio quid de anima disserueramus, cum ea soror in spiritu esset. Post transacta sollemnia dimissa plebe, quo usu solet nobis renuntiare quae viderit, (nam et diligentissime digeruntur, ut etiam probentur): inter cetera, inquit, ostensa est mihi anima corporaliter, et spiritus videbatur, sed non inanis et vacuae qualitatis, imo quae etiam teneri repromitteret, tenera et lucida et aërii coloris, et
Cor. 12.1. sqq. forma per omnia humana. Hoc visio. Et deus testis et apostolus charismatum in ecclesia futurorum idoneus sponsor. Tunc et si res ipsa de singulis persuaserit, credas. Si enim corpus anima, sine dubio inter illa quae supra sumus professi. Proinde et coloris proprietas omni corpori adhaeret. Quem igitur alium animae aestimabis colorem, quam aërium ac lucidum? non ut aër sit ipsa substantia eius, etsi hoc Aenesidemo visum est et Anaximeni, puto secundum quosdam et Heraclito, nec ut lumen, etsi hoc placuit Pontico Heraclidi. Nam et cerauniis gemmis[3]) non ideo substantia ignita est, quod coruscent rutilato rubore, nec beryllis ideo aquosa materia est, quod fluctuent colato nitore. Quanta enim et alia color sociat, natura dissociat? Sed quoniam omne tenue atque perlucidum aëris aemulum est, hoc erit anima, qua flatus est et spiritus tradux; siquidem prae ipsa tenuitatis subtilitate de fide corporalitatis periclitatur. Sic et effigiem de sensu iam tuo concipe non aliam animae humanae deputandam praeter humanam, etsi quidem eius corporis, quod unaquaeque circumtulit. Hoc nos sapere interim primordii contemplatio inducat. Recogita enim, cum deus flasset in faciem hominis flatum vitae, et factus esset homo in animam vivam, totus utique,[4] per faciem statim

2) = mysteria. 3) gemmae fulminis instar rutilantes. 4) i. e. non singulae tantum partes, totus homo anima viva factus est.

flatum illum in interiora transmissum et per universa corporis spatia diffusum simulque divina aspiratione densatum omni intus linea expressum esse, quam densatum impleverat, et velut in forma gelasse. Inde igitur et corpulentia animae ex densatione solidata est et effigies expressione formata. Hic erit homo interior, alius exterior, dupliciter unus; habens et ille oculos et aures suas, quibus populus dominum audire et
videre debuerat,[5] habens et ceteros artus, per quos et in Mth. 13.14.sqq.
cogitatibus utitur et in somniis fungitur. Sic et diviti apud in- Jes. 6,9.10.
feros lingua est, et pauperi digitus, et sinus Abrahae. Per has Luc. 16,23.
lineas et animae martyrum sub altari intelliguntur. A primor- Apoc. 6,9.
dio enim in Adam concreta et configurata corpori anima, ut totius substantiae, ita et conditionis istius semen efficit.

De simplicitate substantiae. Spiritus et anima unum.

10. Pertinet ad statum fidei simplicem animam determinare secundum Platonem, id est, uniformem duntaxat substantiae nomine. Viderint artes et disciplinae, viderint et effigies. Quidam enim volunt aliam illi substantiam naturalem inesse spiritum, quasi aliud sit vivere, quod venit ab anima, aliud spirare, quod fiat a spiritu. Nam et animalibus non omnibus utrumque adesse; pleraque enim vivere solummodo, non etiam spirare, eo quod non habeant organa spiritus, pulmones et arterias. Quale est autem in examinatione humanae animae culicis atque formicae argumenta respicere? quando et vitalia pro cuiusque generis dispositione omnibus propria animalibus temperaverit artifex deus, ut nulla inde coniectura captanda sit? Nam neque homo, si pulmonibus et arteriis structus est, idcirco aliunde spirabit, aliunde vivet, neque formica, si membris huiusmodi caret, idcirco negabitur spirare, quasi solummodo vivens. Cui vero tantum patuit in dei opera, ut alicui haec deesse praesumpserit? Herophilus ille medicus aut lanius, qui sexcentos exsecuit, ut naturam scrutaretur, qui hominem

5) Infelici conjectura recentes editores omnes pro *populus* conjiciunt *Paulus*, citantes 1 Cor. 12, 2—4. Non tantum frustra sed falso. Ibi enim Paulus non vidit deum; sic *debuerat* sensu prorsus caret. Sensus: his auribus et oculis interioris hominis populus secundum Jesaiam dominum videre et audire debuisset; sed non audivit et vidit; deerant oculi et aures mentis: physice nec caeci nec surdi erant.

odiit, ut nosset, nescio an omnia interna eius liquido explorarit, ipsa morte mutante quae vixerant, et morte non simplici, sed ipsa inter artificia exsectionis errante. Philosophi pro certo renunciaverunt culicibus et formicis et tineis deesse pulmones et arterias. Dic mihi, inspector curiosissime, oculos habent ad videndum? Atquin et pergunt quo volunt, et vitant et appetunt quae videndo sciunt. Designa oculos, denota pupillas. Sed et exedunt tineae. Demonstra mandibulas, deprome genuinos. Sed et personant culices, ne in tenebris quidem aurium caeci. Tubam pariter et hiantiam oris illius ostende. Quodvis animal unius licet puncti aliquo alatur necesse est. Exhibeas pabuli transmittendi, decoquendi defaecandique membra. Quid ergo dicemus? Si per haec vivitur, erunt haec in omnibus utique quae vivent, etsi non videntur, etsi non apprehenduntur pro mediocritate. Hoc magis credas, si deum recogites tantum artificem in modicis, quantum et in maximis. Si vero non putas capere tam minuta corpuscula dei ingenium, sic quoque magnificentiam eius agnoscas, quod modicis animalibus sine necessariis membris nihilominus vivere instruxerit, salvo etiam visu sine oculis, et esu sine denticulis, et digestu sine alveis, quemadmodum et incedunt quaedam sine pedibus manante impetu, quod angues, et insurgente conatu, quod vermes, et spumante reptatu, quod limaces. Ita et spirari cur non putes sine pulmonum follibus et sine fistulis arteriarum? ut pro magno amplectaris argumento, idcirco animae humanae spiritum accedere, quia sint quae spiritu careant, et idcirco ea spiritu carere, quia flaturalibus artubus structa non sint? Vivere sine spiritu existimas aliquid, spirare sine pulmonibus non putas? Quid est, oro te, spirare? flatum, opinor, ex semet ipso agere. Quid est vivere? flatum, opinor, ex semet ipso non agere. Hoc enim respondere debebo, si non idem est spirare, quod vivere. Sed mortui erit non agere flatum; ergo viventis est agere flatum. Sed et spirantis est agere flatum; ergo et spirare viventis est. Utrumque si sine anima decurrere potuisset, non fuisset animae spirare, sed solummodo vivere. At enim vivere spirare est, si et spirare vivere. Si

ergo totum hoc et spirare et vivere, eius est cuius et vivere, id est animae. Denique si separas spiritum, naturam, separa et opera: agant in discreto aliquid ambo, seorsum anima, seorsum spiritus; anima sine spiritu vivat, spiritus sine anima spiret; alterum relinquat corpora, alterum remaneat, mors et vita conveniant. Si enim duo sunt anima et spiritus, dividi possunt, ut divisione eorum, alterius discedentis, alterius manentis, mortis et vitae concursus eveniat. Sed nullo modo eveniet; ergo duo non erunt quae dividi non possunt, quae dividi possent, si fuissent. Sed licet et duo esse concreta. Sed non erunt concreta, si aliud est vivere, aliud spirare: distinguunt substantias opera. Et quanto nunc firmius est, ut unum credas, cum distantiam non das, ut ipsa sit anima spiritus, dum ipsius est spirare cuius et vivere! Quid enim, si diem aliud haberi velis, aliud lucem, quae accidat diei, cum dies ipsa lux sit? Plane erunt et alia genera lucis, ut ex ignium ministerio. Erunt enim et aliae spiritus species, ut ex deo, ut ex diabolo. Ita cum de anima et spiritu agitur, ipsa erit anima spiritus, sicut ipsa dies lux. Ipsum est enim quid per quod est quid.

11. Sed ut animam spiritum dicam praesentis quaestionis ratio compellit, quia spirare alii substantiae adscribitur. Hoc dum animae vindicamus, quam uniformem et simplicem agnoscimus, spiritum necesse est certa conditione dicamus, non status nomine, sed actus, nec substantiae titulo, sed operae, quia spirat, non quia spiritus proprie est. Nam et flare spirare est. Ita et animam, quam flatum ex proprietate defendimus, spiritum nunc ex necessitate[1]) pronuntiamus. Ceterum adversus Hermogenem, qui eam ex materia, non ex dei flatu contendit, flatum proprie tuemur. Ille enim adversus ipsius scripturae fidem flatum in spiritum vertit, ut, dum incredibile est spiritum dei in delictum et mox in iudicium devenire, ex materia potius anima credatur quam ex dei spiritu. Idcirco nos et illic flatum eam defendimus, non spiritum, secundum scripturam et secundum spiritus distinctionem, et hic spiritum ingratis[2])

---

1) *necessitate* = affinitate, quia flatus = spiritus. 2) *ingratis* = inviti.

pronuntiamus secundum spirandi et flandi communionem. Illic de substantia quaestio est, spirare enim substantiae actus est. Nec diutius de isto, nisi propter haereticos, qui nescio quod spiritale semen infulciunt animae de Sophiae matris occulta liberalitate collatum ignorante factore; quum scriptura factoris magis dei sui conscia nihil amplius promulgaverit, quam deum flantem in faciem hominis flatum vitae et hominem factum in animam vivam, per quam exinde et vivat et spiret, satis declarata differentia spiritus et animae in sequentibus instrumen-
Jes. 57, 16. tis,[3] ipso deo pronuntiante: *spiritus ex me prodivit, et flatum omnem ego feci.* Et anima enim flatus factus ex spiritu. Et
Jes. 42, 5. rursus: *qui dedit flatum populo super terram et spiritum calcantibus eam.* Primo enim anima, id est flatus, populo in terra incedenti, id est in carne carnaliter agenti, postea spiritus eis qui terram calcant, id est opera carnis subigunt; quia et apostolus non primum quod spiritale est, sed quod animale, postea spiritale. Nam etsi Adam statim prophetavit magnum
Gen. 2, 24. sq. Eph. 5, 31. sq. illud sacramentum in Christum et ecclesiam: *hoc nunc os ex ossibus meis, et caro ex carne mea; propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adglutinabit se uxori suae, et erunt duo in unam carnem*: accidentiam spiritus passus est. Cecidit enim ecstasis super illum, sancti spiritus vis operatrix prophetiae. Nam et malus spiritus accidens res est. Denique Saulem tam dei spiritus postea vertit in alium virum, id est in propheten,
1 Sam. 10, 12. cum dictum est; *quid hoc filio Cis? an et Saul in prophetis?* quam et malus spiritus postea evertit in alium virum, in apostatam scilicet. Iudam quoque aliquamdiu cum electis deputatum usque ad loculorum officium, etsi iam fraudatorem, traditorem tamen nondum, postea diabolus intravit. Igitur si neque dei neque diaboli spiritus ex nativitate conseritur animae, solam eam constat ante eventum spiritus utriusque; si solam, et simplicem et uniformem substantiae nomine, atque ita non aliunde spirantem quam ex substantiae suae sorte[4].

---

3) *instrumentis* = libris sacris. v. m. l. 4) *sorte* = ex substantia, quam sortita est.

12. Proinde et animum, sive mens est, νοῦς apud Graecos, non aliud quid intelligimus, quam suggestum animae ingenitum et insitum et nativitus proprium, quo agit, quo sapit, quem secum habens ex semet ipsa se commoveat in semet ipsa, atque ita moveri videatur ab illo tanquam substantia alio, ut volunt qui etiam universitatis motatorem animum decernunt, illum deum Socratis, illum Valentini Monogenen ex patre βυθῷ et matre σιγῇ, quamvis Anaxagorae turbata sententia est. Initium enim omnium commentatus animum, ut universitatis oscillum de illius axe suspendens, purumque eum affirmans et simplicem et incommiscibilem, hoc vel maxime titulo segregat ab animae commistione, et tamen eundem alibi animae dicit. Hoc etiam Aristoteles denotavit, nescio an sua paratior implere, quam aliena inanire. Denique et ipse definitionem animi quum differret, interim alterum animi genus pronuntiavit, illum divinum, quem rursus et impassibilem subostendens abstulit et ipse eum a consortio animae. Cum enim animam passibilem constet eorum quae sortita est pati, aut per animum et cum animo patietur: si concreta est animo, non potest animus impassibilis induci; — aut si non per animum nec cum animo patietur anima, non erit concreta illi, cum qua nihil et cui[1]) nihil patitur. Porro si nihil per illum et cum illo anima patietur, iam nec sentiet nec sapiet nec movebitur per illum, ut volunt. Nam et sensus passiones facit Aristoteles. Quidni? et sentire enim pati est, quia pati sentire est. Proinde et sapere sentire est, et moveri sentire est, ita totum pati est. Videmus autem nihil istorum animam experiri ut non et animo deputetur, quia per illum et cum illo transigitur. Iam ergo et commiscibilis est animus adversus Anaxagoram, et passibilis adversus Aristotelem. Ceterum si discretio admittitur, ut substantia duae res sint animus atque anima, alterius erit et passio et sensus et sapor omnis et actus et motus, alterius autem

Animus animae concretus.

---

1) *cui* dat. incommodi = in cujus incommodum, ita ut anima per animi passionem patiatur. Sensus: anima non erit concreta animo, qui nihil cum ipsa et in ipsius incommodum patitur. Infelicissima correctione recentiores editores omnes: *cum quo nihil et qui nihil patitur*, sensum prorsus destruentes.

pale, quia si negetur, totus animae status periclitatur. Denique qui negant principale, ipsam prius animam nihil censuerunt. Messenius aliquis Dicaearchus, ex medicis autem Andreas et Asclepiades ita abstulerunt principale, dum in animo ipso volunt esse sensus, quorum vindicatur principale. Asclepiades etiam illa argumentatione vectatur, quod pleraque animalia ademptis eis partibus corporis, in quibus plurimum existimatur principale consistere, et insuper vivant aliquatenus et sapiant nihilominus, ut muscae et vespae et locustae, si capita decideris, ut caprae et testudines et anguillae, si corda detraxeris; itaque principale non esse, quod si fuisset, amisso cum suis sedibus, vigor animae non perseveraret. Sed plures et philosophi adversus Dicaearchum Plato, Strato, Epicurus, Democritus, Empedocles, Socrates, Aristoteles, et medici adversus Andream et Asclepiadem Herophilus, Erasistratus, Diocles, Hippocrates, et ipse Soranus, iamque omnibus plures Christiani, qui apud deum de utroque deducimur,[1] et esse principale in
Sap. 1, 6. anima et certo in corporis recessu consecratum. Si enim scru-
Ps. 139, 23. tatorem et dispectorem cordis deum legimus, si etiam prophe-
1. Cor. 14. 24. sq. tes eius occulta cordis traducendo probatur, si deus ipse reco-
gitatus cordis in populo praevenit: *quid cogitatis in cordibus*
Mth. 9, 4. *vestris nequam?* si et David: *cor mundum conde in me deus*, et
Ps. 51, 12.
Rom. 10, 10. Paulus *corde* ait *credi in iustitiam*, et Ioannes *corde* ait *suo*
1. Joh. 3, 20. *unumquemque reprehendi*, si postremo *qui viderit feminam ad*
Mth. 5, 28. *concupiscendum iam adulteravit in corde*: simul utrumque dilucet, et esse principale in anima, quod intentio divina conveniat, id est vim sapientialem atque vitalem, (quod enim sapit, vividum est), et in eo thesauro corporis haberi, ad quem deus respicit; ut neque extrinsecus agitari putes principale istud secundum Heraclitum, neque per totum corpus ventilari secundum Moschionem, neque in capite concludi secundum Platonem, neque in vertice potius praesidere secundum Xenocratem, neque in cerebro cubare secundum Hippocratem, sed nec circa cerebri fundamentum, ut Herophilus, nec in membranulis, ut Strato et Erasistratus, nec in superciliorum meditullio, ut

1) *deducimur* = erudimur, *παιδαγωγούμεθα*. V. m. l.

Strato Physicus, nec in tota lorica pectoris, ut Epicurus, sed quod et Aegyptii renuntiaverunt ei qui divinarum commentatores videbantur, ut et ille versus Orphei vel Empedoclis: namque hominis sanguis circumcordialis est sensus.[2] Etiam Protagoras, etiam Apollodorus et Chrysippus haec sapiunt, ut vel ab istis retusus Asclepiades capras suas quaerat sine corde balantes et muscas suas abigat sine capite volitantes; et omnes iam sciant se potius sine corde et cerebro vivere, qui dispositionem animae humanae de conditione bestiarum praeiudicarint.

16. Est et illud ad fidem pertinens, quod Plato bifariam partitur animam, per rationalem et irrationalem. Cui definitioni et nos quidem applaudimus, sed non ut naturae deputetur utrumque. Naturale enim rationale credendum est, quod animae a primordio sit ingenitum, a rationali videlicet auctore. Quid enim non-rationale, quod deus iussu quoque ediderit? nedum id, quod proprie afflatu suo emiserit. Irrationale autem posterius intelligendum est, ut quod acciderit ex serpentis instinctu, ipsum illud transgressionis admissum, atque exinde inoleverit et coadoleverit in anima ad instar iam naturalitatis, quia statim in naturae primordio accidit. Ceterum quum idem Plato solum rationale dicat, ut in anima dei ipsius, si nos etiam irrationale naturae adscripserimus, quam a deo anima nostra sortita est, aeque irrationale de deo erit, utpote naturale, quia naturae deus auctor est. Sed enim a diabolo immissio delicti, irrationale autem omne delictum, igitur a diabolo irrationale, a quo et delictum, extraneum a deo, a quo est irrationale alienum. Proinde delicti diversitas[1] ex distantia auctorum. Proinde cum Plato soli deo segregans rationale duo genera subdividit ex irrationali, indignativum, quod appellant *θυμικόν*, et concupiscentivum, quod vocant *ἐπιθυμητικόν*, ut illud quidem commune sit nobis et leonibus, istud vero cum muscis, rationale porro cum deo: video et de hoc mihi esse retractandum propter ea quae in Christo deprehenduntur. Ecce enim tota haec trinitas et in domino, et rationale, quo docet quae disserit,

2) *Αἷμα γὰρ ἀνθρώποις περικάρδιόν ἐστι νόημα.*

1) *delicti diversitas,* i. e. quod non, ut reliqua creatura, a deo est conditum.

quo salutis vias sternit, et indignativum, quo invehitur in scribas et pharisaeos, concupiscentivum, quo pascha cum discipulis suis edere concupiscit. Igitur apud nos non semper ex irrationali censenda sunt indignativum et concupiscentivum, quae certi sumus in domino rationaliter decucurrisse. Indignabitur deus rationaliter, quibus scilicet debet, et concupiscet deus rationaliter, quae digna sunt ipso. Nam et malo indignabitur, et bono concupiscet salutem. Dat et apostolus nobis
1.Tim. 3, 1. concupiscentiam. *Si quis episcopatum concupiscit, bonum opus concupiscit.* Sed bonum opus dicens, rationalem concupiscentiam ostendit. Concedit et indignationem. Quidni? quam et
Gal. 5, 12. ipse suscepit? *Utinam et praecidantur*, inquit, *qui vos subvertunt.* Rationalis est indignatio, quae ex affectu disciplinae est.
Eph. 2, 3. At quum dicit: *fuimus aliquando natura filii irae*, irrationale indignativum suggillat, quod non sit ex ea natura quae a deo est, sed ex illa quam diabolus induxit; dominus et ipse dictus
Mth. 6, 24. sui ordinis: *non potestis duobus dominis servire;* pater et ipse
Joh. 8, 44. cognominatus: *vos ex diabolo patre estis.* Ne timeas et illi proprietatem naturae alterius adscribere posterioris et adulterae,
Mth. 13, 25. quem legis avenarum superseminatorem et frumentariae segetis nocturnum interpolatorem.

De quinque sensibus. 17. Contingit nos illorum etiam quinque sensuum quaestio, quos in primis literis discimus, quoniam et hinc aliquid haereticis procuratur. Visus est et auditus et odoratus et gustus et tactus. Horum fidem Academici durius damnant, secundum quosdam et Heraclitus et Diocles et Empedocles. Certe Plato in Timaeo irrationalem pronuntiat sensualitatem et opinioni complicitam. Itaque mendacium visui obiicitur, quod remos in aqua inflexos vel infractos adseverat adversus conscientiam integritatis, quod turrem quadrangulatam de longinquo rotundam persuadeat, quod aequalissimam porticum angustiorem in ultimo infamet, quod coelum tanta sublimitate suspensum mari iungat. Perinde auditus fallaciae reus, ut cum coeleste murmur putamus et plaustrum est, vel tonitru meditante pro certo[1] de plaustro credimus sonitum. Sic et odoratus et gustus

1) *pro certo* fortasse legendum: *procella;* ultra modum enim audax est locutio: *tonitru meditante* scil. coelo.

arguuntur, siquidem eadem unguenta eademque vina posteriore quoque usu depretiantur. Sic et tactus reprehenditur, siquidem eadem pavimenta manibus asperiora, pedibus laeviora creduntur; et in lavacris idem calidae lacus ferventissimus primo, dehinc temperatissimus renuntiatur. Adeo, inquiunt, sic quoque fallimur sensibus, dum sententias vertimus. Moderantius Stoici non omnem sensum nec semper de mendacio onerant. Epicurei constantius parem omnibus atque perpetuam defendunt veritatem, sed alia via. Non enim sensum mentiri, sed opinionem. Sensum enim pati, non opinari; animam enim opinari. Absciderunt et opinionem a sensu et sensum ab anima. Et unde opinio, si non a sensu? Denique nisi visus rotundam senserit turrem, nulla opinio rotunditatis. Et unde sensus, si non ab anima? Denique carens anima corpus carebit et sensu. Ita et sensus ex anima est, et opinio ex sensu, et anima totum. Ceterum optime proponetur esse utique aliquid, quod efficiat aliter quid a sensibus renuntiari quam sit in rebus. Porro si potest id renuntiari quod non sit in rebus, cur non perinde possit per id renuntiari quod non sit in sensibus, sed in his rationibus quae interveniant suo nomine? Atque adeo licebit eas recognosci. Nam ut in aqua remus inflexus vel infractus appareat, aqua in caussa est; denique extra aquam integer visui remus. Teneritas autem substantiae illius, qua speculum ex lumine efficitur, prout icta seu mota est ita et imaginem vibrans evertit lineam recti. Item ut turris habitus eludat intervalli conditio compellit in aperto; aequalitas enim circumfusi aëris pari luce vestiens angulos obliterat lineas. Sic et uniformitas porticus acuitur in fine, dum acies in concluso stipata illic tenuatur quo et extenditur. Sic et coelum mari unitur, ubi visio absumitur, quae quamdiu viget tamdiu dividit. Auditum vero quid aliud decipiet, quam sonorum similitudo? Et si postea minus spirat unguentum, et minus sapit vinum, et minus lacus fervet, in omnibus ferme prima vis tota est. Ceterum de scabro ac laevi merito manus ac pedes, tenera scilicet et callosa membra, dissentiunt. Igitur hoc modo nulla sensuum frustratio caussa carebit. Quodsi caus-

sae fallunt sensus et per sensus opiniones, iam nec in sensibus constituenda fallacia est, qui caussas sequuntur, nec in opinionibus, quae a sensibus diriguntur sequentibus caussas. Qui insaniunt alios in aliis vident, ut Orestes matrem in sorore, et Aiax Ulyssem in armento, ut Athamas et Agave in filiis bestias. Oculisne hoc mendacium exprobrabis, an furiis? Qui redundantia fellis auruginant,[2] amara sunt omnia. Num ergo gustui praevaricationem exprobrabis, an valetudinem? Omnes itaque sensus evertuntur vel circumveniuntur ad tempus, ut proprietate fallaciae careant. Imo iam ne ipsis quidem caussis adscribendum est fallaciae elogium. Si enim ratione haec accidunt, ratio fallacia perhiberi non meretur. Quod sic fieri oportet mendacium non est. Itaque si et ipsae caussae infamia liberantur, quanto magis sensus, quibus iam et caussae libere praeeunt, cum hinc potissimum et veritas et fides et integritas sensibus vindicanda sit, quod non aliter renuntient, quam quod illa ratio mandavit, quae efficiat aliter quid a sensibus renuntiari, quam sit in rebus. Quid agis, Academice procacissime? Totum vitae statum evertis, omnem naturae ordinem turbas, ipsius dei providentiam excaecas, qui cunctis operibus suis intelligendis, incolendis, dispensandis fruendisque fallaces et mendaces dominos praefecerit sensus. An non istis universa conditio subministratur? An non per istos secunda quoque mundo instructio accessit, tot artes, tot ingenia, tot studia, negotia, officia, commercia, remedia, consilia, solatia, victus, cultus ornatusque? Omnia totum vitae saporem condierunt, dum per hos sensus solus omnium homo animal rationale dinoscitur intelligentiae et scientiae capax, et ipsius Academiae. Sed enim Plato, ne quod testimonium sensibus signet, propterea et in Phaedro ex Socratis persona negat se cognoscere posse semet ipsum, ut monet Delphica inscriptio; et in Theaeteto adimit sibi scire atque sentire; et in Phaedro post mortem differt sententiam veritatis, postumam scilicet, et tamen non-

2) *auruginant*, aurugo est morbus regius, *ἴκτερος* Graecis dictus, nobis Gelbsucht, ex fellis seu bilis suffusione ortus.

dum mortuus philosophabatur. Non licet nobis in dubium sensus istos revocare, ne et in Christo de fide eorum deliberetur,
ne forte dicatur, quod falso satanam prospectarit de coelo prae- Luc. 10, 18.
cipitatum, aut falso vocem patris audierit de ipso testificatum, Mth. 3, 17.
aut deceptus sit, cum Petri socrum tetigit, aut alium postea Mth. 8, 15.
unguenti senserit spiritum, quod in sepulturam suam accepta- Mth. 26, 7. sqq.
vit, alium postea vini saporem, quod in sanguinis sui memo- Mth. 26, 27. sq.
riam consecravit. Sic enim et Marcion phantasma eum ma- Luc. 22, 20. 1 Cor.
luit credere, totius corporis in illo dedignatus veritatem. At- 11, 25.
quin ne in apostolis quidem eius ludificata natura est; fidelis Mth. 17, 3. sqq.
fuit et visus et auditus in monte, fidelis et gustus vini illius, Joh. 2, 1 sqq.
licet aquae ante, in nuptiis Galilaeae, fidelis et tactus exinde Joh. 20, 27.
creduli Thomae. Recita Ioannis testationem: *quod vidimus,* in-
quit, *quod audivimus, oculis nostris vidimus, et manus nostrae* 1 Joh. 1, 1.
contrectaverunt, de sermone vitae. Falsa utique testatio, si oculorum et aurium et manuum sensus natura mentitur.

18. Convertor ad intellectualium partem, quemadmodum De intellectualibus.
illam Plato a corporalibus separatam haereticis commendaverit, agnitionem ante mortem consecutus. Ait enim in Phaedone: „quid tum erga ipsam prudentiae possessionem? Utrumne impedimentum erit corpus, an non, si quis illud socium adsumpserit in quaestionem?“ Tale quid dico: habetne veritatem aliquam visio et auditio hominibus, an non? An non etiam poëtae haec nobis semper obmussant, quod neque audiamus certum neque videamus? Meminerat scilicet et Epicharmi Comici: animus cernit, animus audit, reliqua surda et caeca sunt.“[1] Itaque rursus illum ergo ait supersapere qui mente maxime sapiat, neque visionem proponens neque ullum eiusmodi attrahens animo, sed ipsa mente sincera utens, in recogitando ad capiendum sincerum quodque rerum segressus potissimum ab oculis et auribus et, quod dicendum sit, a toto corpore ut turbante et non permittente animae possidere veritatem atque prudentiam, quando communicat. Videmus igitur adversus sensus corporales aliam portendi paraturam ut multo

---

1) *Νοῦς ὁρῇ καὶ νοῦς ἀκούει, τἄλλα κωφὰ καὶ τυφλά.*

idoniorem, vires scilicet animae intellectum operantes eius veritatis cuius res non sint coram nec subiaceant corporalibus sensibus, sed absint longe a communi conscientia in arcano et in superioribus et apud ipsum deum. Vult enim Plato esse quasdam substantias invisibiles, incorporales, supermundiales, divinas et aeternas, quas appellat ideas, id est formas exemplares et caussas naturalium istorum manifestorum et subiacentium corporalibus sensibus, et illas quidem esse veritates, haec autem imagines earum. Relucentne iam haeretica semina Gnosticorum et Valentinianorum? Hinc enim arripiunt differentiam corporalium sensuum et intellectualium virium, quam
Mth. 25, 1. sqq. etiam parabolae decem virginum attemperant, ut quinque stultae sensus corporales figuraverint, stultos videlicet quia deceptui faciles, sapientes autem intellectualium virium notam expresserint; sapientium scilicet quia contingentium veritatem illam arcanam et supernam et apud pleroma constitutam, haereticarum idearum sacramenta. Hoc enim sunt et αἰῶνες et genealogiae illorum. Itaque et sensum dividunt, et intellectualibus quidem a spiritali suo semine, sensualibus vero ab animali, quia spiritalia nullo modo capiat. Et illius quidem esse invisibilia, huius vero visibilia et humilia et temporalia, quae sensu conveniantur in imaginibus constituta. Ob haec ergo praestruximus[2] neque animum aliud quid esse quam animae suggestum et structum, neque spiritum extraneum quid quam quod et ipsa per flatum. Ceterum accessioni deputandum, quod aut deus postea aut diabolus adspiraret. Et nunc ad differentiam sensualium et intellectualium non aliud admittimus quam rerum diversitates, corporalium et spiritalium, visibilium et invisibilium, publicatarum et arcanarum, quod illae sensui, istae intellectui attribuantur; apud animam tamen et istis et illis obsequio deputatis, quae perinde per corpus corporalia sentiat, quaemadmodum per animum incorporalia intelligat, salvo eo ut etiam sentiat dum intelligit. Non enim et sentire intelligere est, et intelligere sentire est? Aut quid erit sensus,

2) cf. supra cap. 12.

nisi eius rei quae sentitur intellectus? Quid erit intellectus, nisi eius rei quae intelligitur sensus? Unde ista tormenta cruciandae simplicitatis et suspendendae veritatis? Quis mihi exhibebit sensum non intelligentem quod sentit, aut intellectum non sentientem quod intelligit, ut probet alterum sine altero posse? Si corporalia quidem sentiuntur, incorporalia vero intelliguntur, rerum genera diversa sunt, non domicilia sensus et intellectus, id est non anima et animus. Denique a quo sentiuntur corporalia? si ab animo, ergo iam et sensualis est animus, non tantum intellectualis, nam dum intelligit sentit, quia si non sentit nec intelligit. Si vero ab anima corporalia sentiuntur, iam ergo et intellectualis est vis animae, non tantum sensualis, nam dum sentit intelligit, quia si non intelligit nec sentit. Proinde a quo intelliguntur incorporalia? si ab animo, ubi erit anima? si ab anima, ubi erit animus? Quae enim distant abesse invicem debent, cum suis muneribus operantur. Putabis quidem abesse animum ab anima aliquando? Nam ita efficiunt,[3] ut nesciamus nos vidisse quid vel audisse, quia alibi fuerit animus. Adeo contendam, imo ipsam animam nec vidisse nec audisse, quia alibi fuerit cum sua vi, id est animo. Nam et quum dementit homo, dementit anima, non peregrinante, sed compatiente tunc animo. Ceterum animae principaliter casus est. Hoc unde firmatur? quod anima digressa nec animus in homine inveniatur; ita illam ubique sequitur, a qua nec in fine subremanet. Quum vero sequitur et addicitur, perinde intellectus animae addicitur, quam sequitur animus, cui addicitur intellectus. Sit nunc et potior sensu intellectus, et potior cognitor sacramentorum, dummodo et ipse propria vis animae, quod et sensus. Nihil mea interest, nisi cum idcirco praefertur sensui intellectus, ut ex hoc quoque separatior habeatur, quo potior affirmatur. Tunc mihi post differentiam etiam praelatio retundenda est, perventura quoque usque ad potioris dei persuasionem. Sed de deo suo quoque campo experiemur cum

3) Plerique libri: *si quando. Nam ita efficiunt ut*; Rigaltius ex conjectura: *si quando animo ita afficimur ut*; Oehler ex conjectura: *si quando. Nam ita effici ut.* Nos alia conjectura mederi studuimus.

haereticis. Nunc de anima titulus et intellectu non insidiose praeferendo locus. Nam etsi potiora sunt, quae intellectu attinguntur ut spiritalia, quam quae sensu ut corporalia, rerum erit praelatio, sublimiorum scilicet adversus humiliores, non intellectus adversus sensum. Quomodo enim praeferatur sensui intellectus, a quo informatur ad cognitionem veritatum? Si enim veritates per imagines apprehenduntur, id est, invisibilia per visibilia noscuntur, quia et apostolus nobis scribit: *invisibilia*
Rom. 1, 20. *enim eius a conditione mundi de factitamentis intellecta visuntur,* et Plato haereticis: facies occultorum ea quae apparent, et: necesse est omnino hunc mundum imaginem quandam esse alterius alicuius, ecquid ibi? videtur[4] intellectus duce uti sensu et auctore et principali fundamento, nec sine illo veritates posse contingi. Quomodo ergo potior erit eo per quem est, quo eget, cui debet totum quod attingit? Ita utrumque concluditur, neque praeferendum sensui intellectum, per quem enim quid constat inferius ipso est; neque separandum a sensu, per quod enim quid est cum ipso est.

19. Sed ne illi quidem praetereundi, qui vel modico temporis viduant animam intellectu. Proinde enim viam sternunt postea inducendi eius,[1] sicut et animi, a quo scilicet proveniat intellectus. Volunt infantiam sola anima contineri, qua tantummodo vivat, non ut pariter sapiat, quia nec omnia sapiant, quae vivant. Denique arbores vivere, nec tamen sapere, secundum Aristotelem; et si quis alius substantiam animalem in universa communicat, quae apud nos in homine privata res est, non modo ut dei opus, quod et cetera, sed ut dei flatus, quod haec sola, quam dicimus cum omni instructu[2] suo nasci. Et si ad arbores provocamur, amplectemur exemplum, siquidem et illis necdum arbusculis, sed stipitibus adhuc et surculis etiamnunc, simul de scrobibus oriuntur, inest propria vis animae. Verum

4) libri variant: al. *et quid sibi videtur*; al. *et quod sibi videtur*. al. *videtur* Oehler ex conjectura: *Equidem ibi videtur*. Nos item ex conjectura: *ecquid ibi? Videtur*.

1) Sensus: hi quoque ita viam sternunt animi et intellectus postea, i. e. seriore demum tempore inducendi. 2) *instructu* = censu, substantia, ἀποσκευή.

pro temporis ratione remoratur coalescens et coadulescens robori suo, donec aetas adimpleat habitum, quo natura fungatur. Aut unde mox illis et frutices inoculantur et folia formantur et germina inflantur et flosculi inornantur et succi condiuntur, si non in ipsis omnis paratura generis quiescit, et partibus promota grandescit? Inde igitur et sapiunt, unde vivunt, tam vivendi quam sapiendi proprietate, et quidem ab infantia et ipsae sua. Video enim et vitem adhuc teneram et impuberem intelligentem tamen iam opera sua et volentem alicui adhaerere, cum innixa et innexa proficiat. Denique non exspectata rustica disciplina, sine arundine, sine cervo,[3] si quid attigerit, ultro amabit, et quidem viriosius amplexabitur de suo ingenio, quam de tuo arbitrio. Properat esse secura. Video et hederas, quantum velis premas, statim ad superna conari et nullo praeeunte suspendi, quod malint parietibus invehi textili silva, quam humi teri voluntaria iniuria. Contra quibus de aedificio male est, ut crescendo recedunt! ut refugium sentias, ramos aliorsum destinatos et animationem arboris de divortio parietis intelligas! contenta parvitate quam ex primordio providentissimi fruticis se diducit,[4] timens etiam ruinam! Has ego sapientias et scientias arborum cur non contendam? Vivant, ut philosophi volunt, sapiant, ut philosophi nolunt. Intelligat et infantia ligni, quo magis hominis, cuius anima velut surculus quidam ex matrice Adam in propaginem deducta et genitalibus feminae foveis commendata cum omni sua paratura pullulabit tam intellectu quam et sensu. Mentior, si non statim infans, ut vitam vagitu salutavit, hoc ipsum se testatur sensisse atque intellexisse quod natus est, omnes simul ibidem dedicans[5] sensus, et luce visum et sono auditum et humore gustum et aëre odoratum et terra taetum. Ita prima illa vox de primis sensuum vocibus et de primis intellectuum pulsibus cogitur. Plus est, quod de prospectu lacrimabilis vitae quidam augurem incommodorum vocem illam flebilem interpretantur, quod

3) *cervo* erant bacilla furcillata, vitibus fulciendis destinata, cervorum cornubus vel literae V non dissimilia. 4) *se diducit* libri: edidicit, vel se didicit, quod sensum vix fundit; se diducit, scil. a pariete aedificii. 5) *Dedicans* = usu initians.

etiam praesciens habenda sit ab ingressu nativitatis, nedum intelligens. Exinde et matrem spiritu probat, et nutricem spiritu examinat, et gerulam spiritu agnoscit, fugiens extranea ubera, et recusans ignota cubilia, et neminem appetens nisi ex usu. Unde illi iudicium novitatis et moris, si non sapit? unde illi et offendi et demulceri, si non intelligit? Mirum satis, ut infantia naturaliter animosa sit non habens animum, et naturaliter affectiosa sit non habens intellectum. At enim Christus ex ore lactentium et parvulorum expediendo laudem nec pueritiam nec infantiam hebentes pronuntiavit, quarum altera cum suffragio occurrens testimonium ei potuit offerre, altera pro ipso trucidata utique vim sensit.

De naturalibus animae. 20. Et hic itaque concludimus, omnia naturalia animae ut substantiva eius ipsi inesse et cum ipsa procedere atque proficere, ex quo ipsa censetur.[1] Sicut et Seneca saepe noster: insita sunt nobis omnium artium et aetatum semina, magisterque ex occulto deus producit ingenia, ex seminibus scilicet insitis et occultis per infantiam, quae sunt et intellectus. Ex his enim producuntur ingenia. Porro et frugum seminibus una generis cuiusque forma est, processus tamen varii, alia integro statu evadunt, alia etiam meliora respondent, alia degenerant pro conditione coeli et soli, pro ratione operis et curae, pro temporum eventu, pro licentia casuum; ita et animam licebit seimne uniformem, fetu multiformem. Nam et hic etiam de locis interest. Thebis hebetes et brutos nasci relatum est; Athenis sapiendi dicendique acutissimos, ubi penes Colytum[2] pueri mense citius eloquuntur praecoce lingua. Siquidem et Plato in Timaeo Minervam affirmat, cum urbem illam moliretur, nihil aliud quam regionis naturam prospexisse talia ingenia pollicitam, unde et ipse in Legibus Megillo et Cliniae praecipit, condendae civitati locum procurarent. Sed Empedocles caussam argutae indolis et obtusae in sanguinis qualitate constituit, perfectum ac profectum de doctrina disciplinaque deducit. Tamen vulgata iam res est gentilium proprietatum.

---

1) *censetur* = in censum venit. 2) *Colytum* demos Atheniensis, ex quo Plato oriundus erat.

Comici Phrygas timidos illudunt, Sallustius vanos Mauros et feroces Dalmatas pulsat, mendaces Cretas etiam apostolus inurit. Tit. 1, 12. Fortassean et de corpore et de valetudine aliquid accedat. Opimitas sapientiam impedit, exilitas expedit, paralysis mentem prodigit, phthisis servat. Quanto magis de accidentibus, habebuntur, quae circa corpulentiam et valentiam vel acuunt vel obtundunt. Acuunt doctrinae, disciplinae, artes et experientiae, negotia, studia; obtundunt inscitiae, ignaviae, desidiae, libidines, inexperientiae, otia, vitia; super haec si et alia quae praesunt potestates. Enimvero praesunt: secundum nos quidem dominus deus et diabolus aemulus, secundum communem autem opinionem et providentiae fatum et necessitas et fortunae arbitrii libertas. Nam haec et philosophi distinguunt, et nos secundum fidem disserenda suo iam novimus titulo.[3] Apparet quanta sint quae unam animae naturam varie collocarint, ut vulgo naturae deputentur, quando non species sint, sed sortes naturae et substantiae unius, illius scilicet quam deus in Adam contulit et matricem omnium fecit. Atque adeo sortes erunt, non species, substantiae unius, id est, varietas ista mortalis,[4] quanta nunc est, tanta non fuerit in ipso principe generis Adam. Debuerant enim fuisse haec omnia in illo, ut in fonte naturae, atque inde cum tota varietate manasse, si varietas naturae fuisset.

Anima non multiformis.

21. Quodsi uniformis natura animae ab initio in Adam ante tot ingenia, ergo non multiformis, quia uniformis per tot ingenia; iam nec triformis, ut adhuc trinitas Valentiniana caedatur, quae nec ipsa in Adam recognoscitur. Quid enim spiritale in illo? Si quia prophetavit magnum illud sacramentum in Christum et ecclesiam: *hoc os ex ossibus meis, et caro ex carne mea, vocabitur mulier; propterea relinquet homo patrem et matrem, et agglutinabitur mulieri suae, et erunt duo in carnem unam;* Gen. 2, 23 sq. hoc postea obvenit, quum in illum deus amen-

---

3) *suo titulo* scripsit noster librum *de Fato*, qui perditus est. 4) *mortalis* i. e. huic tantum vitae destinata, cum hac finiens. Ut anima una est principio sic excussa varietate in unitatem excurrit. Infelix est conjectura: *moralis*, de morali varietate vix sermo hoc loco esse potest.

tiam[1] immisit, spiritalem vim, qua constat prophetia. Si et malum in eo apparuit transgressionis admissum, nec hoc naturale deputandum est, quod instinctu serpentis operatus est, tam non naturale quam nec materiale, quia et materiae fidem iam exclusimus.[2] Quodsi nec spiritale nec quod dicitur materiale proprium in illo fuit, (et si ex materia, fuisset mali semen,) superest, ut solum in illo et unicum fuerit naturale quod censetur animale, quod statu simplex et uniformem[3] defendimus. De hoc plane relinquitur quaeri an demutabile debeat credi, quod naturale dicatur. Idem enim convertibilem negant naturam, ut trinitatem suam in singulis proprietatibus figant,
Luc. 6, 43 sq. quia *arbor bona malos non ferat fructus nec mala bonos, et nemo de spinis metat ficus et de tribulis uvas.* Ergo si ita est, neque de lapidibus filios Abrahae suscitare poterit deus, nec
Mth. 3, 7. sqq. genimina viperarum facere poenitentiae fructus. Et erravit apostolus scribens: *eratis et vos aliquando tenebrae*, et: *fuimus*
Eph. 5, 8. 2, 3. *et nos aliquando natura filii irae*, et: *in his vos quoque fuistis,*
1 Cor. 6, 11. *sed abluti estis.* Sed nunquam discordabunt sententiae sanctae. Non dabit enim arbor mala bonos fructus, si non inseratur, et bona malos dabit, si non colatur. Et lapides filii Abrahae fient, si in fidem Abrahae formentur. Et genimina viperarum fructum poenitentiae facient, si venena malignitatis exspuerint. Haec erit vis divinae gratiae, potentior utique natura, habens in nobis subiacentem sibi liberam arbitrii potestatem, quod *αὐτεξούσιον* dicitur, quae cum sit et ipsa naturalis atque mutabilis, quoquo vertitur, natura convertitur. Inesse autem nobis *τὸ αὐτεξούσιον* naturaliter iam et Marcioni ostendimus et Hermogeni.[4] Quid nunc, si naturae conditio sic erit definienda, ut duplex determinetur, natorum et innatorum, factorum et infectorum? atque ita quod natum factumque constiterit, eius natura capiet demutationem?— et renasci enim poterit et refici; — innatum autem et infectum immobile stabit? Quod cum soli

1) *amentia* = ecstasis. 2) i. e. probavimus, non materiae transgressionis malum deputandum esse. Fecit in libro adversus Hermogenem. 3) *uniformem* scil. illum. 4) Loquitur de libris suis: *de censu animae adv. Hermog.* deperdito, et adv. Marcion. lib. II. cap. 5. sqq.

deo competat, ut soli innato et infecto et idcirco immortali et inconvertibili, absolutum est ceterorum omnium natorum atque factorum convertibilem et demutabilem esse naturam, ut, etsi trinitas animae adscribenda esset, ex mutatione accidentiae, non ex institutione naturae deputaretur.

22. Cetera animae naturalia iam a nobis audiit Hermogenes cum ipsorum defensione et probatione, per quae dei potius quam materiae propinqua cognoscitur. Hic solummodo nominabuntur, ne praeterita videantur. Dedimus enim illi et libertatem arbitrii, ut supra scripsimus, et dominationem rerum et divinationem interdum, seposita quae per dei gratiam obvenit ex prophetia. Itaque iam ab isto dispositionis retractatu recedam, ut ordinem eius expungam.[1] Definimus animam dei flatu natam, immortalem, corporalem, effigiatam, substantia simplicem, de suo sapientem, varie procedentem, liberam arbitrii, accidentiis obnoxiam, per ingenia mutabilem, rationalem, dominatricem, divinatricem, ex una redundantem. Sequitur nunc ut quomodo ex una redundet consideremus, id est, unde et quando et qua ratione sumatur.

23. Quidam de coelis devenisse se credunt, tanta persuasione quanta illuc indubitate regressuros repromittunt; ut Saturninus Menandri Simoniani discipulus induxit, hominem affirmans ab angelis factum primoque opus futile et invalidum et instabile in terra vermis instar palpitasse, quod consistendi vires deessent, dehinc ex misericordia summae potestatis, ad cuius effigiem nec tamen plene perspectam temere structus fuisset, scintillulam vitae consecutum, quae illum exsuscitarit et erexerit et constantius animarit et post decessum vitae ad matricem relatura sit. Sed et Carpocrates tantundem sibi de superioribus vindicat, ut discipuli eius animas suas iam et Christo nedum apostolis et peraequent et cum volunt praeferant, quas proinde de sublimi virtute conceperint, despectrice mundi potentium principatuum. Apelles sollicitatas refert animas terrenis escis de supercoelestibus sedibus ab igneo angelo

Unde anima? Adversus haereticos, qui eam de coelis deferunt.

1) *expungam* = absolvam, perficiam. v. Tert.

deo Israelis et nostro, qui exinde illis peccatricem circumfinxerit carnem. Examen[1] Valentini semen Sophiae infulcit animae, per quod historias atque milesias[2] aeonum suorum ex imaginibus visibilium recognoscunt. Doleo bona fide Platonem omnium haereticorum condimentarium factum. Illius est enim et in Phaedone, quod animae hinc euntes sint illuc, et inde huc; item in Timaeo, quod genimina dei, delegata sibi mortalium genitura, accepto initio animae immortali mortale ei circumgelaverint corpus; tum quod mundus hic imago sit alterius alicuius. Quae omnia ut fidei commendet, et animam retro in superioribus cum deo egisse in commercio idearum, et inde huc transvenire, et hic quae retro norit de exemplaribus recensere, novum elaboravit argumentum, *μαθήσεις ἀναμνήσεις*, id est: discentias reminiscentias esse. Venientes enim inde huc animas oblivisci eorum in quibus prius fuerint, dehinc ex his visibilibus recordari edoctas. Cum igitur huiusmodi argumento illa insinuentur a Platone quae haeretici mutuantur, satis haereticos repercutiam, si argumentum Platonis elidam.

Contra Platonis argumentum: discentias esse reminiscentias.

24. Primo quidem oblivionis capacem animam non cedam, quia tantam illi concessit divinitatem, ut deo adaequetur. Innatam eam facit, quod et solum armare potuissem ad testimonium plenae divinitatis; adiicit immortalem, incorruptibilem, incorporalem, quia hoc et deum credidit, invisibilem, ineffigiabilem, uniformem, principalem, rationalem, intellectualem. Quid amplius proscriberet animam, si eam deum nuncuparet? Nos autem, qui nihil deo appendimus, hoc ipso animam longe infra deum expendimus, quod natam eam agnoscimus, ac per hoc dilutioris divinitatis, exilioris felicitatis, ut flatum, non ut spiritum; et si immortalem, ut hoc sit divinitatis, tamen passibilem, ut hoc sit nativitatis, ideoque et a primordio exorbitationis capacem, et inde etiam oblivionis affinem. Satis de isto cum Hermogene.[1] Ceterum quae, ut haberi merito possit ex peraequatione omnium proprietatum deus, nulli passioni sub-

1) *examen* = agmen. 2) *milesias* scil. fabulae, percelebre historiolarum eroticarum genus, fere = nostrum *Roman*.

1) scil. in libro deperdito: de censu animae.

iacebit, ita nec oblivioni, quum tanta sit iniuria oblivio, quanta est gloria eius, cuius iniuria est, memoria scilicet, quam et ipse Plato sensuum et intellectuum salutem, et Cicero thesaurum omnium studiorum praedicavit. Nec hoc iam in dubium deducetur, an tam divina anima memoriam potuerit amittere, sed an quam amiserit recuperare denuo possit. Quae enim non debuit oblivisci, si oblita sit, nescio an valeat recordari. Ita utrumque meae animae,[2] non Platonicae congruet. Secundo gradu opponam: natura compotem animam facis idearum illarum, an non? imo natura, inquis. Nemo ergo concedet naturalem scientiam naturalium excidere artium; excidet studiorum, excidet doctrinarum, disciplinarum, excident fortasse et ingeniorum et affectuum, quae naturae videntur, non tamen sunt, quia, ut praemisimus,[3] et pro locis et pro institutionibus et pro corpulentiis ac valetudinibus et pro potestatibus dominatricibus et pro libertatibus arbitrii ex accidentibus constant. Naturalium vero scientia ne in bestiis quidem deficit. Plane obliviscetur feritatis leo, mansuetudinis eruditione praeventus, et cum toto suggestu iubarum delicium fiet Berenices alicuius reginae, lingua genas eius emaculans; mores bestiam relinquent, scientia naturalium permanebit. Non obliviscetur idem naturalium pabulorum, naturalium remediorum, naturalium terrorum; et si de piscibus, et si de placentis regina ei obtulerit, carnem desiderabit; et si languenti theriacam composuerit, simiam leo requiret;[4] et si nullum illi venabulum obfirmabit,[5] gallum tamen formidabit. Perinde et homini omnium forsitan obliviosissimo inobliterata perseverabit sola scientia naturalium, ut sola scilicet naturalis, memor semper manducandi in esurie et bibendi in siti, et oculis videndum et auribus audiendum et naribus odorandum et ore gustandum et manu contrectandum. Hi sunt certe sensus, quos philosophia depretiat intellectualium praelatione. Igitur si naturalis scientia sensualium permanet, quomodo intellectualium, quae po-

2) *meae animae* i. e. animae, qualem ego definio. 3) cf. cap. 19. 4) *simiam requiret* Plin. H. N. 7, 40. fabulatur, leonem aegritudine laborantem simiarum lasciviis sanationem quaerere. 5) *illi obfirmabit* = illum arcebit, v. m. l.

tior habetur, intercidit? Unde nunc ipsa vis oblivionis antecedentis recordationem? ex multitudine, ait, temporis. Satis improspectis.[6] Quantitas enim temporis non pertinebit ad eam rem quae innata dicatur, ac per hoc potissimum aeterna credatur. Quod enim aeternum est, eo quia et innatum est neque initium neque finem temporis admittendo nullum modum temporis patitur; cui temporis modus nullus est, nec ulla demutatione tempori subest, nec eadem multitudine temporis vis[7] est. Si tempus in caussa est oblivionis, cur ex quo anima corpori inducitur memoria delabitur, quasi exinde tempus anima sustineat, quae sine dubio prior corpore non fuit utique sine tempore? Ingressa vero corpus statimne obliviscitur, an aliquanto post? Si statim, et quae erit temporis nondum supputandi multitudo? infantia scilicet. Si aliquanto post, ergo illo in spatio ante tempora oblivionis memor adhuc aget anima? Et quale est, ut postea obliviscatur, et rursus postea recordetur? Quoquo autem tempore illam oblivio irruerit, quantus hic etiam habebitur modus temporis? tota, opinor, vitae decursio satis non erit ad vertendam[8] memoriam tanti ante corpus aevi. Sed rursus Plato caussam demutat in corpus, quasi et hoc fide dignum, ut nata substantia innatae vim exstinguat. Magnae autem ac multae differentiae corporum pro gentilitate, pro magnitudine, pro habitudine, pro aetate, pro valetudine. Num ergo et oblivionum differentiae aestimabuntur? Sed uniformis oblivio est; ergo non erit corporalitas multiformis in caussa exitus uniformis. Multa item documenta, teste ipso Platone, divinationem animae probaverunt, quae proposuimus iam Hermogeni. Sed nec quisquam hominum non et ipse aliquando praesagam animam suam sentit, aut ominis aut periculi aut gaudii augurem. Si divinationi non obstrepit corpus, nec memoriae opinor officiet. In eodem certe corpore et obliviscuntur animae et recordantur. Si qua corporis ratio incutit oblivionem,

6) *Satis improspectis* i. e. sufficit haec argumentatio iis tantum, qui prospicere non solent. Non est cur mutes. 7) *eadem vis* scil. aliquid demutandi. 8) *vertendam* i. e. mutandam, ut ex memoria fiat oblivio cum insequenti recordatione. Non est cur corrigamus *evertendam*.

quomodo contrariam eius admittet recordationem? quia et ipsa post oblivionem recordatio memoria recidiva[9] est. Quod primae memoriae adversatur, cur non et secundae refragetur? Postremo, qui magis reminiscerentur quam pueruli, ut recentiores animae, ut nondum immersae domesticis ac publicis curis, ut ipsis solis deditae studiis, quorum discentiae reminiscentiae fiunt? Imo cur non ex aequo omnes recordamur, cum ex aequo omnes obliviscamur? Sed tantummodo philosophi; ne hi quidem omnes. Plato scilicet solus in tanta gentium silva, in tanto sapientium prato, idearum et oblitus et recordatus est. Igitur si nullo modo consistit argumentatio ista praecipua, totum illud pariter eversum est cui accommodata est, ut animae et innatae et in coelestibus conversatae et consciae divinorum illic et inde delatae et hic recordatae crederentur, ad occasiones plane haereticis subministrandas.

25. Iam nunc regrediar ad caussam huius excessus, uti reddam quomodo animae ex una redundent, quando et ubi et ex qua ratione sumantur. De qua specie nihil refert a philosopho, an ab haeretico, an a vulgo quaestio occurrat. Nulla interest professoribus veritatis de adversariis eius, maxime tam audacibus quam sunt primo isti qui praesumunt non in utero concipi animam, nec cum carnis figulatione compingi atque produci, sed et effuso iam partu nondum vivo infanti extrinsecus imprimi. Ceterum semen ex concubitu muliebribus locis sequestratum motuque naturali vegetatum compinguescere in solam substantiam carnis; eam editam, et de uteri fornace fumantem et calore solutam, ut ferrum ignitum et ibidem frigidae immersum, ita aëris rigore percussam et vim animalem rapere et vocalem sonum reddere. Hoc Stoici cum Aenesidemo, et ipse interdum Plato, quum dicit perinde animam extraneam alias et extorrem uteri prima aspiratione nascentis infantis adduci, sicut exspiratione novissime educi. Videbimus an sententiam finxerit. Ne ex medicis quidem defuit Hicesius, et naturae et artis suae praevaricator. Puduit, opinor, illos hoc sta-

Animam et carnem simul concipi.

9) *recidiva* = restaurata, redintegrata.

tuere quod feminae agnoscerent. At quanto roberatior exitus, a feminis revinci quam probari? In ista namque specie nemo tam idoneus magister, arbiter, testis, quam sexus ipsius.[1] Respondete, matres, vosque praegnantes, vosque puerperae, steriles et masculi taceant; vestrae naturae veritas quaeritur, vestrae passionis fides convenitur, an aliquam in fetu sentiatis vivacitatem alienam de vestro, de quo palpitent ilia, micent latera, tota ventris ambitio pulsetur, ubique ponderis regio mutetur? an hi motus gaudia vestra sint, et certa securitas, quod ita infantem et vivere confidatis et ludere? an si desierit inquies eius, illi prius pertimescatis? an et audiat iam in vobis, quum ad novum sonum excutitur? an et ciborum vanitates illi desideretis, illi etiam fastidiatis? an et valetudinibus invicem communicetis, ille quidem usque et contusionibus vestris, quibus et ipse intus per eadem membra signatur, rapiens sibi iniurias matris. Si livor ac rubor sanguinis passio est, sine anima non erit sanguis; si valetudo omnis accessio est, sine anima non erit valetudo;[2] si alimonia, inedia, crementa, decrementa, pavor, motus, tractatio est animae, his qui fungitur vivet. Denique desinit vivere qui desinit fungi. Denique et mortui eduntur; quomodo, nisi et vivi? qui autem et mortui, nisi qui prius vivi? Atquin et in ipso adhuc utero infans trucidatur necessaria crudelitate, quum in exitu obliquatus denegat partum; matricida, qui moriturus.[3] Itaque et inter arma medicorum et organa aes,[4] quo prius patescere secreta coguntur, tortili temperamento, cum annulo cultrato,[5] quo intus membra caeduntur anxio arbitrio, cum hebete unco, quo totum facinus attrahitur violento puerperio. Est etiam aeneum spicu-

1) *ipsius* scil. istius speciei, sexus, ad quem illa species pertinet. 2) Sensus: si color sanguinis passio est, non sine anima sanguis esse potest, quia sine anima pati non posset; — si *omnis valetudo* i. e. quaecumque infantis prospera conditio *accessio* i. e. incrementum, auctio foetus est, sine anima valetudo esse non potest, quia sine anima i. e. vitali vi augeri et crescere foetus non posset. 3) *qui moriturus* i. e. matrem occidit, qui tamen ipse in exitu perire debet. Non est cur conjicias: *ni moriturus*. 4) *organa aes, quo* libri habent: *organa ex quo*; recentissimi editores ex conjectura: *organon est, quo*. 5) Vel, nonnullis libris testibus: *anulocultro*.

lum, quo iugulatio ipsa dirigitur caeco latrocinio; *ἐμβρυοσφάκτην*[6] appellant de infanticidii officio, utique viventis infantis peremptorium. Hoc et Hippocrates habuit et Asclepiades et Erasistratus et maiorum quoque prosector Herophilus et mitior ipse Soranus, certi animal esse conceptum, atque ita miserati infelicissimae huiusmodi infantiae, ut prius occidatur, ne viva lanietur. De qua sceleris necessitate nec dubitabat, credo, Hicesius, iam natis animam superducens ex aëris frigidi pulsu, quia et ipsum vocabulum animae penes Graecos de refrigeratione respondens. Num ergo barbarae Romanaeque gentes aliter animantur, quia animam aliud quid quam *ψυχήν* cognominaverunt? Quantae vero nationes sub ferventissimo axe censentur, colorem quoque excoctae? Unde illis anima, quibus aëris rigor nullus? Taceo cubiculares aestus et omnem illic caloris paraturam enitentibus necessariam, quas afflari vel maxime periculum est. In ipsis paene balneis fetus elabitur, et statim vagitus auditur. Ceterum si aëris rigor thesaurus est animae, extra Germanias et Scythas et Alpes et Argaeos[7] nemo debuit nasci. Atquin et populi frequentiores apud orientalem et meridialem temperaturam et ingenia expeditiora, omnibus Sarmatis etiam mente torpentibus. Et animi enim de rigoribus scitiores provenirent, si animae de frigusculis evenirent: cum substantia enim et vis. His ita praestructis possumus illos quoque recogitare, qui exsecto matris utero vivi aërem hauserunt, Liberi aliqui et Scipiones.[8] Quodsi qui, ut Plato, perinde non putat duas animas in unum convenire, sicut nec corpora, ego illi non modo duas animas in unum congestas ostendissem, sicut et corpora in fetibus, verum et alia multa ut cum anima conserta, daemonis scilicet, nec unius, ut in Socrate ipso, verum et septenarii spiritus, ut in Magdalena, et legionarii nu- Mc. 16, 9.
meri, ut in Geraseno, quo facilius anima cum anima confere- Mc. 5, 1 sqq.
tur ex societate substantiae, quam spiritus nequam ex diversitate naturae. At idem in sexto Legum monens cavere ne

6) Vel, ut nonnulli libri habent: *ἐμβρυοσφάκτην* vel *ἐμβρυοῤῥήκτην*. 7) Montes Argaei in Cappadocia, aeterna nive obducti. 8) *Liberi et Scipiones* Liber seu Bacchus e Jovis femore, Scipio Africanus prior e matris Pomponiae utero exsectus est.

vitiatio seminis ex aliqua vilitate concubitus labem corpori et animae supparet, nescio de pristina magis, an de ista sententia sibi exciderit. Ostendit enim animam de semine induci, quod curari monet, non de prima adspiratione nascentis. Unde, oro te, similitudine animae quoque parentibus de ingeniis respondemus secundum Cleanthis testimonium, si non et ex animae semine educimur? Cur autem et veteres astrologi genituram hominis ab initio conceptus digerebant, si non exinde et anima est? Ad quam aeque pertinet, si quid est, flatus.[9]

Quid sacra scriptura statuat.

26. Sed omnis inaequalitas sententiae humanae usque ad dei terminos.[1] In nostras iam lineas[2] gradum colligam, ut quod philosophis medicisque respondi Christiano probem. De tuo, frater,[3] fundamento fidem aedifica; aspice viventes uteros (Luc. 1, 41 sqq.) sanctissimarum feminarum, nec modo spirantes iam illic infantes, verum etiam prophetantes.[4] Ecce viscera Rebeccae inquietantur (Gen. 25, 22 sqq.), et longe adhuc partus et aëris nullus impulsus. Ecce duplex fetus in locis matris tumultuatur, et nusquam adhuc populi duo. Portentosa forsitan petulantia infantiae ante certantis quam viventis, ante animosae quam animatae, si tantummodo matrem subsultando turbasset. At cum partus aperitur et numerus inspicitur et auguratus recognoscitur, puto, iam non animae solummodo probantur infantium, sed et pugnae. Detinebatur qui praevenerat nasci a praevento necdum plenius edito, tantum manu nato. Et si ipse animam de prima spiratione potabat Platonico more, aut de aëris rigore carpebat Stoica forma, quid ille qui exspectabatur, qui adhuc intus detinebatur et foris iam detinebat? Nondum, opinor, spirans plantam fratris invaserat, etiamnunc calens matre se priorem prodisse cupiebat. O infantem et aemulum et validum et olim contentiosum, credo, quia vivum! Aspice etiam singulares

---

9) Sensus: ad eam i. e. genituram, pertinet, si quid est, i. e. si momenti est ad vitam, flatus, non aliunde infanti accedit, sed nascitur cum infante.

1) Sensus: ubi deus loquitur, non amplius humanae sententiae inaequalitas curanda. 2) *lineas*, loca in circu congredientibus assignata; nostrum Mensur. 3) *frater* i. e. Christiane; *de tuo fundamento* i. e. de scriptura sacra. 4) Mariam innuit et Elisabetham.

conceptus, et quidem monstrosiores, sterilis et virginis, quae vel hoc ipso imperfectos edere potuissent pro eversione naturae, ut altera semini stupida, altera intacta. Decebat, si forte, sine anima nasci, qui fuerant non rite concepti, sed et illi vivunt in suo quisque utero. Exsultat Elizabeth, Ioannes intus impulerat; glorificat dominum Maria, Christus intus instinxerat. Agnoscunt matres suos invicem fetus, agnitae mutuo ab ipsis utique viventibus, qui non tantum animae erant, verum et spiritus. Sic et ad Hieremiam legis dei vocem: *priusquam* Jer. 1, 5.
te in utero fingerem, novi te. Si fingit deus in utero, et afflat ex primordii forma: *et finxit deus hominem, et flavit in eum fla-* Gen. 2, 7.
tum vitae. Nec nosset autem hominem deus in utero, nisi totum: *et priusquam exires de vulva, sanctificavi te.* Et mortuum Jer. 1, 5.
adhuc corpus? utique nequaquam; *deus enim vivorum, non* Mth. 22, 32.
mortuorum.

27. Quomodo igitur animal conceptum? simulne conflata utriusque substantia corporis animaeque, an altera earum praecedente? imo simul ambas et concipi et confici et perfici dicimus, sicut et promi, nec ullum intervenire momentum in conceptu quo locus ordinetur.[1] Recogita enim de novissimis prima: si mors non aliud determinatur quam disiunctio corporis animaeque, contrarium morti vita non aliud definietur quam coniunctio corporis animaeque; si disiunctio simul utrique substantiae accidit per mortem, hoc debet coniunctionis forma mandasse pariter obvenientis per vitam utrique substantiae. Porro vitam a conceptu agnoscimus, quia animam a conceptu vindicamus; exinde enim vita quo anima. Pariter ergo in vitam compinguntur, quae pariter in mortem separantur. Tunc si alteri primatum damus, alteri secundatum, seminis quoque discernenda sunt tempora pro statu ordinis. Et quando collocabitur corporis semen, quando animae? imo si tempora seminum dividentur, et materiae diversae habebuntur ex distantia temporum. Nam etsi duas species confitebimur seminis, corporalem et animalem, indiscretas tamen vindica-

Uno momento corpus et animam seri.

1) *quo locus ordinetur*, i. e. quo alterutra substantia primum vel secundum locum capessere possit.

mus, et hoc modo contemporales eiusdemque momenti. Ne itaque pudeat necessariae interpretationis. Natura veneranda est, non erubescenda. Concubitum libido, non conditio foedavit; excessus, non status est impudicus, siquidem benedictus
Gen. 1, 28. status apud deum: *crescite et in multitudinem proficite.* Excessus vero maledictus, adulteria et stupra et lupanaria. In hoc itaque sollemni sexuum officio quod marem ac feminam miscet, in concubitu dico communi, scimus et animam et carnem simul fungi, animam concupiscentia, carnem opera, animam instinctu, carnem actu. Unico igitur impetu utriusque toto homine concusso despumat in semen totius hominis,[2] habens ex corporali substantia humorem, ex animali calorem. Et si frigidum nomen est anima Graecorum, quare corpus exempta ea friget? Denique, ut adhuc verecundia magis pericliter quam probatione, in illo ipso voluptatis ultimae aestu, quo genitale virus expellitur, nonne aliquid de anima quoque sentimus exire? atque adeo marcescimus et devigescimus cum lucis detrimento? Hoc erit semen animale protinus ex animae destillatione, sicut et virus illud corporale semen ex carnis defaecatione. Fidelissima primordii exempla: de limo caro in Adam. Quid aliud limus quam liquor opimus? Inde erit genitale virus. Ex afflatu dei anima. Quid aliud afflatus dei quam vapor spiritus? Inde erit quod per virus illud efflamus. Quum igitur in primordio duo diversa atque divisa, limus et flatus, unum hominem coëgissent, confusae substantiae ambae iam in uno semina quoque sua miscuerunt, atque exinde generi propagando formam tradiderunt, ut et nunc duo, licet diversa, etiam unita pariter effluant, pariterque insinuata sulco et arvo suo pariter hominem ex utraque substantia effruticent, in quo rursus semen suum insit secundum genus, sicut omni conditioni genitali praestitutum est. Igitur ex uno homine tota haec animarum redundantia. Observante agitur scilicet natura dei edictum: *crescite et in multitudinem proficite.* Nam et in ipsa prae-
Gen. 1, 28. fatione operis unius: *faciamus hominem*, universa posteritas

2) *totius hominis* est genitivus objectivus: ex quo totus homo oritur; quare non necessarium est mutare *despumat in* in *despumatur.*

pluraliter praedicata est: *et praesint piscibus maris.* Nihil mirum: repromissio segetis in semine. Gen. 1, 26.

Adversus Platonem non ex mortuis fieri vivos.

28. Quis ille nunc vetus sermo apud memoriam Platonis de animarum reciproco discursu, quod hinc abeuntes eant illuc, et rursus huc veniant et vivant, et dehinc e vita abeant: rursus ex mortuis effici vivos? Pythagoricus, ut volunt quidam; divinus, Albinus existimat, Mercurii forsitan Aegyptii. Sed nullus sermo divinus nisi dei unius, quo prophetae, quo apostoli, quo ipse Christus intonuit. Multo antiquior Moyses etiam Saturno, nongentis circiter annis, nedum pronepotibus eius; certe divinior multo, qui decursus generis humani ab exordio mundi quoque per singulas nativitates nominatim temporatimque digessit, satis probans divinitatem operis ex divinatione vocis. Si vero Samius sophista[1] Platoni auctor est animarum de recidivatu[2] revolubili semper ex alterna mortuorum atque viventium suffectione, certe ille Pythagoras, etsi bonus cetera, tamen ut hanc sententiam exstrueret non turpi modo verum etiam temerario mendacio incubuit. Cognosce, qui nescis, et crede nobiscum. Mortem simulat, subterraneo latitat, septenni se illic patientia damnat; interea quae de posteris defunctis ad fidem rerum esset relaturus ab unica conscia et ministra matre cognoscit; ut satis sibi visus est corpulentiam interpolasse[3] ad omnem mortui veteris horrorem, de adytis fallaciae emergit, ut ab inferis redditus. Quis non crederet revixisse quem crediderat obisse, audiens praesertim ab eo quae de posteris mortuis nisi apud inferos non videretur cognoscere potuisse? Sic ex mortuis vivos effici senior sermo est. Quid enim, si et iunior? Neque veritas desiderat vetustatem, neque mendacium devitat novellitatem. Teneo plane falsum, antiquitate generosum; quidni falsum, cuius testimonium quoque ex falso est? Quomodo credam non mentiri Pythagoram, qui mentitur, ut credam? quomodo mihi persuadebit Aethalidem et Euphorbum et Pyrrhum piscatorem et Hermotimum[4] se

1) *Samius sophista* Pythagoras, Samo oriundus. *Sophista* bono sensu = philosophus, ut non raro. 2) *recidivatus* = redintegratio. 3) *corpulentiam interpolasse* = corporis speciem destruxisse. 4) *Hermotimum* Codd. habent *Hermip-*

retro ante Pythagoram fuisse, ut persuadeat vivos ex mortuis effici, qui iterum se Pythagoram peieravit? Quanto enim credibilius ipse ex semet ipso semel redisset in vitam, quam totiens alius atque alius? tanto et in durioribus fefellit, qui molliora mentitus est. Sed clypeum Euphorbi olim Delphis consecratum recognovit, et suum dixit et de signis vulgo ignotis probavit. Respice ad hypogeum eius, et si capit[5] crede. Nam qui talem commentus est stropham[6] cum iniuria bonae valetudinis, cum fraude vitae septennio excruciatae infra terram inedia, ignavia, umbra, cui tanti fuit fastidium coeli: quam non accesserit temeritatem, quam non tentaverit curiositatem, ut ad notam clypei illius perveniret? Quid autem, si in historiis aliquibus occultioribus reperit? Quid si defectae[7] iam traditionis superstites aliquas famae aurulas hausit? Quid si ab aedituo redempta clam inspectione cognovit? Scimus etiam magia elicere[8] explorandis occultis per catabolicos et paredros et pythonicos[9] spiritus. Non enim et Pherecydes, Pythagorae magister, his forsan artibus divinabat, ne dicam somniabat? Quid si idem daemon in illo fuit qui et in Euphorbo res sanguinis gessit? Denique qui se Euphorbum ex argumento clypei probarat, cur neminem Troianorum commilitonum aeque recognovit? Nam et illi iam revixissent, si vivi ex mortuis fierent.

29. Mortuos quidem ex vivis effici constat, non ideo tamen et ex mortuis vivos.[1] Ab initio enim vivi priores, unde ab initio aeque mortui posteriores. Non aliunde quam ex vivis illi habuerant unde potius orirentur.[2] Dum ne ex mortuis

---

pum. Sunt nomina eorum, per quorum corpora Pythagoras suam animam ante hanc suam vitam migrasse professus est. 5) *si capit* scil. credere, i. e. si abs te impetrare poteris, ut credas. v. Tert. 6) *stropha* = fraus. v. Tert. 7) *defectus* = decrepitus. v. Tert. 8) *magia elicere* sic conjicio Codd. *magias licere* vel: *magos elicere* vel: *magias elicere*. 9) *spiritus catabolici* morbi daemoniaci genus, fortasse epilepsia, Fallsucht; *paredri* spiritus, qui continuo aliquem comitantur, familiares, *pythonici* = ἐγγαστρίμυθοι, ventriloqui.

1) Plato in Phaedone ex regula philosophorum: contraria ex contrariis fieri, argumentatus erat: vivos ex mortuis fieri. Tertullianus nonnumquam hanc legem valere concedit, sed non semper et ubique. 2) Sensus: Illi (vivi) initio ex vivis oriundi sunt, nec aliunde.

isti, non habuerint, unde magis deducerentur, nisi ex vivis.[3] Igitur si ab initio vivi non ex mortuis, cur postea ex mortuis? Defecerat ille, quicunque est, originis fons? an formae[4] poenituit? et quomodo in mortuis salva est? Non quia ab initio mortui ex vivis, idcirco semper ex vivis? Aut enim in utraque parte forma initii perseverasset, aut in utraque mutasset, ut si vivos ex mortuis postea fieri oportuerat, perinde oporteret etiam non ex vivis effici mortuos, si non, peraequare deberet fides institutionis. Non usquequaque contraria ex contrariis reformari alternant. Et nos enim opponemus contrarietates nati et innati, visualitatis et caecitatis, iuventae et senectae, sapientiae et insipientiae; nec tamen ideo innatum de nato provenire, quia contrarium ex contrario fiat, nec visualitatem iterum ex caecitate, quia de visualitate caecitas accidat, nec iuventam rursus de senecta reviviscere, quia ex iuventa senecta marcescat, nec insipientiam ex sapientia denuo obtundi, quia de insipientia sapientia acuatur. Haec et Albinus Platoni suo veritus subtiliter quaerit contrarietatum genera distinguere; quasi non et haec tam absolute in contrarietatibus posita sint quam et illa quae ad sententiam magistri sui interpretantur, vitam dico et mortem. Nec tamen ex morte vita reddatur, quia ex vita mors deferatur.

30. Quid autem ad cetera respondebimus? Primo enim si ex mortuis vivi, sicut mortui ex vivis, unus omnino et idem numerus semper haesisset omnium hominum, ille scilicet numerus qui primus vitam introisset. Priores enim ex mortuis vivi, dehinc mortui ex vivis, et rursus ex mortuis vivi. Et dum hoc semper ex iisdem, ita totidem semper, qui ex iisdem. Nam neque plures aut pauciores exissent, quam redirent. Invenimus autem apud Commentarios etiam Humanarum Antiquitatum[1] paulatim humanum genus exuberasse, dum aborigines vel vagi vel extorres vel gloriosi quique occupant terras,

---

3) Sensus: nec mortui, nisi a mortuis velis deducere, aliunde quam ex vivis.
4) *formae* = legis, v. m. l.

1) Varronis libros Antiquitatum Rerum Humanarum, quorum fragmenta tantum extant, intelligit.

ut Scythae Parthicas, ut Temenidae[2] Peloponnesum, ut Athenienses Asiam, ut Phryges Italiam et Phoenices Africam, dum sollemnes etiam migrationes, quas *μετοικίας* appellant, consilio exonerandae popularitatis, in alios fines examina gentis eructant. Nam et origines nunc in suis sedibus permanent, et alibi amplius gentilitatem foeneraverunt. Certe quidem ipse orbis in promptu est, cultior de die et instructior pristino. Omnia iam pervia, omnia nota, omnia negotiosa, solitudines famosas retro fundi amoenissimi obliteraverunt, silvas arva domuerunt, feras pecora fugaverunt, harenae seruntur, saxa panguntur, paludes eliquantur, tantae urbes, quantae non casae quondam. Iam nec insulae horrent, nec scopuli terrent; ubique domus, ubique populus, ubique respublica, ubique vita. Summum testimonium frequentiae humanae: onerosi sumus mundo, vix nobis elementa sufficiunt, et necessitates artiores, et querelae apud omnes, dum iam nos natura non sustinet. Revera lues et fames et bella et voragines civitatum pro remedio deputanda, tanquam tonsura insolescentis generis humani; et tamen, quum eiusmodi secures maximam mortalium vim semel caedant, nunquam restitutionem eius vivos ex mortuis reducentem post mille annos semel orbis expavit. Et hoc enim sensibile fecisset aequa vis amissionis et restitutionis, si vivi ex mortuis fierent. Cur autem mille annis post, et non statim ex mortuis vivi? quum, si non statim suppareretur, quod erogatum,[3] in totum absumi periclitetur praeveniente restitutionem defectione, quia nec pariasset commeatus hic vitae milliario tempori longe scilicet brevior et idcirco facilior ante exstingui quam redaccendi? Igitur quae hoc modo intercidisset, si vivi ex mortuis fierent, quando non intercidit, non erit credendum vivos ex mortuis fieri.

31. Iam vero si ex mortuis vivi, utique singuli ex singulis. Singulorum ergo corporum animas ut singulas in singula corpora reverti oportuerat. Porro si et binae et trinae et quinae

2) Libri habent *Menidas*, quos nemo novit; ex variis conjecturis maximam habet verisimilitatem *Temenidas* ex libro de Pallio 2. 3) *erogatum* = consumtum. v. Tert.

usque uno utero resumuntur, non erunt ex mortuis vivi, quia non singuli ex singulis. Et hoc autem modo primordii forma singulatur,[1] quum et nunc plures animae de una proferuntur. Item quum varia aetate discedant animae, cur una revertuntur? Omnes enim ab infantia imbuuntur, qua infans revertatur.[2] Quale est autem, ut senex defunctus infans revertatur? si decrescit foris anima retrograda aetate, quanto magis erat ut progressior reverteretur mille post annis? Certe vel coaetanea suae mortis, ut aevum quod reliquisset iterum recepisset. Sed etsi eaedem semper revolverentur, licet non corporum quoque formas easdem, licet non staturam, tamen vel sortes easdem ingeniorum[3] et studiorum et affectionum pristinas proprietates secum referre deberent, quoniam temere eaedem haberentur carentes his per quae eaedem probarentur. Unde scias, inquis, an ita quidem fiat occulte, sed conditio milliarii aevi interimat facultatem recensendi, quia ignoratae tibi revertuntur? Atquin scio non ita fieri, quum Pythagoram Euphorbum mihi opponis. Ecce enim Euphorbum militarem et bellicam animam satis constat vel de ipsa gloria clypeorum consecratorum, Pythagoram vero tam residem et imbellem, ut proelia tunc Graeciae vitans Italiae maluerit quietem geometriae et astrologiae et musicae devotus, alienus studio et affectu Euphorbi. Sed et Pyrrhus ille fallendis piscibus agebat, Pythagoras contra nec edendis, ut animalibus abstinens. Aethalides autem et Hermotimus fabam quoque in pabulis communibus irruerat, Pythagoras vero ne per fabalia quidem transeundum discipulis suis tradidit. Quomodo ergo eaedem animae recuperantur, quae nec ingeniis nec institutis iam nec

---

1) *singulatur* i. e. singularis fuisse exhibetur. 2) Infans, plures animas in vitam reportaus, omnes aequaliter infantia sua imbuit. 3) libri (praeter unum) legunt: *licet non corporum quoque formas easdem, licet non flatorum, tamen quoque fortes casam vel ingeniorum.* Verba: *licet non flatorum, tamen quoque fortes casam* editores omittunt, desperantes de medela. Sed apparet ea non esse interpolata, sed corrupta. Quod in codice Agobardi desunt, nihil me movet, quia ejus codicis est vitium, quod justo plura scribae incuria exciderunt. Periculum conjectura medendi pro viribus feci. *Sortes* = quae quis sortitus est, ut pluries apud Tert.

victibus eaedem probabuntur? Iam nunc de tanto Graeciae censu quatuor solae animae recensentur. Sed et quid utique de solo Graeciae censu, ut non ex omni gente, ex omni aetate ac dignitate, ex omni denique sexu, et *μετεμψύχωσις* et *μετενσωμάτωσις* quotidie existant, cur solus Pythagoras alium atque alium se recognoscat, non et ego? aut si privilegium philosophorum est, et utique Graecorum, quasi non et Scythae et Indi philosophentur, cur neminem et retro meminit Epicurus, neminem Chrysippus, neminem Zeno, ne ipse quidem Plato, quem forsitan Nestorem credidissemus ob mella facundiae?

Animae metempsychosis et metensomatosis. Adversus Pythagoram et Empedoclem.

32. Sed enim Empedocles, qui se deum delirarat,[1] idcirco, opinor, dedignatus aliquem se heroum recordari: thamnus et piscis fui, inquit.[2] Cur non magis et pepo tam insulsus, et chamaeleon tam inflatus? Plane ut piscis, ne aliqua sepultura conditio reputesceret, assum se maluit in Aetnam praecipitando. Atque exinde in illo finita sit *μετενσωμάτωσις*, ut aestiva coena post assum. Perinde igitur et hic dimicemus necesse est adversus portentosiorem praesumptionem, bestias ex hominibus et homines ex bestiis revolventem. Viderint thamni; licebit elabi,[3] ne plus ridere quam docere cogamur. Dicimus animam humanam nullo modo in bestias posse transferri, etiamsi secundum philosophos ex elementitiis substantiis censeretur. Sive enim ignis anima, sive aqua, sive sanguis, sive spiritus, sive aër, sive lumen, recogitare debemus contraria quaeque singulis speciebus animalia: igni quidem ea quae rigent, colubros, stelliones, salamandras, etiam quaecunque de aemulo producentur elemento, de aqua scilicet; perinde contraria aquae illa quae arida et exsucida, denique siccitatibus gaudent, locustae, papiliunculi, chamaeleontes; item contraria sanguini quae carent purpura eius, cochleas, vermiculos et maiorem piscium censum; spiritui vero contraria, quae spirare

1) Notus est Empedoclis versus: *Χαίρετ', ἐγὼ δ' ὕμμιν θεὸς ἄμβροτος οὐκ ἔτι θνητός.* 2) *Ἤδη γάρ ποτ' ἐγὼ γενόμην κούρη τε κόρος τε — Θάμνος τ' οἰωνός τε καὶ ἐξ ἁλὸς ἔλλοπος ἰχθύς.* Thamnus est fruticis genus ignotum. 3) *elabi* codd. habent *et lapti*; ex conjectura editores scripserunt *et raptim* et *et lapathi*, nos *elabi*. Sensus: Viderint thamni i. e. de fruticibus taceamus; licebit elabi, praeterire, sat est de animalibus dixisse.

non videntur, carentia pulmonibus et arteriis, culices, formicas, tineas et hoc genus minutalia; item aëri contraria, quae semper subterraneum et subaquaneum viventia carent haustu eius, (res magis quam nomina noveris); item contraria lumini, quae caeca in totum, vel solis tenebris habent oculos, talpas, vesperugines, noctuas. Haec ut ex apparentibus et manifestis substantiis doceam. Ceterum si et atomos Epicuri tenerem, et numeros Pythagorae viderem, et ideas Platonis offenderem, et entelechias Aristotelis occuparem, invenirem fors his quoque speciebus animalia, quae nomine contrarietatis opponerem. Contendo enim, ex quacunque substantia supra dicta constitisset humana anima, non potuisse eam in tam contraria unicuique substantiae animalia reformari et censum eis de sua translatione conferre, a quibus excludi ac respui magis haberet quam admitti et capi nomine huius primae contrarietatis, quae substantivi status diversitatem committit, tunc et reliquae per consequentem ordinem cuiusque naturae. Nam et sedes alias humana anima sortita est et victus et instructus et sensus et affectus et concubitus et fetus; item ingenia, tum opera, gaudia, taedia, vitia, cupidines, voluptates, valetudines, medicinas, suos postremo et vitae modos et exitus mortis. Quomodo igitur illa anima quae terris inhaerebat, nullius sublimitatis, nullius profunditatis intrepida, ascensu etiam scalarum fatigabilis, submersu etiam piscinarum strangulabilis, aëri postea insultabit in aquila aut mari postea desultabit in anguilla? Quomodo item pabulis liberalibus et delicatis atque curatis educata, non dico paleas, sed spinas et agrestes amaritudines frondium et bestias sterquiliniorum, vermium etiam venena ruminabit, si in capram transierit, vel in coturnicem, imo et cadaverinam, imo et humanam, sui utique memor in urso et leone? Sic et cetera ad incongruentiam redige, ne singulis perorandis immoremur. Ipsius animae humanae quisquis modus, quaecunque mensura, quid faciet in amplioribus longe vel minutioribus animalibus? Necesse est enim et corpus omne anima compleri, et animam omnem corpore obduci. Quomodo ergo anima hominis complebit elephantum? quomo-

do item obducetur in culice? si tantum extendetur aut contrahetur, profecto periclitabitur. Et ideo adiicio, si nulla ratione capax est huiusmodi translationis in animalia nec modulis corporum nec ceteris naturae suae legibus adaequantia, numquid ergo demutabitur secundum qualitates generum et vitam eorum contrariam humanae vitae, facta et ipsa contraria humanae per demutationem? Enimvero si demutationem capit amittens quod fuit, non erit quae fuit; et si quae fuit non erit, soluta est *μετενσωμάτωσις*, non adscribenda scilicet ei animae quae si demutabitur non erit. Illius enim *μετενσωμάτωσις* dicetur quaecunque eam in suo statu permanendo pateretur. Igitur si nec mutari potest, ne non sit ipsa, nec permanere in statu, quia contraria non capit: quaero adhuc caussam aliquam fide dignam huiusmodi translationis. Nam etsi quidam homines bestiis adaequantur pro qualitatibus morum et ingeniorum et affectuum, quia et deus: *adsimilatus est*, inquit, *homo*
Ps. 49, 21. *irrationabilibus iumentis*: non ideo milvi ex rapacibus fient et canes ex spurcis, et pantherae ex acerbis, aut oves ex probis, et hirundines ex garrulis, et columbae ex pudicis, quasi eadem substantia animae ubique naturam suam in animalium proprietatibus repetat. Aliud est autem substantia, aliud natura substantiae; siquidem substantia propria est rei cuiusque, natura vero potest esse communis. Suspice exemplum. Substantia est lapis, ferrum; duritia lapidis et ferri natura substantiae est. Duritia communicat, substantia discordat. Mollitia lanae, mollitia plumae pariant naturalia earum, substantiva non pariant. Sic et si saeva bestia vel proba vocetur homo, sed non eadem anima. Nam et tunc naturae similitudo notatur, cum substantiae dissimilitudo conspicitur. Ipsum enim quod hominem similem bestiae iudicas, confiteris animam non eandem, similem dicendo, non ipsam. Sic et divina pronuntiatio sapit, pecudibus adaequans hominem natura, non substantia. Ceterum nec deus hominem hoc modo notasset, si pecudem de substantia nosset.

33. Etiam quum iudicii nomine vindicatur hoc dogma, quod animae humanae pro vita et meritis genera animalium sorti-

antur, iugulandae quaeque in occisoriis, et subigendae quaeque in famulatoriis, et fatigandae in operariis, et foedandae in immundis, proinde honorandae et diligendae et curandae et appetendae in speciosissimis et probissimis et utilissimis et delicatissimis: et hic dicam: si demutantur, non ipsae dispungentur[1] quae merebuntur; et evacuabitur ratio iudicii, si meritorum deerit sensus. Deerit autem sensus meritorum, si status verterit animarum; vertit autem status animarum, si non eaedem perseveraverint. Aeque[2] si perseveraverint in iudicium. Quod et Mercurius Aegyptius novit, dicens animam digressam a corpore non refundi in animam universi, sed manere determinatam: „uti rationem, inquit, patri reddat eorum quae in corpore gesserit." — Volo iudicii utique divini iustitiam, gravitatem, maiestatem, dignitatem recensere, si non sublimiore fastigio praesidet humana censura, plenior utriusque sententiae honore, poenarum et gratiarum, severior in ulciscendo et liberalior in largiendo. Quid putas futuram animam homicidae? aliquod, credo, pecus lanienae et macello destinatum, ut perinde iuguletur, quia et ipsa iugulaverit, perinde decorietur, quia et ipsa despoliaverit, perinde in pabulum proponatur, quia et ipsa bestiis fecerit[3] eos, quos in silvis et arvis trucidaverit. Si ita iudicabitur, nonne illa anima plus solatii quam suplicii relatura est, quod funus inter cocos pretiosissimos invenit, quod condimentis Apicianis et Lurconianis humatur, quod mensis Ciceronianis infertur, quod lancibus splendidissimis Syllanis effertur, quod exsequias convivium patitur, quod a coaequalibus devoratur potius quam a milvis et lupis, ut in hominis corpore tumulata et in suum genus regressa resurrexisse videatur, exsultans adversus humana iudicia, si ea experta est? Namque illa sicarium variis et exquisitis et iam praeter naturam eruditis feris[4] dissipant, et quidem viventem, imo nec facile morientem, curata mora finis ad plenitu-

---

1) *Dispungere, dispunctio* = remunerare, remuneratio, v. Tert. 2) aeque = idem valet. 3) *fecerit* scil. pabulum; non est cur conjicias *objecerit*. 4) *praeter naturam eruditis feris* i. e. bestiis in eum usum mansuefactis et condocefactis.

dinem poenae. Sed etsi anima praefugerit ultimo gladio,[5] ne corpus quoque evaserit ferrum, nihilominus iugulo uteroque confossis[6] costisque transfixis compensatio proprii facinoris exigitur. Inde in ignem datur, ut et sepultura puniatur. Aliter denique non licet. Nec tamen tanta est rogi cura, ut reliquias aliae bestiae inveniant; certe nec ossibus parcitur, nec cineribus indulgetur nuditate plectendis.[7] Tanta est apud homines homicidii vindicta, quanta ipsa quae vindicatur natura. Quis
Rom. 13, 4. non praeferat seculi iustitiam, quam et apostolus non frustra gladio armatam contestatur, quae pro homine saeviendo religiosa est? Si ceterorum quoque scelerum mercedem cogitemus, patibula et vivicomburia et culleos[8] et uncos et scopulos,[9] cui non expediat apud Pythagoram et Empedoclem sententiam pati? Nam et qui laboribus atque servitiis puniendi in asinos utique et mulos recorporabuntur, quantum sibi de pistrinis et aquilegis rotis[10] gratulabuntur, si metallorum et ergastulorum et operum publicorum ipsorumque carcerum, licet otiosorum, recordentur! Perinde qui integre morati commendaverint iudici vitam, quaero praemia, sed potius invenio supplicia. Nimirum magna merces bonis in animalia quaecunque restitui! Pavum se meminit Homerus Ennio somniante; sed poëtis nec vigilantibus credam. Etsi pulcherrimus pavus et quo velit colore cultissimus: sed tacent pennae, sed displicet vox, et poëtae nihil aliud quam cantare malunt. Damnatus est igitur Homerus in pavum honoratus. Plus de seculi remuneratione gaudebit, pater habitus liberalium disciplinarum, ut malit famae suae ornamenta quam caudae. Age nunc, ut poëtae in pavos vel in cycnos transeant, si vel cycnis decora vox est, quod animal indues viro iusto Dejocae?[11] quam bestiam integrae femi-

5) Sensus: si ferarum morsibus exanimatur, antequam gladio confoditur. 6) *jugulo uteroque confossis*, libri habent: *jugulo utroque*, quod vix sensum fundit. Conjicitur ab editoribus: *jugulo ventreque*; sed facilior nostra est conjectura, literisque propinquior. 7) Sensus: obiter cremantur, ut a bestiis dilanientur reliquiae, et ossa et cineres non sepeliuntur, sed nuda projiciuntur. 8) *culleus* saccus corio vel cannabi confectus, in quo includebantur parricidae cum simia, serpente et gallo in mari mergendi. 9) *scopuli*, rupes unde malefici dejiciebantur. 10) *aquilegae rotae* rotae campis rigandis inservientes. 11) *Dejocas* cf. Herod.

nae Didoni? quam volucrem patientia, quam pecudem sanctimonia, quem piscem innocentia sortientur? Omnia famula sunt hominis, omnia subiecta, omnia mancipata. Si quid horum futurus est, diminoratur illic ille cui ob merita vitae imagines, statuae et tituli, honores publici, privilegia rependuntur, cui curia, cui populus suffragiis immolat. O iudicia divina post mortem humanis mendaciora, contemptibilia de poenis, fastidibilia de gratiis, quae nec pessimi metuant nec optimi cupiant, ad quae magis scelesti, quam sancti quique properabunt, illi, ut iustitiam seculi citius evadant, isti, ut tardius eam capiant. Bene philosophi docetis, utiliter suadetis, leviora post mortem supplicia vel praemia, cum, si quod iudicium animas manet, gravius debeat credi in dispunctione vitae quam in administratione, quia nihil plenius quam quod extremius, nihil autem plenius quam quod divinius. Deus itaque iudicabit plenius, quia extremius per sententiam aeternam tam supplicii quam refrigerii, nec in bestias, sed in sua corpora revertentibus animabus. Et hoc semel et in eum diem quem solus pater novit, ut pendula exspectatione sollicitudo fidei probetur, semper diem observans, dum semper ignorat, quotidie timens, quod quotidie sperat.

34. Nulla quidem ad hodiernum dementiae huiusmodi sententia erupit sub nomine haeretico, quae humanas animas refingat in bestias. Sed necessarie hanc quoque speciem intulimus et exclusimus ut superioribus cohaerentem, quo perinde in pavone tunderetur Homerus, sicut in Pythagora Euphorbus, atque ita hac etiam *μετεμψυχώσει* sive *μετενσωματώσει* repercussa illa rursus caederetur, quae aliquid haereticis subministravit. Nam et Simon Samarites in actis apostolorum redemptor spiritus sancti, posteaquam damnatus ab ipso cum pecunia sua interitum frustra flevit, conversus ad veritatis expugnationem quasi pro solatio ultionis, fultus etiam artis suae viribus, ad praestigias virtutis alicuius Helenen quandam Tyriam de loco libidinis publicae eadem pecunia redemit, dignam

Simonis Magi haeresis.

Act. 8, 18 sqq.

1, 96 al. conjiciunt *Aesco*, sed codd. lectioni *de loco* vel *Deloco*, quae sensu caret, magis respondet prior conjectura.

sibi mercedem pro spiritu sancto. Et se quidem fingit summum patrem, illam vero iniectionem[1] suam primam, qua iniecerat angelos et archangelos condere; huius eam propositi compotem exsilisse de patre et in inferiora desultasse, atque illic praevento patris proposito angelicas potestates genuisse, ignaras patris artificis mundi huius; ab his non prompto animo[2] retentam, ne digressa ea alterius genimina viderentur, et idcirco omni contumeliae addictam, ut nusquam discedere depretiatam liberet, humanae quoque formae succidisse velut vinculis carnis coërcendam; ita multis aevis per alios atque alios habitus femininos volutatam etiam illam Helenam fuisse exitiosissimam Priamo et Stesichori postea oculis, quem et excaecasset ob convitium carminis, dehinc reluminasset ob satisfactionem laudis; proinde migrantem eam de corporibus in corpora postrema dedecoratione sub titulo prostitisse Helenam viliorem. Hanc igitur esse ovem perditam, ad quam descenderit pater summus, Simon scilicet, et primum recuperata ea et revecta, nescio humeris an feminibus, exinde ad hominum respexerit salutem quasi per vindictam liberandorum ex illis angelicis potestatibus, quibus fallendis et ipse configuratus aeque et hominibus hominem ementitus in Iudaea quidem filium, in Samaria vero patrem gesserit. O Helenam inter poëtas et haereticos laborantem, tunc adulterio, nunc stupro infamem! Nisi quod de Troia gloriosius eruitur quam de lupanari, mille navibus de Troia, nec mille denariis forsitan de lupanari. Erubesce, Simon, tardior in requirendo, inconstantior in retrahendo. At Menelaus statim insequitur amissam, statim repetit ereptam, decenni proelio extorquet, non latens, non fallens, non cavillabundus. Vereor ne ille magis pater fuerit, qui circa Helenae recuperationem et vigilantius et audentius et diutius laboraverit.

---

1) *injectio* = ἔννοια, mentis conceptio. 2) *non promte animo* codd. habent: *non perinde animo*, quod sensu caret. Editores conjiciunt vel: *vero per invidiam* ex Irenaeo, vel (Oehler) *compari inde animo* i. e. pari quam quo ipsa a patre defecerat. *Non promte animo*, quod nos conjicimus = invitam, quapropter carnis vinculis coërceri debuit.

35. Sed non tibi soli *μετεμψύχωσις* hanc fabulam in- Carpo-
struxit; inde etiam Carpocrates utitur pariter magus, pariter cratis hae-
fornicarius, etsi Helena minus.[1] Quidni? cum propter omnimo- resis.
dam divinae et humanae disciplinae eversionem constituendam
recorporari animas adseveraverit. Nulli enim vitam istam rato
fieri,[2] nisi universis quae arguunt eam expunctis,[3] quia non
natura quid malum habeatur, sed opinione. Itaque *μετεμψύ-
χωσιν* necessarie imminere, si non in primo quoque vitae hu-
ius commeatu[4] omnibus illicitis satisfiat. Scilicet facinora tri-
buta sunt vitae. Ceterum totiens animam revocari habere quo-
tiens minus quid intulerit, reliquatricem[5] delictorum, *donec ex-* Mth. 5, 26.
solvat novissimum quadrantem, detrusa identidem in carcerem
corporis. Huc enim temperat totam illam allegoriam domini
certis interpretationibus relucentem, et primo quidem simpli-
citer intelligendam. Nam et ethnicus homo adversarius noster
est, incedens in eadem via vitae communis. Ceterum *oporte-* 1 Cor. 5, 10.
bat nos de mundo exire, si cum illis conversari non liceret. Huic
ergo *bonum animi praestes*, iubet. *Diligite* enim *inimicos vestros*, Luc. 6, 45.
inquit, *et orate pro maledicentibus vos*, ne aliquo commercio Luc. 6, 27.
negotiorum iniuria provocatus *abstrahat te ad suum iudicem,*
et in custodiam delegatus ad exsolutionem totius debiti arcteris. Luc. 12, 58. Mth. 5, 25.
Tum si in diabolum transfertur adversarii mentio, ex observa-
tione comitante[6] cum illo quoque moneris eam inire concor-
diam,[7] quae deputetur ex fidei conventione; pactus es enim
renuntiare ipsi et pompae et angelis eius. Convenit inter vos
de isto. Haec erit amicitia observatione sponsionis, ne quid
eius postea resumas ex his quae ei ejerasti, quae illi reddidisti,
ne te ut fraudatorem, ut pacti transgressorem iudici deo obii-
ciat, sicut eum legimus alibi sanctorum criminatorem et de Apoc. 12, 10.
ipso etiam nomine diaboli delatorem, et iudex te tradat angelo

1) *Helena minus* i. e. Helena carens. 2) *rato fieri* v. m. l. = ratum haberi. 3) *expunctis* = consummatis, perfectis v. m. l. 4) *commeatus* = tempus eundi et redeundi, mora v. m. l. 5) *reliquatricem* = debitricem v. Tert. 6) *ex observatione comitante* scil. verbis domini: *δὸς ἐργασίαν ἀπηλλάχθαι ἀπ' αὐτοῦ*, Luc. 12, 58. 7) *ἴσθι εὐνοῶν* Mth. 5, 25, Tertullianus utrumque hunc locum egregie conjungit: diabolo benevelle est ei renuntiare.

exsecutionis, et ille te in carcerem mandet infernum, unde non dimittaris, nisi modico quoque delicto mora resurrectionis expenso. Quid his sensibus aptius? quid his interpretationibus verius? Ceterum apud Carpocratem, si omnium facinorum debitrix anima est, quis erit inimicus et adversarius eius intelligendus? credo, mens melior, quae illam in aliquid innocentiae impegerit adigendam rursus ac rursus in corpus, donec in nullo rea deprehendatur bonae vitae. Hoc est ex malis fructibus bonam arborem intelligi, id est, ex pessimis praeceptis doctrinam veritatis agnosci. Spero huiusmodi haereticos Heliae quoque invadere exemplum tanquam in Ioanne sic repraesentati, ut μετεμψυχώσει patrocinetur pronuntiatio domini: *Helias*
Mth. 17, 12. *iam venit, et non cognoverunt eum*, et alibi: *et si vultis audire,*
Mth. 11, 14. *hic est Helias, qui venturus est.* Numquid ergo et Iudaei ex opi-
Joh. 1, 21. nione Pythagorica consulebant Ioannem: *tu es Helias?* et non
Malach. 4, 5. ex praedicatione divina: *et ecce mittam vobis Heliam Thesbiten?* Sed enim μετεμψύχωσις illorum revocatio est animae iam pri-
2 Reg. 2, 11. dem morte functae et in aliud corpus iteratae. Helias autem non ex decessione vitae, sed ex translatione venturus est, nec corpori restituendus, de quo non est exemptus, sed mundo reddendus, de quo est translatus, non ex postliminio vitae, sed ex supplemento prophetiae, idem et ipse, et sui nominis et sui hominis. Sed quomodo Helias Ioannes? Habes angeli vocem:
Luc. 1, 17. *et ipse*, inquit, *praecedet coram populo in virtute et in spiritu Heliae*, non in anima eius nec in carne. Hae enim substantiae sui cuiusque sunt hominis; spiritus vero et virtus extrinsecus conferuntur ex dei gratia, ita et transferri in alterum
Num. 11, 17. 25. possunt ex dei voluntate, ut factum est retro de Mosei spiritu.

Semen animae et carnis simul in utero seminari.

36. In has quaestiones inde, opinor, excessimus, quo nunc revertendum est. Constitueramus animam in ipso et ex ipso seri homine, et unum esse a primordio semen, sicut et carnis in totum generis examen, propter aemulas scilicet opiniones philosophorum et haereticorum, et illum sermonem Platonis veternosum.[1] Nunc ordinem sequentium exinde tractatuum te-

1) *veternosum* in latinitate medii aevi = vetus. Ludit in vocabulo, veterem simul et somnolentum Platonis sermonem esse innuens.

ximus. Anima in utero seminata pariter cum carne pariter cum ipsa sortitur et sexum, ita pariter ut in caussa sexus neutra substantia teneatur. Si enim in seminibus utriusque substantiae aliquam intercapedinem eorum conceptus admitteret, ut aut caro aut anima prior seminaretur, esset etiam sexus proprietatem alteri substantiae adscribere per temporalem intercapedinem seminum, ut aut caro animae aut anima carni insculperet sexum; quoniam et Apelles, non pictor sed haereticus, ante corpora constituens animas viriles ac muliebres, sicut a Philumena didicit, utique carnem ut posteriorem ab anima facit accipere sexum. Et qui animam post partum carni superducunt, utique ante formatae marem aut feminam de carne sexum praeiudicant animae. Utriusque autem substantiae indiscreta[2] semina et unita suffusio eorum communem subeunt generis eventum, qua lineas duxerit quaecunque illa est ratio naturae. Certe et hic se primordiorum forma testatur, quum masculus temperius effingitur, prior enim Adam; femina aliquanto serius, posterior enim Eva. Ita diu caro informis est, qualis ex Adae latere decerpta est, animal tamen et ipsa iam, quia et illam tunc Adae portionem animam agnoscam. Ceterum et ipsam dei afflatus animasset, si non ut carnis ita et animae ex Adam tradux fuisset in femina.

37. Omnem autem hominis in utero serendi, struendi, fingendi paraturam aliqua utique potestas divinae voluntatis ministra modulatur, quamcunque illam rationem agitare sortita. Haec aestimando etiam superstitio Romana deam finxit Alemonam alendi in utero fetus, et Nonam et Decimam a sollicitioribus mensibus, et Partulam, quae partum gubernet, et Lucinam, quae producat in lucem. Nos officia divina angelos credimus. Ex eo igitur fetus in utero homo, a quo forma completa est. Nam et Moysi lex tunc aborsus reum talionibus iudicat, quum iam hominis est caussa, quum iam illi vitae et mortis status deputatur, quum et fato iam inscribitur, etsi adhuc in matre vivendo cum matre plurimum communicat sor-

De aetate carnis et animae.

Exod. 21, 22.

---

2) *indiscreta*, non pejoris autoritatis altera lectio *discreta*.

tem. Dicam aliquid et de temporibus animae nascentis, ut ordinem decurram. Legitima nativitas ferme decimi mensis ingressus est. Qui numeros ratiocinantur et decurialem numerum ut exinde reliquorum parentem colunt, denique perfectorem nativitatis humanae. Ego ad deum potius argumentabor hunc modum temporis, ut decem menses decalogo magis inaugurent hominem, ut tanto temporis numero nascamur quanto disciplinae numero renascimur. Sed et cum septimo mense nativitas plena est, facilius quam octavo, honorem sabbati agnoscam, ut quo die dedicata dei conditio, eo mense interdum producatur dei imago. Concessum est properare nativitati, et tamen idonee occurrere in hebdomadem, in auspicia resurrectionis et requietis et regni. Ideo ogdoas nos non creat; *tunc*
Mth. 22,30. *enim nuptiae non erunt.*[1] Societatem carnis atque animae iamdudum commendavimus[2] a concretione seminum ipsorum usque ad figmenti perfectionem; proinde nunc et a nativitate defendimus, inprimis quod simul crescunt, sed diversa ratione pro generum conditione, caro modulo,[3] anima ingenio, caro habitu, anima sensu. Ceterum animam substantia crescere negandum est, ne etiam decrescere substantia dicatur, atque ita et defectura credatur; sed vis eius, in qua naturalia peculia consita retinentur, salvo substantiae modulo, quo a primordio inflata est, paulatim cum carne producitur.[4] Constitue certum pondus auri vel argenti, rudem adhuc massam: collectus habitus est illi et futuro interim minor, tamen continens intra lineam moduli totum quod natura est auri vel argenti. Dehinc cum in laminam massa laxatur, maior efficitur initio suo per dilatationem ponderis certi, non per adiectionem, dum extenditur, non dum augetur; etsi sic quoque augetur, dum extenditur; licet enim habitu augeri, cum statu non licet. Tunc et splendor ipse provehitur auri vel argenti, qui fuerat quidem et in massa, sed obscurior, non tamen nullus. Tunc et alii at-

1) Octavo mense non solent partus vitales edi; Tert. allegorice ad octavum a die dominico diem, i. e. ad diem dominicum detorquet, quo ad Christi exemplum et nos resurrecturos esse censet. 2) = probavimus; demonstravimus. v. m. l. 3) *modulo* = mole externa. 4) *producitur* = *extenditur*.

que alii habitus accedunt pro facilitate materiae, qua duxerit eam qui aget, nihil conferens modulo nisi effigiem. Ita et animae crementa reputanda, non substantiva, sed provocativa.[5]

38. Quamquam autem et retro[1] praestruxerimus, omnia naturalia animae ipsi substantiae inesse pertinentia ad sensum et intellectum et ex ingenito animae censu, sed paulatim per aetatis spatia procedere et varie per accidentia evadere pro artibus, pro institutis, pro locis, pro dominatricibus potestatibus;[2] quod tamen faciat ad carnis animaeque propositam nunc societatem, pubertatem quoque animalem cum carnali dicimus convenire, pariterque et illam suggestu sensuum, et istam processu membrorum exsurgere a quarto decimo fere anno; non quia Asclepiades inde sapientiam supputat, nec quia iura civilia abhinc agendis rebus attemperant, sed quod et haec de primordio ratio est. Si enim Adam et Eva ex agnitione boni et mali pudenda tegere senserunt, ex quo id ipsum sentimus, agnitionem boni et mali profitemur. Ab his autem annis et suffusior et vestitior sexus est,[3] et concupiscentia oculis arbitris utitur et communicat placitum,[4] et intelligit quae sint, et fines suos ad instar ficulneae contagionis prurigine accingit,[5] et hominem de paradiso integritatis educit, exinde scabida etiam in ceteras culpas et delinquendi non naturales, cum iam non ex instituto naturae, sed ex vitio. Ceterum proprie naturalis concupiscentia unica est alimentorum solummodo, quam deus et in primordio contulit: *ex omni ligno,* inquit, *edetis,* et secundae post diluvium geniturae supermensus est: *ecce dedi* vobis omnia in escam tanquam holera foeni, prospectam non tam animae quam carni, etsi propter animam. Auferenda est enim argumentatoris occasio, qui quod anima desiderare vi-

De cibis, quomodo ad animam pertineant.

Gen. 2, 16.

Gen. 9, 3.

---

5) *provocativa* = quae insunt, et sensim sensimque eliciuntur, non foris adduntur.

1) *retro* = antea v. Tert. cf. cap. 20. 2) cf. cap. 24. 3) *suffusior et vestitior* = i. e. pudori obnoxius et pubescens. 4) *communicat placitum*: oculorum ope concupiscentia invicem communicatur. 5) *fines suos* i. e. ea membra, in quibus latet ardor sexualis concupiscentiae — *ad instar ficulneae contagionis prurigine accingit*: visui et contactui subtrahere studet, priorum parentum instar, qui ficulneis foliis accingebantur; *prurigine accingit*: quia a contactu abhorrent.

deatur alimenta, hinc quoque mortalem eam intelligi cupit, quae cibis sustineatur, denique derogatis eis evigescat, postremo subtractis intercidat. Porro non solum proponendum est quisnam ea desideret, sed et cui; et si propter se, sed et cur et quando et quonam usque; tum quod aliud natura desideret, aliud necessitate, aliud secundum proprietatem, aliud in caussam. Desiderabit igitur cibos anima, sibi quidem ex caussa necessitatis, carni vero ex natura proprietatis. Certe enim domus animae caro est, et inquilinus carnis anima. Desiderabit itaque inquilinus ex caussa et necessitate huius nominis profutura domui toto inquilinatus sui tempore, non ut ipse substruendus nec ut ipse solidandus[6] nec ut ipse tibicinandus, sed tantummodo continendus, quia non aliter contineri possit quam domo fulta. Alioquin licebit animae dilapsa domo ex destitutione propriorum subsidiorum incolumi abire, habenti sua firmamenta et propriae conditionis alimenta, immortalitatem, rationalitatem, sensualitatem, intellectualitatem, arbitrii libertatem.

Nullam fere animam sine daemonio esse.

39. Quae omnia nativitus animae collata idem qui in primordio invidit, nunc quoque obumbrat atque depravat, quominus aut ultro prospiciantur aut qua oportet administrentur. Cui enim hominum non adhaerebit spiritus nequam, ab ipsa etiam ianua nativitatis animas aucupabundus, vel qua invitatus tota illa puerperii superstitione?[1] Ita omnes idololatria obstetrice nascuntur, dum ipsi adhuc uteri infulis apud idola confectis redimiti genimina sua daemoniorum candidata profitentur, dum in partu Lucinae et Dianae eiulatur, dum per totam hebdomadam Iunoni mensa proponitur, dum ultima die fata scribunda advocantur, dum prima etiam constitutio infantis super terram Statinae deae sacrum est. Quis non exinde

---

6) *solidandus* sic conjeci pro lectione librorum *gloriandus*, quae sensu caret. Infeliciter Latinius conjecit *loricandus*, quod editores recentiores receperunt. Loricandus sane est, qui continendus est. *Solidare murum* apud Tacitum occurrit. Fortasse conjici posset *glutinandus*.

1) Sensus: ethnica superstitio in nativitatibus adhiberi solita (*cf.* August. de civ. Dei. 4, 12. 21.) daemones quasi invitas.

aut totum filii caput reatui[2] vovet, aut aliquem excipit crinem, aut tota novacula prosecat, aut sacrificio obligat, aut sacro obsignat, pro gentica, pro avita, pro publica, aut privata devotione? Sic igitur et Socratem puerum adhuc spiritus daemonicus invenit; sic et omnibus genii deputantur, quod daemonum nomen est; adeo nulla ferme nativitas munda est, utique ethnicorum. Hinc enim et apostolus ex sanctificato alterutro sexu sanctos procreari ait, tam ex seminis praerogativa, quam ex institutionis disciplina. *Ceterum*, inquit, *immundi nascerentur*, quasi designatos tamen sanctitatis ac per hoc etiam salutis intelligi volens fidelium filios, ut huius spei pignora matrimoniis, quae retinenda censuerat, patrocinaretur. Alioquin meminerat dominicae definitionis: *nisi quis nascatur ex aqua et spiritu, non introibit in regnum dei,* id est, non erit sanctus. 1 Cor. 7, 14. Joh. 3, 5.

40. Ita omnis anima eo usque in Adam censetur, donec in Christo recenseatur; tamdiu immunda, quamdiu recenseatur; peccatrix autem, quia immunda, recipiens ignominiam et carnis ex societate.[1] Nam etsi caro peccatrix, secundum quam incedere prohibemur, cuius opera damnantur concupiscentis adversus spiritum, ob quam carnales notantur [infamia], non tamen suo nomine caro infamis. Neque enim de proprio sapit quid aut sentit ad suadendam vel imperandam peccatelam. Quidni? quae ministerium est? et ministerium non quale servus vel minor amicus, animati homines,[2] sed quale calix vel quid aliud eiusmodi, corpus, non anima. Nam et calix ministerium sitientis est; nisi tamen qui sitit calicem sibi accommodarit, nihil calix ministrabit. Adeo nulla proprietas hominis Quomodo caro peccatrix dicatur.

---

2) *reatui* = idololatriae.

1) Haec nostra conjectura. Sensus: suam habet propriam ignominiam, et carnis etiam in se recipit, quia caro instigante demum anima operatur. Libri habent: *recipiens ignominiam ex carnis societate* vel *ex carnis exsocietate*. Haec lectio sensu non caret, sed doctrinae Tertullianeae opposita est; Tert. enim animam non ex carnis societate peccatricem esse censet, sed propriae originis vitio. *Oehler* ingeniose conjecit: *respuens ignominiam suam et in carnem ex societate. Respuens* = redundans. Sed non est cur tantum mutemus. 2) *animati homines* Oehler: *animati et homines.* Libri habent vel: *animalia nomine* vel: *animalia nomina,* vel: *animalis nomine*, quae sensu carent.

in choico,[3] nec ita caro homo tanquam alia vis animae et alia persona, sed res est alterius plane substantiae et alterius conditionis, addicta tamen animae ut suppellex, ut instrumentum in officia vitae. Caro igitur increpatur in scripturis, quia nihil anima sine carne in operatione libidinis, gulae, vinolentiae, saevitiae, idololatriae ceterisque carnalibus non sensibus, sed effectibus. Denique sensus delictorum etiam sine effectibus imputari solent animae. *Qui viderit ad concupiscentiam, iam adul-*
Mth. 5, 28. *teravit in corde*. Ceterum quid caro sine anima perinde in operatione probitatis, iustitiae, tolerantiae, pudicitiae? Porro quale est ut cui nec bona documenta propria subscribas, ei crimina adpingas? Sed ea per quam delinquitur convenitur,[4] ut illa a qua delinquitur oneretur, etiam in ministerii accusationem. Gravior invidia est in praesidem, cum officia[5] pulsantur; plus caeditur qui iubet, quando nec qui obsequitur excusatur.

De malo et bono animae.

41. Malum igitur animae, praeter quod ex obventu spiritus nequam superstruitur, ex originis vitio antecedit, naturale quodammodo. Nam, ut diximus, naturae corruptio alia natura est, habens suum deum et patrem, ipsum scilicet corruptionis auctorem, ut tamen insit et bonum animae illud principale, illud divinum atque germanum et proprie naturale. Quod enim a deo est, non tam exstinguitur, quam obumbratur. Potest enim obumbrari, quia non est deus, exstingui non potest, quia a deo est. Itaque sicut lumen aliquo obstaculo impeditum manet, sed non comparet, si tanta densitas obstaculi fuerit: ita et bonum in anima a malo oppressum pro qualitate eius aut in totum vacat occulta salute[1] aut qua datur radiat inventa libertate. Sic pessimi et optimi quidam, et nihilominus unum omnes animae genus; sic et in pessimis aliquid boni, et in optimis nonnihil pessimi. Solus enim deus sine peccato, et solus homo sine peccato Christus, quia et deus Christus. Sic et divinitas animae in praesagia erumpit ex bono priore, et

3) *choico* = carne, de terra facta. 4) *convenitur* = reprehenditur v. Tert. 5) *officia* = officiales.

1) *occulta salute* sic omnes libri. Ingeniosa Rigaltii conjectura: *occultata luce*, sed ubi non cogit necessitas, emendationibus est abstinendum.

conscientia dei in testimonium prodit: deus bonus, et: deus videt, et: deo commendo.[2] Propterea nulla anima sine crimine, quia nulla sine boni semine. Proinde cum ad fidem pervenit reformata per secundam nativitatem ex aqua et superna virtute, detracto corruptionis pristinae aulaeo totam lucem suam conspicit. Excipitur etiam a spiritu sancto, sicut in pristina nativitate a spiritu profano. Sequitur animam nubentem spiritui caro, ut dotale mancipium, et iam non animae famula, sed spiritus. O beatum connubium, si non admiserit adulterium![3]

42. De morte iam superest, ut illic materia ponat,[1] ubi ipsa anima consummat![2] quamquam Epicurus vulgari satis opinione negarit mortem ad nos pertinere. Quod enim dissolvitur, inquit, sensu caret, et quod sensu caret, nihil ad nos. Dissolvitur autem et caret sensu non ipsa mors, sed homo qui eam patitur. At ille ei dedit passionem cuius est actio. Quodsi hominis est pati mortem dissolutricem corporis et peremptricem sensus, quam ineptum ut tanta vis ad hominem non pertinere dicatur. Multo coactius Seneca: post mortem, ait, omnia finiuntur, etiam ipsa. Hoc si ita est, iam et mors ad semet ipsam pertinebit, si et ipsa finitur; eo magis ad hominem, in quo inter omnia finiendo et ipsa finitur. Mors nihil ad nos, ergo et vita nihil ad nos. Si enim quo dissolvimur praeter nos, etiam quo compingimur extra nos. Si ademptio sensus nihil ad nos, nec adeptio sensus quicquam ad nos. Sed mortem quoque interimat, quia et animam. A nobis ut de postuma vita[3] et de alia provincia animae, ita de morte tractabitur, ad quam vel ipsi pertinemus, si ad nos illa non pertinet. Denique nec speculum eius somnus, aliena materia est. De morte.

43. De somno prius disputemus; post: mortem qualiter anima decurrat. Non utique extranaturale est somnus, ut qui- De somno.

2) Uberius exponit in libro: de testimonio animae naturaliter christianae.
3) cf. de resurr. carn. cap. 63.

1) *ponat* = desinat, absolvatur. 2) *consummat* = scil. vel calculum, vel stipendia. 3) Sic ingeniose Rigaltius emendavit lectionem librorum: vel: *qui et animam. A nobis ut depositum avita et de alia prov.* vel: *quia et anima in nobis ut depositum habitat et ut de alia prov.* quae sensum non fundit.

busdam philosophis placet, cum ex his eum deputant caussis quae praeter naturam haberi videntur. Stoici somnum resolutionem sensualis vigoris affirmant, Epicurei deminutionem spiritus animalis, Anaxagoras cum Xenophane defetiscentiam, Empedocles et Parmenides refrigerationem, Strato segregationem consati spiritus, Democritus indigentiam spiritus, Aristoteles marcorem circumcordialis caloris. Ego me nunquam ita dormisse praesumo ut ex his aliquid agnoscam. Neque enim credendum est defetiscentiam esse somnum, contrarium potius defetiscentiae, quam scilicet tollit, siquidem homo somno magis reficitur quam fatigatur. Porro nec semper ex fatigatione concipitur somnus, et tamen cum ex illa est, illa iam non est. Sed nec refrigescentiam admittam, aut marcorem aliquem caloris, cum adeo corpora somno concalescant, ut dispensatio ciborum per somnum non facile procederet, calore properabili et rigore tardabili[1], si somno refrigeraremur. Plus est quod etiam sudor digestionis aestuantis est index. Denique concoquere dicimur, quod caloris, non frigoris operatio est. Proinde deminutionem animalis spiritus aut indigentiam spiritus aut segregationem consati spiritus immortalis anima non sinit credi. Perit anima si minoratur. Superest, si forte cum Stoicis resolutionem sensualis vigoris somnum determinemus, quia corporis solius quietem procuret, non et animae. Animam enim ut semper mobilem et semper exercitam nunquam succedere quieti, alienae scilicet a statu immortalitatis; nihil enim immortale finem operis sui admittit, somnus autem finis est operis. Denique corpori, cui mortalitas competit, ei soli quies finem operis adulatur. Qui ergo de somni naturalitate dubitabit, habet quidem dialecticos in dubium deducentes totam naturalium et extranaturalium discretionem, ut et quae putaverit citra naturam esse naturae vindicari sciat posse, a qua ita esse sortita sunt ut citra eam haberi videantur, et utique aut natura omnia aut nulla natura. Apud nos autem id poterit audiri, quod dei contemplatio suggerit, auctoris om-

1) **Sensus: Cum calor properare, rigor tardare soleat digestionem.**

nium de quibus quaeritur. Credimus enim, si quid est natura, rationale aliquod opus dei esse. Porro somnum ratio praeit, tam aptum, tam utilem, tam necessarium, ut absque illo nulla anima sufficiat; recreatorem corporum, redintegratorem virium, probatorem valetudinum, pacatorem operum, medicum laborum, cui legitime fruendo dies cedit, nox legem facit, auferens rerum etiam colorem. Quodsi vitale, salutare, auxiliare somnus, nihil eiusmodi non rationale, nihil non naturale. Sic et medici omne contrarium vitali, salutari, auxiliari extra naturae cardines relegant. Nam et aemulas somno valetudines, phreneticam atque cardiacam, praeter naturam iudicando naturalem somnum praeiudicaverunt; etiam in lethargo non naturalem notantes testimonio naturali respondent, cum in suo temperamento est. Omnis enim natura aut defraudatione aut enormitate rescinditur, proprietate mensurae conservatur. Ita naturale erit statu, quod non naturale effici potest decessu vel excessu. Quid, si esum et potum de naturae sortibus eximas? nam et in his plurima somni praeparatura est. Certe his a primordio naturae suae homo imbutus est. Si apud deum discas,[2] ille fons generis, Adam, ante ebibit soporem quam sititit Gen. 2, 21.
quietem, ante dormiit quam laboravit, imo quam et edit, imo quam et profatus est, ut videant naturalem indicem somnum omnibus naturalibus principaliorem. Inde deducimur etiam imaginem mortis iam tunc eum recensere. Si enim Adam de Christo figuram dabat, somnus Adae mors erat Christi dormituri in mortem, ut de iniuria perinde lateris eius vera mater viventium figuraretur ecclesia. Ideo et somnus tam salutaris, Joh. 19, 34.
tam rationalis, etiam in publicae et communis iam mortis effingitur exemplar. Voluit enim deus, et alias nihil sine exemplaribus in sua dispositione molitus, paradigmate Platonico plenius,[3] humani vel maxime initii ac finis lineas[4] quotidie agere nobiscum, manum porrigens fidei facilius adiuvandae per imagines et parabolas, sicut sermonum, ita et rerum. Pro-

2) *apud deum* = in libris sacris. 3) i. e. 'plenius et perfectius, quam Plato in doctrina sua nobilissima de ideis unquam depinxit 4) *linea* = delineatio.

ponit igitur tibi corpus amica vi soporis elisum, blanda quietis necessitate prostratum, immobile situ, quale ante vitam iacuit, et quale post vitam iacebit, ut testationem plasticae[5] et sepulturae, exspectans animam quasi nondum collatam et quasi iam ereptam. Sed et illa sic patitur, ut alibi agere videatur, dissimulatione praesentiae futuram absentiam ediscens. De Hermotimo sciemus. Et tamen interim somniat: unde tunc somnia? Nec quiescit, nec ignavescit omnino, nec naturam immortalitatis feriis soporis[6] addicit. Probat se mobilem semper; terra, mari peregrinatur, negotiatur, agitatur, laborat, ludit, dolet, gaudet, licita atque illicita persequitur, ostendit quod sine corpore etiam plurimum possit, quod et suis instructa sit membris, sed nihilominus necessitatem habeat rursus corporis agitandi. Ita cum evigilaverit corpus, redditum officiis eius resurrectionem mortuorum tibi affirmat. Haec erit somni et ratio naturalis et natura rationalis. Etiam per imaginem mortis fidem initiaris, spem meditaris, discis mori et vivere, discis vigilare, dum dormis.

De Hermotimo.

44. Ceterum de Hermotimo. Anima, ut aiunt, in somno carebat, quasi per occasionem vacaturi hominis proficiscente de corpore. Uxor hoc prodidit. Inimici dormientem nacti pro defuncto cremaverunt. Regressa anima tardius, credo, homicidium sibi imputavit. Cives Clazomenii Hermotimum templo consolantur. Mulier non adit ob notam uxoris. Quorsum istud? ut ne, quia facile est vulgo existimare secessionem animae esse somnium, hoc quoque Hermotimi argumento credulitas subornetur. Genus fuerat gravioris aliquanto soporis, ut de incubone praesumptio est, vel de ea valetudinis labe quam Soranus opponit excludens incubonem, aut tale quid vitii quod etiam Epimenidem in fabulam impegit, quinquaginta paene annos somniculosum. Sed et Neronem Suetonius et Thrasimedem Theopompus negant unquam somniasse, nisi vix Neronem in

Plin. hist. nat. 52.

5) *plasticae* = creationis. Sensus: Corpus in somno immobile jacens ostendit tibi, quale fuerit in creatione, et quale futurum sit post mortem. 6) *feriis soporis*; sic ingeniose Oehler conjecit; libri habent: *serii soporis*; unde editores alii conjecerunt *servam soporis* vel *sopori*.

ultimo exitu post pavores suos. Quid, si et Hermotimus ita fuit, ut otium animae nihil operantis in somnis divortium crederetur? Omnia magis coniectes, quam istam licentiam animae sine morte fugitivae, et quidem ex forma[1] continuam. Si enim tale quid semel accidere dicatur, ut deliquium solis aut lunae, ita et animae, sane persuaderer divinitus factum; congruere enim, hominem seu moneri seu terreri a deo, velut fulgure rapido, momentaneae mortis ictu; si non magis in proximo esset somnium credi, quod vigilanti potius accidere deberet, si non somnium magis credi oporteret.

45. Tenemur hic de somniis quoque Christianam sententiam expromere, ut de accidentibus somnii, et non modicis iactationibus animae, quam ediximus negotiosam et exercitam semper ex perpetuitate motationis, quod divinitatis et immortalitatis est ratio. Igitur cum quies corporibus evenit, quorum solatium proprium est, vacans illa a solatio alieno non quiescit, et si caret opera membrorum corporalium, suis utitur. Concipe gladiatorem sine armis vel aurigam sine curriculis, gesticulantes omnem habitum artis suae atque conatum: pugnatur, certatur, sed vacua iactatio est; nihilominus tamen fieri videntur, quae fieri tamen non videntur; actu enim fiunt, effectu vero non fiunt. Hanc vim ecstasin dicimus, excessum sensus et amentiae instar. Sic et in primordio somnus cum ecstasi dedicatus[1]: *et misit deus ecstasin in Adam et obdormivit.* Somnus enim corpori provenit in quietem, ecstasis animae accessit adversus quietem, et inde iam forma[2] somnum ecstasi miscens et natura de forma. Denique et oblectamur et contristamur et conterremur in somniis quam affecte et anxie et passibiliter, cum in nullo permoveremur, a vacuis scilicet imaginibus, si compotes somniaremus. Denique et bona facta gratuita sunt in somnis et delicta secura; non magis enim ob stupri visionem damnabimur, quam ob martyrii coronabimur. Et quomodo, inquis, memor est somniorum anima, scilicet quam compotem esse non licet? Hoc erit proprietas amentiae huius, quia

De somniis. Gen. 2, 21.

1) *ex forma* = ex lege, ita ut continuo sic fieret.

1) *dedicatus* = inchoatus, initiatus. v. Tert. 2) forma = lex, regula.

non fit ex corruptela bonae valetudinis, sed ex ratione naturae; nec enim exterminat, sed avocat mentem. Aliud est concutere, aliud movere, aliud evertere, aliud agitare. Igitur quod memoria suppetit, sanitas mentis est; quod sanitas mentis salva memoria stupet, amentiae genus est. Ideo non dicimur furere, sed somniare; ideo et prudentes, si quando sumus[3]; sapere enim nostrum licet obumbretur, non tamen exstinguitur; nisi quod et ipsum potest videri vacare tunc, ecstasin autem hoc quoque operari de suo proprio, ut sic nobis sapientiae imagines inferat, quemadmodum et erroris.

Somnia non vana esse.

46. Ecce rursus urgemur etiam de ipsorum somniorum retractatu quibus anima iactatur exprimere. Et quando perveniemus ad mortem? Et hic dixerim: cum deus dederit; nullae longae morae eius quod eveniet. Vana in totum somnia Epicurus iudicavit, liberans a negotiis divinitatem et dissolvens ordinem rerum et in passivitate omnia spargens ut eventui exposita et fortuita. Porro si ita est, ergo erit aliquis et veritatis eventus, quia non capit solam eam eventui omnibus debito eximi. Homerus[1] duas portas divisit somniis, corneam veritatis, fallaciae eburneam; respicere est enim, inquiunt, per cornu, ebur autem caecum est. Aristoteles maiore sententiam mendacio recitans agnoscit et verum. Telmessenses[2] nulla somnia evacuant, imbecillitatem coniectationis incusant. Quis autem tam extraneus humanitatis, ut non aliquam aliquando visionem fidelem senserit? Pauca de insignioribus perstringens Epicuro pudorem imperabo. Astyages Medorum regnator quod filiae Mandanae adhuc virginis vesicam in diluvionem Asiae fluxisse somnio viderit Herodotus refert; item anno post nuptias eius ex hisdem locis vitem exortam toti Asiae incubasse. Hoc etiam Charon Lampsacenus Herodoto prior tradit. Qui filium eius tanto operi interpretati sunt, non fefellerunt; siquidem Asiam Cyrus et mersit et pressit. Philippus Macedo nondum pater Olympiadis uxoris naturam ob-

3) i. e. si omnino hominem prudentem dicere licet.

1) Hom. Odyss. 19, 562 sqq. 2) Cariae populus, somniorum interpretandorum cupidissimus.

signasse viderat annulo; leo erat signum. Crediderat praeclusam genituram, opinor, quia leo semel pater est; Aristodemus vel Aristophon, coniectans imo nihil vacuum obsignari, filium et quidem maximi impetus portendi. Alexandrum qui sciunt, leonem annuli recognoscunt. Ephorus scribit. Sed et Dionysii Siciliae tyrannidem Hemeraea quaedam somniavit. Heraclides prodidit. Et Seleuco regnum Asiae Laodice mater nondum eum enixa praevidit. Euphorion provulgavit. Mithridatem quoque ex somnio Ponti potitum a Strabone cognosco, et Balaridem Illyricum a Molossis usque Macedoniam ex somnio dominatum de Callisthene disco. Noverunt et Romani veritatis huiusmodi somnia. Reformatorem imperii, puerulum adhuc et privatum loci, et Iulium Octavium tantum, et sibi ignotum Marcus Tullius iam et Augustum et civilium turbinum sepultorem de somnio norat. In Vitellii commentariis conditum est. Nec haec sola species erit summarum praedicatrix potestatum, sed et periculorum et exitiorum: ut quum Caesar in proelium perduellium Bruti et Cassii Philippis, aeger, alias maius ominatus discrimen ab hostibus relaturum se Artori visione, destituto tabernaculo evadit[3]; ut quum Polycrati Samio filia crucem prospicit de Solis unguine et lavacro Iovis. Revelantur et honores et ingenia per quietem, praestantur et medelae, produntur et furta, conferuntur et thesauri. Ciceronis denique dignitatem, parvuli etiamnunc, gerula iam sua inspexerat. Cycnus de sinu Socratis demulcens homines discipulus Plato est. Leonymus pyctes ab Achille curatur in somniis. Coronam auream quum ex arce Athenae perdidissent, Sophocles tragicus somniando redinvenit. Neoptolemus tragoedus apud Erithreum Troiae sepulcrum Aiacis monitus in somnis ab ipsa ruina liberatur, et quum lapidum se-

3) *aeger, alias majus ominatus discrimen ab hostibus relaturum se.* Haec hujus desperati loci mea emendatio. Libri: *aeger, alias majus tamen alias crimen ab hostibus relaturum se* vel: *aeger alias majestatem, alias crimen ab hostibus relaturus.* Oehler: *aeger alias, majus tamen ratus discrimen ab hostibus relaturum se.* In antecedentibus lectionem codd. *in praelium* restituo; omnes fere editores mutant *in praelio*; equidem conjungo: *in praelium destituto tabernaculo evadit.* Denique *Artori visione* cum *ominatus* conjungo.

nia[4] deponit, dives inde auro redit. Quanti autem commentatores et affirmatores in hanc rem? Artemon, Antiphon, Strato, Philochorus, Epicharmus, Serapion, Cratippus et Dionysius Rhodius, Hermippus, tota seculi literatura. Solum, si forte,[5] ridebo qui se existimavit persuasurum, quod prior omnibus Saturnus somniarit; nisi si et prior omnibus vixit Aristoteles, ignosce ridenti.[6] Ceterum Epicharmus etiam summum apicem inter divinationes somniis extulit[7] cum Philochoro Atheniensi. Nam et oraculis hoc genus stipatus est orbis, ut Amphiarai apud Oropum, Amphilochi apud Mallum, Sarpedonis in Troade, Trophonii in Boeotia, Mopsi in Cilicia, Hermionae in Macedonia, Pasiphaae in Laconica. Cetera cum suis et originibus et ritibus et relatoribus, cum omni deinceps historia somniorum Hermippus Berytensis quinione voluminum satiatissime exhibebit. Sed et Stoici deum malunt providentissimum humanae institutioni inter cetera praesidia divinatricum artium et disciplinarum somnia quoque nobis indidisse, peculiare solatium naturalis oraculi. Haec quantum ad fidem somniorum a nobis quoque consignandam. Et aliter interpretandum. Nam de oraculis etiam ceteris, apud quae nemo dormitat, quid aliud pronuntiabimus quam daemonicam esse rationem eorum spirituum qui iam tunc in ipsis hominibus habitaverint, vel ad memorias[8] eorum affectaverint ad omnem malitiae suae scenam, in ista aeque specie divinitatem mentientes, eademque industria etiam per beneficia fallentes medicinarum et admonitionum et praenuntiationum, quo magis laedant iuvando, dum per ea quae iuvant ab inquisitione verae divinitatis abducunt ex insinuatione falsae? Et utique non clausa vis est, nec sacrariorum circumscribitur terminis; vaga et pervolatica et interim libera est; quo nemo dubitaverit domus quoque daemoniis patere, nec tantum in adytis, sed in cubiculis homines imaginibus circumvenire.

---

4) *lapidum senia* = lapides pervetusti. 5) *si forte* = utique v. Tert. 6) Sensus: Aristoteles Saturnum somniasse exhibet, quod ridendum, nisi Aristoteles ipse rei testis fuerit. 7) *summum apicem extulit* = plurimum tribuit. 8) i. e. sensu ecclesiastico: ad sepulcra.

47. Definimus enim a daemoniis plurimum incuti somnia, etsi interdum vera et gratiosa, sed, de qua industria diximus, affectantia atque captantia, quanto magis vana et frustratoria et turbida et ludibriosa et immunda. Nec mirum, si eorum sunt imagines quorum et res. A deo autem, pollicito scilicet et gratiam spiritus sancti in omnem carnem, et sicut prophetaturos ita et somniaturos servos suos et ancillas suas, ea deputabuntur quae ipsi gratiae comparabuntur, si qua honesta, sancta, prophetica, revelatoria, aedificatoria, vocatoria, quorum liberalitas soleat et in profanos destillare, imbres etiam et soles suos peraequante deo iustis et iniustis. Siquidem et Nabuchodonosor divinitus somniat, et maior paene vis hominum ex visionibus deum discunt. Sicut ergo dignatio dei et in ethnicos, ita et tentatio mali in sanctos, a quibus nec interdiu absistit, ut vel dormientibus obrepat qua potest, si vigilantibus non potest. Tertia species erunt somnia, quae sibimet ipsa anima videtur inducere ex intentione circumstantiarum. Porro quum non est ex arbitrio somniare, (nam et Epicharmus ita sentit,) quomodo ipsa erit sibi caussa alicuius visionis? Num ergo haec species naturali formae reliquenda est, servans animae etiam in ecstasi res suas perpeti? Ea autem, quae neque a deo neque a daemonio neque ab anima videbuntur accidere, et praeter opinionem et praeter interpretationem et praeter enarrationem facultatis, ipsi proprie ecstasi et rationi eius separabuntur.

Somnia a daemonibus et a deo infunduntur.

Joel 3, 1.

Mth. 5, 45.

Dan. 2, 1. sqq. 4, 1. sqq.

48. Certiora et colatiora[1] somniari affirmant sub extimis noctibus, quasi iam emergente animarum vigore, prodacto sopore. Ex temporibus autem anni verno magis quieta, quod aestas dissolvat animas, et hiems quodammodo obduret, et autumnus, tentator alias valetudinum, succis pomorum vinosissimis diluat. Item ex ipsius quietis situ, si neque resupina neque dextero latere decumbat, neque conresupinatis internis, quasi refusis loculis, statio sensuum[2] fluitet aut compressa[3] iecoris angina sit mentis. Sed haec ingeniose aestimari potius

1) *colatiora* = clariora. 2) *statio sensuum* scilicet praecordia seu sanguis circumcordialis. 3) *compressa* scil. statione.

quam constanter probari putem, etsi Plato est qui ea aestimavit; et fortassean casu procedant. Alioquin ex arbitrio erunt somnia, si dirigi poterunt. Nam quod et de cibis distinguendis vel derogandis nunc praesumptio nunc superstitio disciplinam somniis praescribit, examinandum est: superstitio, ut cum apud oracula incubaturis ieiunium indicitur, ut castimoniam inducat; praesumptio, ut cum Pythagorici ob hanc quoque speciem fabam respuunt onerosum et inflatui pabulum.
Dan. 1, 8-17. Atquin trina illa cum Daniele fraternitas legumine solo contenti, ne regiis ferculis contaminarentur, praeter sapientiam reliquam somniorum praecipue gratiam a deo redemerunt et impetrandorum et disserendorum. Ieiuniis autem nescio an ego solus plurimum ita somniem ut me somniasse non sentiam. Nihil ergo sobrietas, inquis, ad hanc partem? imo tanto magis ad hanc quantum et ad omnem; si et ad superstitionem, multo amplius ad religionem. Sic enim et daemonia expostulant eam a suis somniatoribus, ad lenocinium scilicet divinita-
Dan. 10, 2 sq. tis, quia familiarem dei norunt, quia et Daniel rursus trium hebdomadum statione aruit victu,[4] sed ut deum illiceret humiliationis officiis, non ut animae somniaturae sensum et sapientiam strueret, quasi non in ecstasi acturae. Ita non ad ecstasin submovendam sobrietas proficiet, sed ad ipsam ecstasin commendandam, ut in deo fiat.

Nemo somniorum immunis. 49. Infantes qui non putant somniare, cum omnia animae pro modo aetatis expungantur in vita, animadvertant succussus et nutus et renidentias[1] eorum per quietem, ut ex re comprehendant motus animae somniantis facile per carnis teneritatem erumpere in superficiem. Sed et quod Libyca gens Atlantes caeco somno noctem transigere dicuntur, animae utique natura taxantur. Porro aut Herodoto fama mentita est, nonnunquam in barbaros calumniosa, aut magna vis eiusmodi
Somnia a daemonibus auferuntur. daemonum in illo climate dominatur. Si enim et Aristoteles heroem quendam Sardiniae notat incubatores fani sui visionibus privantem, erit et hoc in daemonum libidinibus, tam au-

4) *aruit victu* de xerophagia dictum.
1) *renidentias* = vultus subridentes v. Tert.

ferre somnia quam inferre, ut Neronis quoque seri somniatoris et Thrasimedis insigne inde processerit.[2] Sed et a deo deducimus somnia. Quid ergo nec a deo Atlantes somniarent? vel quia nulla iam gens dei extranea est, in omnem terram et in terminos orbis evangelio coruscante? Num ergo aut fama mentita est Aristoteli, aut daemonum adhuc ratio est? Dum ne aliqua natura credatur immunis somniorum.

50. Satis de speculo mortis, id est de somno, tum etiam de negotiis somni, id est de somniis. Nunc ad originem huius excessus, id est ad ordinem mortis, quia nec ipsam sine quaestionibus, licet finem omnium quaestionum. Publica totius generis humani sententia mortem naturae debitum pronuntiamus. Hoc stipulata est dei vox, hoc spopondit omne quod nascitur; ut iam hinc non Epicuri stupor suffundatur, negantis debitum istud ad nos pertinere, sed haeretici magi Menandri Samaritani furor conspuatur, dicentis mortem ad suos non modo non pertinere, verum nec pervenire. In hoc scilicet se a superna et arcana potestate legatum, ut immortales et incorruptibiles et statim resurrectionis compotes fiant, qui baptisma eius induerint. Legimus quidem pleraque aquarum genera miranda. Sed aut ebriosos reddit Lyncestarum[1] vena vinosa, aut lymphaticos efficit Colophonis[2] scaturigo daemonica, aut Alexandro accidit Nonacris Arcadiae venenata.[3] Fuit et Iudaeae lacus medicus ante Christum. Plane Stygias paludes poëta tradidit mortem diluentes. Sed et Thetis filium planxit. Quamquam si et Menander in Stygem mergit, moriendum erit nihilominus, ut ad Stygem venias; apud inferos enim dicitur. Quaenam et ubinam ista felicitas aquarum, quas nec Ioannes baptizator praeministravit nec Christus ipse discipulis demonstravit? Quod hoc Menandri balneum? comicum[4] credo. Sed cur

De morte.
Gen. 3, 19
Menandri dementia.
Joh. 5, 2.

2) cf. cap. 44.

1) *Lyncestae* populus Macedoniae. 2) *Colophon* urbs Joniae cum oraculo et fonte Apollinis. 3) *Sed aut* etc. sensus: sed haec omnia satis nota sunt et eorum vis ubi et quae sit dici potest. Ubi vero Menandri balneum? Quare non est cur mutes in *scilicet ut* cum Oehlero. Si mutare libet, mallem scribere *sicut aut*. 4) *Comicum* i. e. quale in fabulis occurrere solet. Fortasse alludit noster ad alium Menandrum poëtam celeberrimum comicum, ut ludat facete in nomine.

tam infrequens, tam occultum, quo paucissimi lavant? Suspectam enim faciam tantam raritatem securissimi atque tutissimi sacramenti, apud quod nec pro deo ipso mori lex est, cum contra omnes iam nationes ascendant in montem domini et in aedem dei Iacob, mortem per martyrium quoque flagitantis, quam de Christo etiam suo exegit? Nec magiae tantum dabit quisquam, ut eximat mortem, aut repastinet[5] vitis modo vitam aetate renovata. Hoc enim ne Medeae quidem licuit in hominem, etsi licuit in verbecem. Translatus est Enoch et Helias, nec mors eorum reperta est, dilata scilicet. Ceterum morituri reservantur, ut antichristum sanguine suo exstinguant. Obiit et Ioannes, quem in adventum domini remansurum frustra fuerat spes. Fere enim haereses ad nostra exempla prosiliunt, inde sumentes praesidia quo pugnant. Postremo compendium est[6]: ubi sunt illi quos Menander ipse perfudit, quos in stygem suam mersit? Apostoli perennes[7] veniant, adsistant; videat illos meus Thomas,[8] audiat, contrectet, et credidit.

Gen. 5, 24. Ebr. 11, 5. 2 Reg. 2, 11. Apoc. 11, 3 sqq. Joh. 21, 23.

Nihil animae in corpore subremanere post mortem.

51. Opus autem mortis in medio est, discretio corporis animaeque. Sed quidam ad immortalitatem animae, quam quidam non a deo edocti infirme tuentur, ita argumentationes emendicant, ut velint credi etiam post mortem quasdam animas adhaerere corporibus. Ad hoc enim et Plato, etsi quas vult animas ad coelum statim expedit, in Politia tamen cuiusdam insepulti cadaver opponit longo tempore sine ulla labe prae animae scilicet individuitate servatum. Ad hoc et Democritus crementa unguium et comarum in sepulturis aliquanti temporis denotat. Porro et aëris qualitas corpori illi potuit tutela fuisse. Quid enim, si aridior aër et solum salsius? quid, si et ipsius corporis substantia exsuccior? quid, si et genus mortis ante iam corruptrices materias erogarat?[1] Ungues autem cum exordia nervorum sint, merito nervis resolutione porrectis provectiores, et quotidie deficiente carne expelli videntur. Comae quoque alimenta de cerebro, quod aliquamdiu du-

5) *repastinet* = redintegret. v. Tert. 6) Sensus: rei summa est, ut compendio dicamus. 7) Illi ipsi a Menandro baptismo perennes facti. 8) *Meus Thomas* i. e: qui mecum sentit Christianus, nolens credere ni videat.

1) *erogarat* = consumserat v. Tert.

rare praestat[2] secreta munitio. Denique in viventibus etiam pro cerebri ubertate vel affluit capillago vel deserit. Habes medicos. Sed nec modicum quid animae subsidere in corpore est, decessurum quandoque et ipsum, cum totam corporis scenam tempus aboleverit. Et hoc enim in opinione quorundam est; propterea nec ignibus funerandum aiunt, parcentes superfluo animae. Alia est autem ratio pietatis istius, non reliquiis animae adulatrix, sed crudelitatis etiam corporis nomine aversatrix, quod et ipsum homo non utique mereatur, poenali exitu[3] impendi[4]. Ceterum anima indivisibilis ut immortalis etiam mortem indivisibilem exigit credi, non quasi immortali, sed quasi indivisibili animae indivisibiliter accidentem. Dividetur autem et mors, si et anima, superfluo scilicet animae quandoque moriturae; ita portio mortis cum animae portione remanebit. Nec ignoro aliquod esse vestigium opinionis istius. De meo didici. Scio feminam quandam vernaculam ecclesiae, forma et aetate integra functam, post unicum et breve matrimonium, cum in pace dormisset et morante adhuc sepultura interim oratione presbyteri componeretur,[5] ad primum halitum[6] orationis manus a lateribus dimotas in habitum supplicem[7] conformasse rursumque condita pace[8] situi suo reddidisse. Est et illa relatio apud nostros, in coemeterio corpus corpori iuxta collocando spatium accessu communicasse. Si et apud ethnicos tale quid traditur, utique deus potestatis suae signa proponit, suis in solatium, extraneis in testimonium. Magis enim credam in testimonium ex deo factum, quam ex ullis animae reliquiis; quae si inessent, alia quoque membra movissent, et si manus tantum, sed non in caussam orationis. Corpus etiam illud non modo fratri cessisset, verum et alias mutatione situs sibimet ipsi refrigerasset.[9] Gerte unde unde sunt ista, signis

---

2) ***praestat*** = efficit v. m. l. 3) ***poenali exitu*** comburi solebant malefactores, imprimis parricidae. 4) ***impendi*** = consumi v. Tert. 5) ***componi*** = praeparari. 6) al. ***habitum***. 7) habitu supplici apud veteres christianos manus ad instar crucis componebantur. 8) ***condita pace*** = i. e. in fine orationis osculo pacis dato. cf. de orat. 14. ***Condere*** = mutuo dare. 9) ***refrigerare*** = relaxationem quaerere; hoc sensu v. Tert.

potius et ostentis deputanda, naturam facere non possunt. Mors, si non semel tota est, non est; si quid animae remanserit vita est; non magis vitae miscebitur mors, quam diei nox.

Mors non ex natura. 52. Hoc igitur opus mortis, separatio carnis atque animae. Seposita quaestione fatorum et fortuitorum, bifariam distinxit humanus affectus, in ordinariam et extraordinariam formam, ordinariam quidem naturae deputans, placidae cuiusque mortis, extraordinariam vero praeter naturam iudicans, violenti cuiusque finis. Qui autem primordia hominis novimus, audenter determinamus mortem non ex natura secutam hominem, sed ex culpa, ne ipsa quidem naturali; facile autem usurpari naturae nomen in ea, quae videntur a nativitate ex accidentia adhaesisse. Nam si homo in mortem directo institutus fuisset, tunc demum mors naturae adscriberetur. Porro non in mortem institutum eum probat ipsa lex, conditionali comminatione suspendens, et arbitrio hominis addicens mortis eventum. Denique si non deliquisset, nequaquam obiisset. Ita non erit natura quod ex oblationis potestate accidit per voluntatem, non ex instituti auctoritate per necessitatem. Proinde etsi varii exitus mortis, ut est multimoda conditio caussarum, nullum ita diximus lenem, ut non vi agatur. Ipsa illa ratio operatrix mortis, simplex licet, vis est. Quid enim? quae tantam animae et carnis societatem, tantam a conceptu concretionem sororum substantiarum divellit ac dirimit! Nam etsi prae gaudio quis spiritum exhalet, ut Chilon Spartanus, dum victorem Olympiae filium amplectitur, etsi prae gloria, ut Clydemus Atheniensis, dum ob historici stili praestantiam[1] auro coronatur, etsi per somnium, ut Plato, etsi per risum, ut P. Crassus: multo violentior mors quae per aliena grassatur, quae animam per commoda expellit, quae tunc mori affert, cum iucundius vivere est, in exsultatione, in honore, in requie, in voluptate. Vis est et illa navigiis, cum longe a Caphareis saxis,[2] nullis depugnata

1) Egregia Oehleri conjectura, pro lectione codd.: *ab historicis diu praestantium*, quae sensu caret. Olim conjiciebatur: *ab histrionibus ob praestantiam*. Fuit Clydemus celeber Atticarum rerum scriptor. 2) *Saxa Capharea* promontorium Euboeae naufragiis infame.

turbinibus, nullis quassata decumanis,[3] adulante flatu, labente cursu, laetante comitatu, intestino repente perculsu cum tota securitate desidunt. Non secus naufragia sunt vitae etiam tranquillae mortis eventus. Nihilo refert integram abire corporis navem, an dissipatam, dum animae navigatio evertatur.

53. Sed quo deinde anima nuda et explosa devertet? Sine dubio prosequemur ex ordine; prius tamen quod est loci huius explebimus, ne, quia varios exitus mortis ediximus, exspectet quis a nobis rationes singulorum, medicis potius relinquendas, propriis arbitris omnium letalium rerum sive caussarum et ipsarum corporalium conditionum. Plane ad immortalitatem animae hic quoque protegendam in mentione mortis aliquid de eiusmodi exitu interstruam, in quo paulatim ac minutatim anima dilabitur; habitum enim sustinens defectionis abducitur, dum absumi videtur, et coniecturam praestat interitus de excessus temperatura. Tota autem in corpore et ex corpore est ratio. Nam quisquis ille exitus mortis, sine dubio aut materiarum aut regionum aut viarum vitalium eversio est: materiarum, ut fellis, ut sanguinis; regionum, ut cordis, ut iecoris; viarum, ut venarum, ut arteriarum. Dum igitur haec ex propria quaque iniuriae caussa vastantur in corpore, ad usque ultimam eversionem et rescissionem vitalium, id est naturalium finium, situum, officiorum: necessario et anima, dilabentibus paulatim instrumentis et domiciliis et spatiis suis, paulatim et ipsa migrare compulsa deducitur in deminutionis effigiem; non alio modo quam quo et aurigam ipsum quoque defecisse praesumitur, cum vires equorum defatigatio denegavit, quantum de dispositione destituti hominis, non de passionis veritate. Perinde auriga corporis, spiritus animalis, deficientis vectaculi nomine, non suo deficit, opere decedens non vigore, actu elanguens non statu, constantiam non substantiam decoquens, quia comparere cessat non quia esse. Sic et rapida quaeque mors, ut cervicum messis, semel ac tantam ianuam pandens, ut ruinae vis semel omnia vitalia elidens, ut

Anima tota, non per partes excedit.

3) *decumanus* = enormis, supple: fluctibus.

apoplexis, interior ruina, nullam animae moram praestat nec discessum eius in momenta discruciat. At ubi longa mors, proubi deseritur anima, ita et deserit; non tamen conciditur hac facie, sed extrahitur, et dum extrahitur, postremitatem suam partem videri facit. Non omnis autem pars statim et abscissa est, quia postera est, nec quia exigua est, statim et ipsa peritura est. Sequitur seriem suus finis, et mediocritas trahitur ad summa, et reliquiae universitati cohaerentes exspectantur ab illa, non derelinquuntur. Atque ita ausim dicere, totius ultimum totum est, quia, licet minus atque posterius sit, ipsius est.[1] Hinc denique evenit saepe animam in ipso divortio potentius agitari sollicitiore obtutu, extraordinaria loquacitate, dum ex maiore suggestu iam in libero constituta per superfluum, quod adhuc cunctatur in corpore, enuntiat quae videt, quae audit, quae incipit nosse. Si enim corpus istud Platonica sententia carcer, ceterum apostolica dei templum, cum in Christo est; sed interim animam consepto suo obstruit et obscurat et concretione carnis infaecat; unde illi, velut per corneum specular, obsoletior lux rerum est. Procul dubio cum vi mortis exprimitur de concretione carnis, et ipsa expressione colatur; certe de oppanso corporis erumpit in apertum ad meram et puram et suam lucem, statim semet ipsam in expeditione substantiae recognoscit et in divinitatem ipsa libertate resipiscit, ut de somno emergens ab imaginibus ad veritates. Tunc et enuntiat et videt, tunc exsultat aut trepidat, prout paraturam devorsorii sui sentit, de ipsius statim angeli facie, evocatoris animarum, Mercurii poëtarum.

Quo philosophi animas relegent.

54. Quo igitur deducetur anima iam hinc reddimus. Omnes ferme philosophi, qui immortalitatem animae qualiter volunt tantum vindicant,[1] ut Pythagoras, ut Empedocles, ut Plato,

---

1) Disputationis hujus sensus est: in longa morte videtur anima per partes corpore excedere, et finis adesse, cum ultima pars egreditur. Sed non ita est. Anima tota in corpore manet usque ad finem, non dividitur, sed extrahitur, ex singulis membris secedit, sed corpus non deserit nisi ultimo momento tota simul.

1) Sensus: non plenam, sed tantum qualiter ipsi volunt, quantam libet, tantam vindicant; non plenam, scil. ad conflagrationem mundi tantum, et sapientum animabus solis competentem.

quique aliquod illi tempus indulgent ab excessu usque in conflagrationem universitatis, ut Stoici, suas solas, id est sapientum, animas in supernis mansionibus collocant. Plato quidem non temere philosophorum animabus hoc praestat, sed eorum qui philosophiam scilicet exornaverint amore puerorum. Adeo etiam inter philosophos magnum habet privilegium impuritas. Itaque apud illum in aetherem sublimantur animae sapientes, apud Arium[2] in aërem, apud Stoicos sub lunam. Quos quidem miror quod imprudentes animas circa terram prosternant, cum illas a sapientibus multo superioribus erudiri affirment. Ubi erit scholae regio in tanta distantia diversoriorum? qua ratione discipulae ad magistras conventabunt, tanto discrimine invicem absentes? quis autem illis postumae eruditionis usus ac fructus, iamiam conflagratione perituris? Reliquas animas ad inferos deiiciunt. Hos Plato velut gremium terrae describit in Phaedone, quo omnes labes mundialium sordium confluendo et ibi desidendo exhalent, et quasi coeno immunditiarum suarum crassiorem haustum et privatum illic aërem stipent. Quid Hades?

55. Nobis inferi non nuda cavositas nec subdivalis aliqua mundi sentina creduntur, sed in fossa terrae et in alto vastitas et in ipsis visceribus eius abstrusa profunditas, siquidem Christum in corde terrae triduum mortis legimus expunctum, id est in recessu intimo et interno et in ipsa terra operto et intra ipsam clauso et inferioribus adhuc abyssis superstructo. Quodsi Christus deus, quia et homo mortuus secundum scripturas et sepultus secundum easdem, huic quoque legi satisfecit forma humanae mortis apud inferos functus, nec ante ascendit in sublimiora coelorum quam descendit in inferiora terrarum, ut illic patriarchas et prophetas compotes sui faceret: habes et regionem inferum subterraneam credere, et illos cubito pellere qui satis superbe non putent animas fidelium inferis dignas. Servi super dominum, et disciFpuli super magistrum, aspernati si forte in Abrahae sinu exspectandae re- Omnes animae apud inferos in diem domini sequestrantur.

2) Arius, philosophus Alexandrinus, in favore apud Augustum.

surrectionis solatium capere. Sed in hoc, inquiunt, Christus inferos adiit, ne nos adiremus. Ceterum quod discrimen ethnicorum et Christianorum, si carcer mortuis idem? Quomodo ergo animam exhalabit in coelum, Christo illic adhuc sedente ad dexteram patris, nondum dei iussu per tubam archangeli audito, nondum illis quos domini adventus in seculo invenerit obviam ei ereptis in aërem, cum his qui mortui in Christo primi resurgent? Nulli patet coelum, terra adhuc salva, nē dixerim clausa. Cum transactione enim mundi reserabuntur regna coelorum. Sed in aethere dormitio nostra cum pueris[1] Platonis, aut in aëre cum Ario, aut circa lunam cum Endymionibus Stoicorum? Imo, inquis, in paradiso, quo iam tunc et patriarchae et prophetae appendices dominicae resurrectionis

Apoc. 6, 9.

Exceptis martyrum animabus, quae in paradisum deveniunt.

ab inferis migraverint. Et quomodo Ioanni in spiritu paradisi regio revelata, quae subiicitur altari, nullas alias animas apud se praeter martyrum ostendit? Quomodo Perpetua, fortissima martyr, sub die passionis in revelatione paradisi solos illic commartyres vidit, nisi quia nullis romphaea paradisi ianitrix cedit, nisi qui in Christo decesserint, non in Adam? Nova mors pro deo et extraordinaria pro Christo alio et privato excipitur hospitio. Agnosce itaque differentiam ethnici et fidelis in morte, si pro deo occumbas, ut paracletus monet, non in mollibus febribus et in lectulis, sed in martyriis, si crucem tuam tollas et sequaris dominum, ut ipse praecepit. Tota paradisi clavis tuus sanguis est. Habes etiam de paradiso a nobis libellum, quo constituimus omnem animam apud inferos sequestrari in diem domini.

An post mortem in terra morentur quaedam animae? An insepultorum?

56. Occurrit disceptatio, an hoc ab excessu statim fiat, an quasdam animas aliqua ratio detineat hic interim, an etiam receptas liceat postea ab inferis ex arbitrio vel ex imperio intervenire. Nec harum enim opinionum suasoriae desunt. Creditum est insepultos non ante ad inferos redigi quam iusta perceperint,[1] secundum Homericum Patroclum funus in somniis

Hom. Il. 23, 72 sqq.

de Achille flagitantem, quod non alias adire portas inferum

1) *pueris* alia lectio *puerariis* = παιδεραστής.

1) *iusta* i. e. debita, sepulturam.

posset, arcentibus eum longe animabus sepultorum. Novimus autem praeter poëtica iura pietatis quoque Homericae industriam. Tanto magis enim curam sepulturae collocavit, quanto etiam moram eius iniuriosam animabus incusavit, simul et ne quis defunctum domi detinens ipse amplius cum illo maceretur enormitate solatii dolore nutriti. Ita querelas animae insepultae ad utrumque confinxit, ut instantia funeris et honor corporum servetur et memoria[2] affectuum temperetur. Ceterum quam vanum ut anima corporis iusta sustineat, quasi aliquid ex illis ad inferos avehat? Multo vanius si iniuria deputabitur animae cessatio sepulturae, quam pro gratia deberet amplecti. Utique enim tardius ad inferos abstrahi mallet, quae nec mori voluit. Amabit impium haeredem, per quem adhuc pascitur luce. Aut si qua pro certo iniuria est tardius sub terram detrudi, titulus autem iniuriae cessatio est sepulturae, perquam iniquum eam iniuria affici cui non imputabitur cessatio sepulturae, ad proximos scilicet pertinens. Aiunt et immatura morte praeventas eo usque vagari isthic, donec reliquatio[3] compleatur aetatum, quantum[4] pervixissent, si non intempestive obiissent. Porro aut constituta sunt tempora unicuique, et constituta praeripi posse non credam; aut si constituta sunt quidem, dei tamen voluntate vel aliqua potestate mutilantur, frustra mutilantur, si iam impleri sustinentur. Aut si non sunt constituta, nulla erit reliquatio temporum non constitutorum. Adhuc addam: ecce obiit verbi gratia infans sub uberum fontibus, puta nunc puer investis, puta vesticeps,[5] qui tamen octoginta annos victurus fuisset: hos praereptos ut anima eius hic post mortem transigat quale est? Aetatem enim non potest capere sine corpore, quia per corpora operantur aetates. Nostri autem illud quoque recogitent, corpora eadem recepturas in ressurrectione animas in quibus decesserunt. Iidem ergo sperabuntur et corporum modi et eaedem aetates,

An immatura morte defunctorum?

2) *memoria*: alia lectio *moeror*. 3) *reliquatio* = quod superest v. m. l. 4) *quantum* codd. qua cum, quod sensu caret; Oehler conjecit *quantum*, al. *quas tum*, posses etiam: *quam tum* scil. reliquationem. 5) *vesticeps*, qui primam menti vestem capit, ad pubertatem accedit.

quae corporum modos faciunt. Quo ergo pacto potest infantis anima hic transigere praerepta tempora, ut octogenaria resurgat in corpore mensis unius? Aut si hic necesse erit ea tempora impleri quae fuerant destinata, num et ordinem vitae, quem sortita sunt tempora pariter cum illis hic destinatum, pariter hic anima decurret, ut et studeat ab infantia pueritiae delegata, et militet ab adolescentia iuventa excitata, et censeat[6] a iuventa senectae ponderata,[7] et foenus exprimat, et agrum urgeat, naviget, litiget, nubat, laboret, aegritudines obeat, et quaecunque illam cum temporibus manebant tristia ac laeta? Sed haec sine corpore quomodo transigentur? vita sine vita? Sed vacua erunt tempora solo decursu adimplenda. Quid ergo prohibet apud inferos ea impleri, ubi perinde nullus est usus illorum? Ita dicimus omnem animam, quaqua aetate decesserit, in ea stare ad eum diem, usque quo perfectum illud repromittitur ad angelicae plenitudinis mensuram temperatum. Proinde extorres inferum habebuntur quas vi ereptas arbitrantur, praecipue per atrocitates suppliciorum, crucis dico et securis et gladii et ferae; nec isti porro exitus violenti quos iustitia decernit, violentiae vindex. Et ideo, inquies, scelestae quaeque animae inferis exulant. Alterum ergo constituas compello, aut bonos inferos aut malos: si malos placet, etiam praecipitari illuc animae pessimae debent; si bonos, cur idem animas immaturas et innuptas et pro conditione aetatis puras et innocuas inter indignas[8] inferis iudicas?

Quaeris anima in quo statu decessit in eo permanet.

Quos magia mortuos evocat, fallaces sunt daemoniorum praestigiae.

57. Aut optimum est hic retineri secundum aoros[1] aut pessimum secundum biaeothanatos[2], ut ipsis iam vocabulis utar, quibus auctrix opinionum istarum magica sonat, Ostanes et Typhon et Dardanus et Damigeron et Nectabis et Berenice.[3] Publica iam literatura est, quae animas etiam iusta aetate sopitas, etiam proba morte disiunctas, etiam prompta humatione

6) *conseat* = prudenter agat, consideret. 7) *ponderata* ad senectae lancem apposita, zugewogen. 8) *inter indignas* nostra conjectura; libri *interim dignas*, quod a sensu alienum est; Oehler: *interim indignas* cum aliis.

1) *aori* ἄωροι, immatura morte defuncti. 2) *biaeothanati* βιαιοθάνατοι, violenta morte erepti. 3) nomina magorum celebrium.

dispunctas, evocaturam se ab inferum incolatu pollicetur. Quid ergo dicemus magiam? quod omnes paene, fallaciam. Sed ratio fallaciae solos non fugit Christianos, qui spiritalia nequitiae non quidem socia conscientia sed inimica scientia novimus, nec invitatoria operatione sed expugnatoria dominatione tractamus multiformem luem mentis humanae, totius erroris artificem, salutis pariter animaeque vastatorem.[4] Sic etiam magiae,[5] secundae scilicet idololatriae, in qua se daemones perinde mortuos fingunt, quemadmodum in illa deos; quidni? cum et dii mortui. Itaque invocantur quidem aori et biaeothanati sub illo fidei argumento, quod credibile videatur eas potissimum animas ad vim et iniuriam facere quas per vim et iniuriam saevus et immaturus finis extorsit, quasi ad vicem offensae. Sed daemones operantur sub obtentu earum, et hi vel maxime qui in ipsis tunc fuerunt, cum adviverent,[6] quique illas in huiusmodi impegerant exitus. Nam et suggessimus,[7] nullum paene hominem carere daemonio, et pluribus notum est daemoniorum quoque opera et immaturas et atroces effici mortes, quas incursibus deputant. Hanc quoque fallaciam spiritus nequam sub personis defunctorum delitescentis, nisi fallor, etiam rebus probamus, quum in exorcismis interdum aliquem se ex parentibus hominem sui[8] affirmat, interdum gladiatorem vel bestiarium, sicut et alibi deum, nihil magis curans, quam hoc ipsum excludere, quod praedicamus, ne facile credamus animas universas ad inferos redigi, ut et iudicii et resurrectionis fidem turbent. Et tamen ille daemon, postquam circumstantes circumvenire tentavit, instantia divinae gratiae victus id quod in vero est invitus confitetur. Sic et in illa alia specie magiae, quae iam quiescentes animas evellere ab inferis creditur et conspectui exhibere, non alia fallaciae vis est operatior. Plane, quia et phantasma praestatur, quia et corpus affingitur; nec magnum illi exteriores oculos circumscribere, cui interiorem mentis aciem excaecare per-

4) *Spiritalia nequitiae* diabolum ipsum subintelligit. 5) scil. ratio Christianos non fugit. 6) *advivere* = superstitem esse. v. Tert. 7) cf. cap. 39. 8) *sui* scil. hominis: ejus, quem in potestate sua habet.

Exod. 7, 12. facile est. Corpora denique videbantur Pharaoni et Aegyptiis magicarum virgarum dracones; sed Mosei veritas mendacium
Act. 8, 9. sqq. 13, 8 sqq. devoravit. Multa utique et adversus apostolos Simon dedit et Elymas magi; sed plaga caecitatis de praestigiis non fuit. Quid novi aemulatio veritatis a spiritu immundo? Ecce hodie eiusdem Simonis haereticos tanta praesumptio artis extollit, ut etiam prophetarum animas ab inferis movere se spondeant. Et credo quia[9] mendacio possunt. Nec enim pythonico tunc spiritui minus licuit animam Samuelis effingere, post deum
1 Sam. 28, 6 sqq. mortuos consulente Saule. Absit alioquin, ut animam cuiuslibet sancti, nedum prophetae, a daemonio credamus extractam,
2 Cor. 11, 14. edocti *quod ipse satanas transfiguretur in angelum lucis*, nedum in hominem lucis, etiam deum se adseveraturus in fine, *signa-*
2 Thess. 2, 4. Mth. 24, 24. *que portentosiora editurus ad evertendos, si fieri possit, electos.* Dubitavit, si forte, tunc prophetam se dei adseverare, et utique Sauli, in quo iam ipse morabatur. Ne putes alium fuisse qui phantasma administrabat, alium qui commendabat, sed eundem spiritum et in pseudoprophetide et in apostata facile mentiri quod fecerat credi, per quem Saulis thesaurus illic erat ubi et cor ipsius, ubi scilicet deus non erat. Et ideo per quem

Visiones mortuorum in somnis vanae.

visurum se credidit vidit, quia per quem vidit et credidit. Si et de nocturnis imaginibus opponitur saepe non frustra mortuos visos, (nam et Nasamonas propria oracula apud parentum sepulcra mansitando captare, ut Heraclides scribit vel Nymphodorus vel Herodotus, et Celtas apud virorum fortium busta eadem de caussa abnoctare, ut Nicander affirmat), non magis mortuos vere patimur in somnis quam vivos, sed eadem ratione mortuos qua et vivos. At somnia, quae videntur, vera sunt. Non enim quia videntur vera sunt, sed quia adimplentur. Fides somniorum de effectu, non de conspectu renuntiatur. Nulli autem animae omnino inferos patere, satis dominus
Luc. 16, 19. sqq. 25. in argumento illo pauperis requiescentis et divitis ingemiscentis ex persona Abrahae sanxit, non posse inde relegari renuntiatorem dispositionis infernae, quod vel tunc licere potuisset,

9) *quia* = quod.

ut Mosi et prophetis crederetur. Sed etsi quasdam revocavit in corpora dei virtus, in documenta iuris sui, non idcirco communicabitur fidei et audaciae magorum et fallaciae somniorum et licentiae poëtarum. Atquin in resurrectionis exemplis, cum dei virtus sive per prophetas sive per Christum sive per apostolos in corpora animas repraesentat, solida et contrectabili et satiata veritate praeiudicatum est hanc esse formam veritatis, ut omnem mortuorum exhibitionem incorporalem praestigias iudices.

Solus deus mortuos resuscitare potest.

58. Omnes ergo animae penes inferos? inquis. Velis ac nolis, et supplicia iam illic et refrigeria: habes pauperem et divitem.[1] Et quia distuli nescio quid ad hanc partem, iam opportune in clausulam reddam. Cur enim non putes animam et puniri et foveri in inferis interim sub exspectatione utriusque iudicii in quadam usurpatione[2] et candida[3] eius? quia salvum debet esse, inquis, in iudicio divino negotium suum sine ulla praelibatione sententiae; tum quia et carnis operienda est restitutio, ut consortis operarum atque mercedum. Quid ergo fiet in tempore isto? dormiemus? At enim animae nec in viventibus dormiunt; corporum enim est somnus, quorum et ipsa mors cum speculo suo somno. Aut nihil vis agi illic, quo universa humanitas trahitur, quo spes omnis sequestratur? Delibari putas iudicium, an incipi? praecipitari, an praeministrari? Iam vero quam iniquissimum otium apud inferos, si et nocentibus adhuc illic bene est, et innocentibus nondum? Quid, amplius vis esse post mortem, confusa spe et incerta exspectatione ludentem, an vitae recensum iam et ordinationem iudicii inhorrentem? Semper autem exspectat anima corpus, ut doleat aut gaudeat? Nonne et de suo sufficit sibi ad utrumque titulum passionis? Quotiens illaeso corpore anima sola torquetur bile, ira, taedio plerumque nec sibi noto? Quotiens item corpore afflicto furtivum sibi anima gaudium exquirit, et a corporis importuna tunc societate secedit? Mentior si non de ipsis cruciatibus corporis

An puniantur apud inferos animae.

1) Lazarum dicit et divitem Luc. 16, 19. sqq. 2) *usurpatio* = anticipatio. 3) *candida* = spes, exspectatio. Petitorum vestes candidae erant, unde candidatorum nomen.

et gloriari et gaudere sola consuevit. Respice ad Mutii animam, cum dexteram suam ignibus solvit; respice ad Zenonis, cum illam Dionysii tormenta praetereunt. Morsus ferarum ornamenta sunt iuventutis, ut in Cyro ursi cicatrices. Adeo novit et apud inferos anima et gaudere et dolere sine carne, quia et in carne illaesa si velit dolet et laesa si velit gaudet. Hoc si ex arbitrio suo in vita, quanto magis ex iudicio dei post mortem? Sed nec omnia opera optima cum carnis ministerio anima partitur; nam et solos cogitatus et nudas voluntates censura divina persequi-
Mth. 5, 28. tur. *Qui viderit ad concupiscendum iam adulteravit in corde.* Ergo vel propter hoc congruentissimum est animam, licet non exspectata carne, puniri, quod non sociata carne commisit. Sic et ob cogitatus pios et benevolos, in quibus carne non eguit, sine carne recreabitur. Quid nunc, si et in carnalibus prior est quae concipit, quae disponit, quae mandat, quae impellit? Et si quando invita, prior tamen tractat, quod per corpus actura est. Nunquam denique conscientia posterior erit facto. Ita huic quoque ordini competit eam priorem pensare mercedes, cui priori debeantur. In summa, quum carcerem illum, quem evan-
Mth. 5. 25 sq. gelium demonstrat, inferos intelligimus, et novissimum quadrantem modicum quoque delictum mora resurrectionis illic luendum interpretamur, nemo dubitabit animam aliquid pensare penes inferos salva resurrectionis plenitudine per carnem quoque. Hoc etiam paracletus frequentissime commendavit, si quis sermones eius ex agnitione promissorum charismatum admiserit. Ad omnem, ut arbitror, humanam super anima opinionem ex doctrina fidei congressi, iustae dumtaxat ac necessariae curiositati satisfecimus; enormi autem et otiosae tantum deerit discere quantum libuerit inquirere.